3. Plato definitionem reiquærit per divisionem.

4. Plato non utitur modo contentioso, statuendo ab initio suam sententiam, eamque probando, sed per totum discursum primùm inquirit veritatem; eamque inquirit potissimùm interrogando, non asserendo, quasi arte quadam obstetricia educturus veritatem latentem ex aliorum mentibus.

Itaque Logica Platonica modestior, suavior, & ad conversationem humanam pro omni tempore, loco, ac persona accommodatior est. Nemini spinosis artis syllogisticæ regulis molesta, nemini adstrictis verborum formulis importuna est. Nulla alia agnoscit artis suæ principia, quàm quæ natura ingenuis contulit, perspicaciam ingenii, & comitatem morum, gratam omnibus. Quia verò imitatione meliùs, quàm regulis discitur, afferam aliquot ex Platone, & S. Augustino Dialogorum exempla, in iisque loca quædam notabiliora designabo, ut menti attentionem moveant, dataque occasione facilius occurrant.

Observatio I. Ad disputationem neminem trahit, nisi loco congruo, & opportuno tempore. Sic in Dialogo cum Hippia monet, se noluisse cum illo de proposita quæstione disserere in publico, sed privatim; „ dum „ intus, inquit, essemus in publico, tu„ que dissereres, quædam me verba subter„ fugerunt; piguit tamen perquirere, tum quòd turba intus erat plurima, tum etiam, ne orationi tuæ „ impedimento forem. „ Idem „ observo in dialogo, quem Demodocus ha„ buit cum Socrate. „ Opus inquit, habe„ bam, o Socrates, privatim tecum commu„ nicare, siquidem otium sit; vel etiam nego„ tium modò non omnino magnum: velim „ enim, mea causa otium agas. *Cui Socrates.*

Equi-

„ Equidem otioſus alioquin ſum, ſed tui
„ cauſa maximè.

Obſervatio. 2. *Materiam diſputationis ſumit congruentem perſonis colloquentibus, & præcedenti diſcurſui.* Sic Jo. Poetam jactantem ſuam in arte peritiam de Poeſi, Alcibiadem accedentem ad precandum Deum de modo precandi Deum, Euthyphronem accuſaturum coram tribunali parentes ſuos de ſanctitate convenit.

Obſervatio. 3. *De nulla materia diſputationem incipit, niſi in eadem collocutores bene verſatos, atque diſputationem de hac re iis gratamfore intellexerit.* Sic in Dialogo cum Theodoro & Thæteto ait: „ Nonne, o Theodore, præ
„ deſiderio eruditionis incido in ruſticita-
„ tem, cupiens vos in diſputationem addu-
„ cere, amicosque & collocutores invicem fie-
„ ri? *Theodorus.* Minime hoc, o Socrates, ruſticum ſit, & ut cœpiſti, ne dimittas. „ In Dialogo, *De Ente.* Zenonis diſcipulum in diſputationem adducturus, ait: „ Perconta-
„ ri hunc hoſpitem cupio, ſi modò gratum
„ illi futurum ſit, quid de his rebus familia-
„ res ejus ſentiant. *Theodorus.* At non grava-
„ tè, ut arbitror, hæc nobis exponet. Aut
„ quomodo dicis o Hoſpes? *Hoſpes.* Sic, o
„ Theodore; non gravabor enim, neque di-
„ ctu difficile eſt.

Obſervatio. 4. *Cavet, ne quævis diſputentur coram quolibet, ne pariant ſcandalum.* Sic in Dialogos *de Legibus*, in quo liberius diſputat de ſuorum Majorum ac patriæ legibus, Dial. 1. ait: „ Itaque ad præſens juvenes nulli
„ adſunt; ipſi verò propter ſenectutem ſi-
„ nè peccato ſoli de his inter nos diſſerere permittimur.

Obſervatio. 5. *Non ſolet ſe immiſcere diſputationi de rebus exigui momenti.* Sic in Dial. 6. *de Republica* ait: „ Nonne ridiculum eſt, in-

„ rebus minimis omne ſtudium ponere, &
„ obnoxiè contendere, quò quàm diligentiſ-
„ ſimè & ſinceriſſimè pertractentur; in maxi-
„ mis autem levem operam ſatis eſſe putare?

Obſervatio 6. *Humaniter invitat ad diſcurſum, non cogit.* In Dialogo, *de Amore.* "Cur,
„ inquit, non refers? apta quidem via eſt, quæ
„ ducit in urbem, & ad audiendum pariter,
„ & ad dicendum. Precibus noſtris obſequere,
& qui ſermones illi fuerint exponere. „ Sed
quando collocutor ultrò ſe ad diſſerendum ob-
tulit, ut gratum id ſibi futurum oſtendat, et-
iam cogere videtur ad diſputandum. In dialo-
go, *de Pulchro.* "Demum ita cogita, non eſſe
„ nos priùs abituros hinc, quàm tu dixeris,
„ quæ habere ajebas in pectore meliora; ſu-
„ mus enim ſoli, & in ſolitudine, ego au-
tem junior.

Obſervatio 7. *Non dicit ſuam ſententiam in principio diſcurſus, ſed finito tantùm diſcurſu.* Diſcurſum enim ſic inſtituit, ut collocuto-
res profiteantur ſe ſolùm quærere velle verita-
tem, non litigare de ſententia. Hinc diſcurſus
quærendo magis ac interrogando, quàm aſſe-
rendo, & probando progreditur. Quòd ſi
aliquando in progreſſu ipſius diſcurſus neceſ-
ſe fuerit, ſuam aperire mentem, id non agit
animo conteſtandi litem, ſed ut hanc ipſam
ſuam opinionem examini ſubjiciat. Id patet
ex omnibus Dialogis, & exemplis infrà re-
cenſendis.

Obſervatio 8. *In omni propoſita quæſtione clara rei definitionem ac diviſionem exigit.* In
Dialogo de Pulchro ait: "In omnibus uni-
cum principium iis, qui bene conſulere vo-
„ lunt, eſt intelligere, quid illud ſit, de quo
„ conſuluntur; vel omnino aberrare neceſſe
„ eſt. Pleroſque verò latet, quòd neſciant rei
„ ſubſtantiam. tanquam igitur ſcientes in diſ-
„ quiſitionis principio non declarant; pro-

ceden-

„ cedentes verò quod par est consequitur,
„ ut nec sibi nec aliis consentanea loquantur.
„ tibi igitur & mihi ne accidat, quod in aliis
„ damnans, quid sit amor, definitione ex con-
„ sensu posita cognoscamus. ' ' ' in unam
„ Ideam conspiciens passim dispersa conduc-
„ cat, quo singula definiens manifestum red-
„ dat semper id, quod docere instituit, que-
„ madmodum nos in præsenti, quid amor sit
„ definivimus: certè hinc disputatio nostra
„ claritatem in se habuit, constantemque
„ concordiam. Dein secundum species articu-
„ latim pro rerum natura dividat. hujusmodi
„ ego divisiones, collectionesque amo, quò
„ & intelligendi & loquendi sim compos,
„ eosque, qui id facere possunt, voco dia-
„ lecticos.

Observ. 9. *In progressu disputationis non facile cuipiam contradicit*. In Dial. 7. de Repub. ait:
„ Non me latet, quòd cùm primum adole-
„ scentuli disputationis artificium gustant,
„ eo protinus quasi ludo quodam ad refellen-
„ dum utuntur; eosque, qui confutant alios,
„ studiosè sectantes, & ipsi quoque alios redar-
„ guunt, ac distrahendi lacerandisque proxi-
„ mis catulorum more assiduè delectantur mi-
„ rum in modum; cùm verò plures convice-
„ rint, & à pluribus ipsi convicti fuerint, eò
„ confestim deveniunt, ut ex pristinis opinio-
„ nibus ratam nullam habeant. atque ex his &
„ ipsi & omnis Philosophia apud alios calu-
„ niniam reportarunt. At vir natu grandior
„ ab hac insania diligentiùs declinabit, ac ho-
„ minem indagandæ veritatis gratia differen-
„ tem imitabitur potiùs, quàm eum, qui jo-
„ candi causa versutiis, captiunculisque in-
„ cumbit; quin & ipse modestiùs se geret, &
„ disputandi studium ex infami reddet illu-
„ strius. „

Observatio. 10. *In discursu nullis unquam*

convitiis, ſed ſingulari manſuetudine erga omnes utitur. In Dial. 6. de Repub. „ Cauſam, ob „ quam multitudo Philoſophiam iniquo animo ſert, illi dant, qui cùm Philoſophiam „ profeſſi ſint, & inepti ad Philoſophiam, homines convitiis paſſim laceſſunt, & quaſi „ inimicitiis delectentur, ſemper hominibus „ obloquuntur, agentes rem Philoſophiæ minimè congruam. neque enim viro illi, qui „ omnem mentis aciem ad ea, quæ verè ſunt, „ direxit, otium ſupereſt, quo negotia hominum inferiora reſpiciat, cùmque illis pugnans invidiam & malevolentiam ſibi conflet. ſed ea, quæ ſemper eundem ſervant ordinem, contemplatur, quæ neque patiuntur, „ neque inferunt injuriam, omnia verò ornatè „ & ſecundùm rationem diſpoſita ſunt. atque „ hæc imitatur, hiſque ſe ſimillimum reddit. „ An putas fieri, ut illud non imitetur quis, „ cui cum amore admirabundus inhæret? quin etiam, ſi diſcernere cupies, quis animus Philoſophus ſit, aut non ſit, ſtatim à teneris annis id „ obſervabis, nunquid juſtus & mitis, an iniquus atq; agreſtis. In Dial. 9. " Mitibus illum verbis perſuadeamus, quia non ſponte delinquit. „ Et Dial. 5. " Si ſuccenſeat is, quem „ opinari dicimus, non cognoſcere, negetque „ nos vera loqui, quomodo eum mitigabimus, „ ſenſimque & blandè perſuadebimus, ſanæ „ mentis eum non eſſe? Et Dial. 10. "Quia autem hæc omnia nulla ratione, ut mentis „ compos quilibet diceret, moti deſpiciunt, „ quo pacto nunc eos manſuetis verbis corrigere, & primùm, quòd dii ſint, docere poſſumus? Audeamus tamen: nec enim decet ſimul inſanire, illis quidem voluptatis quodam ęſtro percitis, nobis verò in illos ira excandeſcentibus. quapropter omni concitatione animi extincta, pręmium ad eos, qui ita „ mente corrupti ſunt, aggrediamur, & quaſi

ad

ad unum eorum ita orationem manſuetè verta-
mus.

Obſerv. 11. *Quando diſputat contra apertè im-*
„ *probos, vehementiùs agit.* In Dial. 10. de Legi-
„ bus. "Vehementiùs quodammodo propter
„ impiorum hominum controverſias dixi-
„ mus; ſed hac de cauſa, o Clinia, contentioſa
„ uſi ſumus oratione, ne pravi ſe viciſſe putan-
„ tes licentiam ſibi datam credant faciendi,
„ quęcunque velint, & qualiacunque adverſus
„ Deos exiſtiment facienda; hac, inquam, de
„ cauſa, nova quadam & vehementiori dicen-
di ratione uſi ſumus. „

Obſerv. 12. *Quando agit contra Sophiſtas, ſeu contentioſos, tantùm eos impugnat, non verò docet.* Id patet ex Dialogo cum Hippia majore, qui cùm ſtatim in initio diſcurſus proderet nimiam ſui æſtimationem, & opinionis tenacitatem, non fuit à Socrate inſtructus de ſua ſententia, ſed tantùm convictus de falſitate opinionis, quam Hippias tuebatur. Idem obſervat in Dialogo cum Lyſide, viro contentioſo, vehemente, & facundo. Et cum Euthyphone.

Obſerv. 13. *Aliorum dicta, aut opiniones non niſi data licentia, aut per modum dubii diſcutit enucleatiùs.* In Dial. de Legibus. „ Si quis
„ inter nos veri & optimi diligens inveſtiga-
„ tor nonnihil in patriis cujusque legibus re-
„ prehendat, non gravi quidem, ſed æquo vi-
„ ciſſim animo ferre debemus. *Cliniæ.* Qua-
„ re ne parcas, ſed liberè leges noſtras repre-
„ hende; neque enim indecorum eſt, ſiquid
„ non probè ſe habet, noſſe; nam, ſi hinc quis
„ non cum invidia, ſed animo benevolo acci-
„ piat, remedium invenitur. *Athen.* Ego ve-
„ rò non reprehendam, antequam pro viri-
„ bus diligenter conſideravero, immò dubi-
„ tando potiùs verba faciam.

Obſervatio 14. *Quando in diſputatione in materiam incidit, quæ collocutoribus foret*

difficilis, eam solus pertractat. In Dial. 10. de Legibus. ,, Nunc verò, cùm ratio profundior adeunda sit, fermeq; vestris viribus non accessibilis, ne vertiginem, tenebrasque vobis faciat ad eas vos quęstiones deducēs, quibus cōsulti non estis, atq; hoc pacto dedecore tristitiaq; afficiat, periculū ita in me primò faciendum existimo, ut & meipsum interrogē, mihi ipsi si respondeam, & hoc pacto vobis in tuto audiētibus totā hanc disputationé pertranseā.

Observatio. 15. *Cavillatorias rationes, quæ ad substantiam rei parum contribuunt, negligit.* In Dial. 10. de Legibus. ,, Cavillatoriam rationem, fallacemque fugiamus; ne si fortè juvenilis illa ipsa nos senes fefellerit, ridiculos reddat; senes enim & viri non minutias, sed veritatem quærere consueverunt.

Observatio 16. *Suas rationes non solet vendere pro certis.* In Dialogo de Natura. ,, Cùm multa de mundi generatione à multis dicta sunt, ne mireris obsecro, si rationes de ea probatissimas afferre non possim. satis enim factum putare debebis, si non minus probabiles rationes, quàm quivis alius, attulerim. Æquum est meminisse, & me qui disseram, & vos qui indicabitis, homines esse, ut si probabilia dicantur, nihil ultrà requiratis. Et infrà. ,, Quòd si quis pulchriorem figuram à se electam ad mundi constitutionem afferre voluerit, ejus non tanquam adversarii, sed tanquam amici sit sententia potior.

Observ. 17. *In toto discursu nullam admittit obscuram dictionem, cujus non roget explicationem.* In Dialogo *de Pulchro* ,, Quòd dilucidè dixerit, si vis, tui gratia concedendum est; nam me quidem ob ignaviam meam, & imperitiam latuit.

Obs 18. *Authoritatem aliorum semper veneratur.* In Dial. *de Pulchro.* ,, Nunquam sapientum contemnenda sunt dicta, imò diligen-

„ genter, quid ſibi velint, conſideranda.
„ *Et infrà*. Priſci ſapientes viri & mulieres,
„ qui de his dixerunt & ſcripſerunt, redar-
„ guent me, ſi tui gratia conceſſero. *Phil.*
„ Quinam iſti? *Socrates*. In præſentia qui-
„ dem non ſatis memini, ſed tamen alicubi
„ audivi; quia plenum ſentio mihi pectus,
„ aliorum, & non deteriorum, quæ dici poſ-
„ ſunt. quòd verò ex meipſo nihil tale in-
„ venerim, ſatis ſcio, meæ inſcitiæ mihi
„ conſcius: reſtat igitur me inſtar vaſis ex
„ aliorum fontibus hauſiſſe.

Obſerv. 19. *Nullam authoritatem quoad omnia rejicit*: In Dialogo. *de Amore*. „ A-
„ micisſimus es, & verè aureus, ò Phœdre,
„ ſi me dicere putas, Lyſiam omnino aber-
„ raviſſe, ac poſſe præter hæc omnia alia
„ dici: hoc enim arbitror, ne deterrimo qui-
„ dem ſcriptori evenire. Et in Dial. 10. de
„ Legibus. „ Certè non abſurdum eſt, vi-
„ ros ſapientes probè dixiſſe; quare ſequamur
„ ipſos, inquiramuſq; quid intellexerint.

Obſerv. 20. *Finita diſputatione nulli obtrudit ſuam ſententiam, niſi ſponte eam amplecteretur. Pertinaces verò humaniter dimittit.* In Dialogo de Amore. „ Veritati quidem nunquam, ò di-
„ lecte, Agatho repugnare potes, Socrati verò
„ facillimè: verùm Agathonem jam dimit-
„ tam. Epictetus apud Arrianum l. 2. c. 12. de Socrate ait: „ Eum, cum quo colloquebatur, co-
„ gebat teſtem eſſe contra ſeipſum, nec ullo
„ alio teſte indigebat. Itaque licebat ei dice-
„ re: valeant reliqui omnes, ſatis ſemper mihi
„ eſt, habere teſtem eũ, qui mihi contradicit.

Hæc & multa alia obſervari merentur in Platone laude digna; ea tamen talia ac tanta non ſunt, ut Logica Platonica Ariſtotelicæ, aut Plato Ariſtoteli in Scholis preferri debeat. nam inprimis. Logica illa, ſi rectè tractari velit, eget prorſus ſummo ingenio. quo colloquẽ-

tium imperitia varia ac multiplex ſuavi ratio-
num vinculo ad veritatis ſemitam identidem
revocetur. Secundò, ea Logica non eſt apta
ad convincendos pertinaces, cùm nullis certis
legibus ad unum diſputationis ſcopum adver-
ſarium coercere poſſit. Tertiò non adſtringit,
ut ſingula objecti attributa diſtinctiùs ac enu-
cleatiùs conſideretur, quamvis id intendat,
& præcipiat. Econtrà in ſyllogiſmo Ariſto-
telico adſtringimur, ut attentionem noſtram
ſimul ac ſemel tantùm ad tres terminos con-
vertamus, donec ſucceſſivè omnium attribu-
torum objecti ad invicem diſtincta compara-
tio evoluta fuerit, quo nihil melius ad inve-
niendum verum excogitari poterit. Quod ve-
rò ipſos authores Platonem, & Ariſtotelem
attinet, idem fero, quod olim Em. Cardin.
Bellarminus in hac re tulit judicium, dum
enim à Romano Pontifice, prout in ejus vita
legitur, cõſuleretur, an expediret, ut in Scholis
Ariſtoteli ſubſtituetetur Plato; reſpondit,
in utroque reperiri errores, ſed eos in Ariſto-
tele tales eſſe, ut non facilè fidem inveniant;
in Platone verò venenum eſſe dulcius, con-
ditum mira eloquentia; adeoque Platonem
juventuti periculoſiorem fore, quàm Ariſto-
telem. In eandem ferme ſententiam de Pla-
tone loquitur Emin. Cardin. Fleury in ſua
ſtudiorum Methodo Gallicè edita. Sed ego
hic pro exemplo Dialogos Platonis caſti-
gatiores, & ad Logicam accommodatiores
feligam.

Exemplum I.

De utilitate, & ſcopo Philoſophiæ.

IN hoc Dialogo Plato oſtendit, officium
Philoſophi non eſſe ſcire quasvis res noci-
vas aut inutiles: neq; etiam, ut ſciat innumera-

utilia, quorum nimietate obruatur cum molestia, aut impediatur ab utilioribus; sed hoc esse officium Philosophi scire optima, nosse videlicet divina, & gubernare nosse humana. Divina Philosophus contemplatur per sapientiam, humana dirigit per Ethicam, Oeconomicam, Politicam. Dialogus sic habet in persona Socratis.

Dyonisii Grammatici ludum ingressus juvenes quosdam conspexi, qui videbantur facie valdè liberali supra cæteros, & claris orti parentibus: aderant autem & duo adolescentuli invicem contendentes, circulos describentes, & quasdam phæræ inclinationes depingentes cubito innixi & intenti admodum. Ego verò quæ esset eorum contentio haud satis adverteram: itaque alterius illorum amicum, juxta quem sedebam, cubito tangens interrogavi, quid ita contenderent adolescentes, & num magnum quiddam esset, & pulchrum? tum ille, quid inquit magnum & pulchrum? nugantur enim de sublimibus quibusdam & philosophantes garriunt. Hujus ego responsum admiratus, ò adolescens inquam, an turpe tibi philosophari videtur? curve tam acerbè respondes? alter verò, juxtà enim assidebat æmulus quidam istius, cùm & me interrogantem, & respondentem illum audisset, non expedit tibi Socrates, inquit, interrogare hunc, an turpe existimet esse Philosophiam, necne. an non vides ipsum in tumiditate quadam, & saturitate atque somnolentia universam ætatem egisse, ut credas aliud quidquam eum tibi responsurum, quàm quòd turpe sit Philosophia? hìc ego; pulchrum igitur tibi philosophari videtur? & maximè quidem, inquit ille. quid ergo, inquam, num videtur tibi fieri posse, ut norit quis, turpene sit aliquid an pulchrum, nisi priùs, quid ipsum sit, norit? Non nosti igitur quid est philosophari?

Novi equidem. Quid eſt? Quid aliud, quàm juxta Solonem? dicebat enim: *diſcenti aſſiduè multa ſenecta venit*. Et mihi videtur, ſemper ſic oportere aliquid diſcere eum hominem, qui Philoſophus futurus ſit, ut in vita qua plurima diſcat. Dein interrogavi, num ei Philoſophia idem quòd multa diſcere videretur. Et ille; omnino, inquit, exiſtimas, inquam, pulchrum aliquid ſolùm eſſe Philoſophiam, vel etiam bonum? & bonum, inquit. Utrùm Philoſophiæ id proprium facis, an etiam aliis eodem pacto tribuis, v. g. ſtudium Gymnaſticæ non modò pulchrum eſſe, ſed etiam bonum? tunc ille. & pulchrum & bonum ſimul eſſe fateor. Ergo in Gymnaſiis etiam multum laborem exiſtimas eſſe Gymnaſticæ ſtudium? Et maximè quidem quemadmodum in Philoſophia multa diſcere Philoſophiam puto. Ego verò, credis inquam, Gymnaſticæ ſtudioſos aliquid aliud appetere, quàm ut eorum corpora bene ſe habeant? idipſum inquit. Num multi labores bonam corporis habitudinem efficiunt? Moderatis, ò Socrates, laboribus non magnis, corpus ſeſe bene habere arbitror. Cibi autem, inquam, multi an moderati idem efficiunt? Et cibi ait moderati. Præterea compulicum, ut concederet reliqua omnia, quæ circa corpus verſantur, temperata quidem prodeſſe plurimùm, pauca verò vel nimia, nihil. Et ille moderata juvare, confeſſus eſt. At quæ ad animam ſpectant, inquam, cum moderata adhibentur, conducuntne magis, an immoderata? moderata. Diſciplinæ autem nonne ex immoderata iis ſunt, quæ animæ adhibentur & conferunt? conſenſit. Ex diſciplinis itaque quæ temperatæ ſunt, non quę multę, utilitatem afferunt. conſenſit. Qualia, inquam, eſſe conjicimus, quæ oportet Philoſophum diſcere, cùm neque omnia, neque multa ſequi debeat? Pulcherrimas ait,

atque

atque maximè congruas animo disciplinas eas esse, ex quibus maximam in Philosophia gloriam consequatur, maximam verò gloriam adipisci, si omnium artium peritus sit; & sit minus omnium, plurimarum certè, earumque præsertim, quæ æstimatione dignæ sunt, ea præ cæteris discens, quæ liberos homines decent, quæve intelligentiæ ratione, non ministerio manuum continentur. Atque ego, adhuc enim, quorsum tenderet, ambigebam, qualem inquam dicis esse virum Philosophum? An talem, quales sunt in certamine Pentathli, qui cursoribus & peltastis quidem inferiores sunt, reliquorum verò Athletarum primi atque victores? tale fortè aliquid dicis *Philosophos*, ut ab iis quidem, qui in qua vis arte supremi sunt, in eadem arte intelligentia superentur, reliquos verò antecedant, ut Philosophus in cunctis artibus secundæ cujusdam homo sortis existat? rectè, inquit, ò Socrates, accipis de Philosopho dicta. Est enim talis, ut nulli negotio servire penitus velit, neque in aliqua re ad summum elaborare, ne propter unius exactam diligentiam in aliis omnibus superetur, sicut superantur opifices, sed omnia mediocriter, temperatèque attingat. Post hanc responsionem cupiens pleniùs nosse, quid diceret; quid inquam Philosophos viros utiles an inutiles putas? ad hæc ille omnium maximè utiles esse Philosophos asseveravit. Age igitur dignoscamus, si tu vera dicis, quomodo utiles nobis sint isti secundæ sortis homines? manifestum enim est, quòd unoquoque artifice inferior est Philosophus, annuit. Age, inquam, si vel tu vel ex amicis aliquis ægrotaret, utrùm ad curam valetudinis domum induces Philosophum an Medicum? nemo ambigat, Medicum. Quid autem in navi fluctibus agitata, utrum te & tua gubernatori, an Philosopho committeres?

guber-

gubernatori inquit. Et in reliquis omnibus quantiſper artifex adeſt, Philoſopho non erit locus. Apparet, inquit. Philoſophus igitur nunc inutilis eſt, cùm artifices non deſint. Conceſſimus autem Philoſophiam bonam eſſe, & Philoſophos bonos eſſe; bonos autem utiles, malos econtra inutiles. Itaque Philoſophari non eſt circa artes ſtudiosè verſari, nec multis negotiis incumbere, aut multa perdiſcere, ſed aliud quiddam. His diſputatis tandem oſtendit, per hoc Philoſophos bonos eſſe, & utiles, quòd & bonos faciant, & malos coerceant; hoc autem faciunt per Ethicam, Politicam, & œconomicam.

Exemplum II.

De quærenda ſapientia.

IN hoc dialogo Demodocus conſulit Socratem, qualiter filium ſuum Theagem ſapientem efficere queat. Socrates ubi advertit. Theagem reipſa ſub prætextu ſapientiæ nihil aliud quærere, quàm dignitates in Republica, inſtitutionem Theagis detrectat ſub prætextu, reclamare ſuum dæmonium.

Demodocus, Opus habebam, ò Socrates, quædam privatim tecum communicare; ſiquidem otium ſit, vel etiam negotium modò non omnino magnum, velim enim mea cauſa otium agas. *Socrates*. Equidem otioſus & alioqui ſum, ſed tui cauſa maximè. ſi quid ergo dicere vis, licet. *Demodocus* Theages filius cupit, ut ipſe ait, ſapiens effici; & mihi jam pridem moleſtus eſt, ut pecuniam Sophiſto alicui, ipſum ſapientem reddat, perſolvam. Tu igitur peropportunè nobis obviam factus es, quem quidem in hac re mihi conſultorem maximè cupiebam.

Socrates, vulgò, ò Demedoce dicitur, con-

consilium res sacra est; & si unquam ullum aliud, hoc est inprimis de quo quæris. Primùm igitur censentiamus, quidnam hoc esse putemus, de quo consultamus, ne ego quidem aliud illud existimem, tu item aliud, ac deinde longè dissentiamus, ridiculi existentes ambo. *Demod.* Rectè mihi dicere videris, ò Socrates. Itaque faciendum censeo. *Socrates.* Rectè, inquam, non omnino tamen rectè. dubito enim, ne forte hic adolescentulus alia quædam quàm quæ nos rebamur, cupiat. Quod si alia, nos quoque absurdius faciamus de alio consultantes. Rectissimum igitur mihi videtur, ut ipsum, quid quærat rogemus. *Demod.* oprimum. *Socrates.* dic mihi Theages, cupisne sapiens esse, ac dignum existimas, ut pater hic tuus virum inveniat, qui te sua consuetudine sapientem reddat? *Theages.* Cupio. *Socrates.* Sapientes autem utrùm vocas homines scientiam habentes, quecunque illa sint. *Tbe.* Scientes equidem. *Socr.* Quid igitur, nonne nosti cytharam pulsare, palæstram & alia certamina? putas te præterea alia scientia indigere? quænam est illa quam expetis? Si cuperes eam, quà homines navigia gubernant, nonne responderes gubernatoriam? *Tbe.* Certè. *Socr.* Si autem cuperes illius te eruditum fieri, qua currus reguntur, nonne aurigoriam responderes? *Tbe.* Utique. *Socr.* Huic autem, quam appetis, quod est nomen? *Tbe.* quod aliud, quàm sapientiæ? *Socr.* Nonne etiam aurigaria sapientia est? an ignorantia tibi videtur? *Tbe.* Nullo modo. *Socr.* At gubernatoria, nonne & ipsa sapientia est? *Tbe.* mihi quidem videtur. *Socr.* Ea verò, quam nunc optas quænam sapientia, quidve eam adepti scimus? *Tbe.* Mihi quidem videtur ea, qùa scimus hominibus imperare. *Socr.* Num qua ægrotantibus? *Tbe* Minimè, ipsa enim medicina est. *Socr.* At qua canentibus

scimus

ſcimus in choro præeſſe? *Tbe.* Nequaquam. Muſica enim eſt. *Socr.* Sed utrùm qua certantibus præeſſe? *Tbe.* Nequaquam, Gymnaſtica enim eſt. *Socr.* Verùm qua quid facientibus? *Tbe.* Mihi planè videtur ea, qua his, qui in civitate. *Socr.* intelligo, quam artem dicis; videris enim non eam, qua metentibus præeſſe novimus, aut vindemiantibus, aut plantantibus; ipſa enim agricultura eſt. neque rurſus, qua vel ſecantibus, vel perforantibus, nam hæc ad fabros pertinet. Verùm fortaſſe, iis univerſis & agricolis & fabris, & artificibus omnibus ac privatis cunctis imperitamus, eam tu ſapientiam dicis. *Tbe.* Iſtam ipſam o Socrates. *Socr.* Periandrum non audiviſti apud Corinthios imperaſſe? *Tbe.* Equidem. *Socr.* Hippiam autem in hac urbe dominantem? *Tbe.* Quidni? *Socr.* Quo nomine Hippiam & Periandrum nomines? *Tbe.* Qui vocem, quàm tyrannos? *Socr.* Ergo tyrannidem optas? *Tbe.* Non cupis vi præeſſe, neque ut tyranni, ſed volentibus, quemadmodum alii in civitate bene morati ac boni viri. *Socr.* Quid verò ſi nobilis eques eſſe ſtudeas, & in ea arte ſapiens, ad quoſnam alios accederes quàm ad equites? *Tbe.* Ad nullos alios. *Socr.* Eodem modo, ſi optimè jaculandi artem diſcere cupias, ad eos, qui optimè jaculantur, proficiſceris. *Tbe.* Mihi quidem videtur. *Socr.* Age itaque poſtquam in civilibus eruditi vis, ut in iis ſapiens fias, ad alios accedendum putas, quàm ad hos civiles homines, Socrates qui præſunt civitatibus; *Tbe.* Audivi o ſermones, quos dicunt duos eſſe, civilium virorum libros nihilo meliores; quàm eerdonum eſſe. Inſipiens ergo ſim, ſi mihi perſuadeam, aliquem iſtorum mihi ſuam ſapientiam traditurum.

Demodocus. Ad te o Sacrates omnis poſthac oratio convertetur. Ego enim, ut breviſſimè

me loquar, me simul ac mea omnia trado, si hunc Theagem susceperis. *Socrates*. Equidem ò Demodoce, studium tuum minime admirer, cùm existimes, hunc à me juvari posse. Sed me ad id elegisse non convenit. Nullam enim ex istis beatis & pulchris disciplinis scio; verùm illud semper profiteor, me, ut ita dicam, nihil scire. *The*. Vides ò Pater, Socrates non vult mecum versari. *Socr*. Non ita, ò optime. sed hoc te fefellit, quale sit. Ego autem tibi dicam. Adest mihi divina quadam sorte dæmonium quoddam à prima pueritia me secutum; hoc enim vox est quædam, quæ cùm existit, semper ejus rei quam facturus sum, dissuasionem innuit, provocat verò nunquam, &c.

Exemplum. III.

De beata vita, unico Philosophiæ fine.

HUnc dialogum S. Augustinus cum amicis suis ipso die natalis sui, nempe 13. Novembris, habuit primo anno suæ conversionis. Ostendit autem, vitam beatam, quam unicam Philosophia quærit, nonnisi in Deo haberi posse. Dialogum dedicat Theodoro, ad quem sic præfatur: Si ad Philosophiæ portum, de quo jam in beatæ vitæ regionem solumque proceditur, vir humanissime Theodore, ratione institutus cursus & voluntas ipsa produceret; nescio utrùm temere dixerim, multò minoris numeri homines ad eum perventuros fuisse, quamvis nunc quoque, ut videmus, rari admodum paucique perveniant; cùm enim in hunc mundum sive Deus, sivè natura, sive voluntas nostra, veluti in quoddã procellosum solum nos quasi temere passimque projecerit, quotus quisque cognosceret, quo sibi nitendum esset, nisi aliquando & invitos con-

contraque obnitentes aliqua tempeſtas in optatiſſimam terram compingeret. Hi ſunt homines, quos lacrymabiles tragœdiæ fortunarum ſuarum, vel inanium negotiorum anxiæ difficultates, quaſi nihil aliud habentes quod agant; in libros doctorum, ſapientiſſimorumque hominum truſerunt, in ipſo quodammodo portu evigilant, undè illos nulla maris illius promiſſa nimium falsò ridentis extrudant. Et mihi immoranti ſuperfluis tempeſtas, quæ putabatur adverſa, ſuccurrit, vides in qua Philoſophia quaſi in portu navigem, ad ipſam beatam vitam jam parvo conatu accedam; quod ut plenius intelligas, quid afferam adverte. Idibus Novembris mihi natalis dies erat; poſt tam tenue prandium, ut ab eo nihil ingeniorum impediretur, omnes qui ſimul illo die convivebamur in balneas ad conſedendum vocavi. Quæſivimus inter nos de beata vita. Atque ego exordiens: Beatos eſſe nos volumus, inquam. Vix hoc effudēram, occurrerunt una voce conſentientes. Videturne vobis, inquam, beatus eſſe, qui quod vult non habet? negaverunt. Quid, omnis qui quod vult habet, beatus eſt? tum mater. Si bona, inquit, velit & habeat, beatus eſt; ſi autem mala velit, quamvis habeat, miſer eſt, Cui ego arridens, ipſam, inquam, prorſus mater arcem Philoſophiæ tenuiſti; nam tibi procul dubio verba defuerunt, ut non ſicut Tullius te modò panderes. Ecce, inquit omnes ajunt eſſe beatos, qui vivant ut ipſi velint. Falſum id quidem, velle enim quòd non deceat, idipſum miſerrimum nec tam miſerum eſt, non adipiſci quod velis, quàm adipiſci velle, quod non oporteat. Dein in hoc dialogo oſtendit, terrenorum bonorum nullam planè eſſe ex omni parte beatam poſſeſſionem, quia tranſeunt, & miſcentur miſeriis. Solius Dei cognitionem & fruitionem beatos reddere.

SE-

SECTIO II.

DE

Logica Raymundi Lulli, & Kircheri.

ARtem hanc describit Kircherus de *Arte combinatoria*. P. Knittel in sua *Via regia ad omnes scientias*, & P. Juvenalis in sua *Arte magna sciendi*. Consistit in eo, ut quis de qualibet re in promptu habeat multa attributa, & sic quàm longissimè de quavis re differere possit. Attributa quæ in quavis re considerari possunt, hoc ordine collocant:

Tabula Lulliana.

Quæstiones.	Subjecta.
1. An?	1. Deus.
2. Quid?	2. Angelus.
3. Cur?	3. Cœlum.
4. Quantum?	4 Elementa.
5. Quomodo?	5. Homo.
6. Quale?	6. Senſitivum.
7. Ubi?	7. Vegetativum.
8. Quando?	8. Minerale.
9. Quibuscum?	9. Inſtrumenta.

Accidantia naturalia.	Accidentia moralia virtutum.
1. Quantitas.	1. Juſtitia.
2. Qualitas.	2. Prudentia.
3. Relatio.	3. Fortitudo.
4. Actio.	4. Temperantia.
5. Paſſio.	5. Fides.
6. Ubi.	6. Spes.
7. Quando.	7. Charitas.
8. Situs.	8. Patientia.
9. Habitus.	9. Pietas.

Tabula Lulliana.

Prædicata absoluta.	*Prædicata relat.*
1. Bonitas.	1. Differentia.
2. Magnitudo.	2. Concordia.
3. Duratio.	3. Oppositio.
4. Potentia.	4. Principium.
5. Sapientia.	5. Medium.
6. Voluntas.	6. Finis.
7. Virtus.	7. Majoritas.
8. Veritas.	8. Æqualitas.
9. Gloria.	9. Minoritas.

Accidentia moralia vitiorum.	*Distinctiones.*
1. Avaritia.	1. Rationis.
2. Gula.	2. Formalis.
3. Luxuria.	3. Modalis
4. Superbia.	4. Realis.
5. Acedia.	5. Numerica.
6. Invidia.	6. Specifica.
7 Ira.	7. Generica.
8. Mendacium.	8. Subjectiva.
9. Inconstantia.	9. Objectiva.

Ex hac tabula facilè apparet, eam nihil aliud esse quàm decem prædicamenta Aristotelis; paululum aliter disposita, & quoad hoc non assignatur nova ars, ut quis in promptu habeat multa attributa; pauca enim hæc sunt. Artificium ergo novum consistit in conbinatione omnium horum attributorum inter se; ex tali enim combinatione prodeunt innumera prorsus attributa rei v. g. *bonitas* est tantùm unum attributum, sed cum eo possum combinare omnia reliqua attributa; possum enim considerare ipsam *magnitudinem* bonitatis, *potentiam* bonitatis, *durationem* bonitatis &c.

Artificium hoc combinatorium Kircherus sequenti tabula exposuit. In quo significatur per

B Bonitas.	Di. Differentia.
BB. Bonitas bonitatis.	C. Concordia.
M. Magnitudo.	O. Oppositio.
P. Potentia.	Pr. Principium.
S. Sapientia.	Me Medium.
D. Duratio.	F. Finis.
Vo. Voluntas.	Ma. Mojoritas.
Vi. Virtus.	Æ. Æqualitas.
Ve. Veritas.	Mi. Minoritas.
G. Gloria.	

Ubi ponuntur duo signa, v. g. M. B. magnitudo bonitatis. B. D. Bonitas durationis. Alterum semper importatur in genitivo. Kircherus loco litterarum initialium posuit alia signa v. g. loco concordiæ figuram humani cordis, sed hæc designatio videtur commodior.

Tabula

TABULA

Combinatoria.

1	2	3	4	5	6
B B	B M	B D	B P	B S	B Vo
M B	M M	M D	M P	M S	M Vo
D B	D M	D D	D P	D S	D Vo
P B	P M	P D	P P	P S	P Vo
S B	S M	S D	S P	S S	S Vo
Vo B	Vo M	Vo D	Vo P	Vo S	Vo Vo
Vi B	Vi M	Vi D	Vi P	Vi S	Vi Vo
Ve B	Ve M	Ve D	Ve P	Ve S	Ve Vo
G B	G M	G D	G P	G S	G Vo
Di B	Di M	Di D	Di P	Di S	Di Vo
C B	C M	C D	C P	C S	C Vo
O B	O M	O D	O P	O S	O Vo
Pr B	Pr M	Pr D	Pr P	Pr S	Pr Vo
Me B	Me M	Me D	Me P	Me S	Me Vo
F B	F M	F D	F P	F S	F Vo
Ma B	Ma M	Ma D	Ma P	Ma S	Ma Vo
Æ B	Æ M	Æ D	Æ P	Æ S	Æ Vo
Mi B	Mi M	Mi D	Mi P	Mi S	Mi Vo

TA-

TABULA

Combinatoria.

7	8	9	10	11	12
B Vi	B Ve	B G	B Di	B C	B O
M Vi	M Ve	M G	M Di	M C	M O
D Vi	D Ve	D G	D Di	D C	D O
P Vi	P Ve	P G	P Di	P C	P O
S Vi	S Ve	S G	S Di	S C	S O
VoVi	VoVe	Vo G	Vo Di	VoC	Vo O
Vi Vi	Vi Ve	Vi G	Vi Di	Vi C	Vi O
Ve Vi	Ve Ve	Ve G	Ve Di	Ve C	Ve O
G Vi	G Ve	G G	G Di	G C	G O
Di Vi	Di Ve	Di G	Di Di	Di C	Di O
C Vi	C Ve	C G	C Di	C C	C O
O Vi	O Ve	O G	O Di	O C	O O
Pr Vi	Pr Ve	Pr G	Pr Di	Pr C	Pr O
MeVi	MeVe	Me G	Me Di	MeC	Me O
F Vi	F Ve	F G	F Di	F C	F O
MaVi	MeVe	Ma G	Ma Di	MaC	Ma O
Æ Vi	Æ Ve	Æ G	Æ Di	Æ C	Æ O
MiVi	Mi Ve	Mi G	Mi Di	MiC	Mi O

TA-

TABULA

Combinatoria.

13	14	15	16	17	18
B Pr	B Me	B F	B Ma	B Æ	B Mi
M Pr	M Me	M F	M Ma	M Æ	M Mi
D Pr	D Me	D F	D Ma	D Æ	D Mi
P Pr	P Me	P F	P Ma	P Æ	P Mi
S Pr	S Me	S F	S Ma	S Æ	S Mi
Vo Pr	Vo Me	Vo F	Vo Ma	Vo Æ	Vo Mi
Vi Pr	Vi Me	Vi F	Vi Ma	Vi Æ	Vi Mi
Ve Pr	Ve Me	Ve F	Ve Ma	Ve Æ	Ve Mi
G Pr	G Me	G F	G Ma	G Æ	G Mi
Di Pr	Di Me	Di F	Di Ma	Di Æ	Di Mi
C Pr	C Me	C F	C Ma	C Æ	C Mi
O Pr	O Me	O F	O Ma	O Æ	O Mi
Pr Pr	Pr Me	Pr F	Pr Ma	Pr Æ	Pr Mi
Me Pr	Me Me	Me F	Me Ma	Me Æ	Me Mi
F Pr	F Me	F F	F Ma	F Æ	F Mi
Ma Pr	Ma Me	Ma F	Ma Ma	Ma Æ	Ma Mi
Æ Pr	Æ Me	Æ F	Æ Ma	Æ Æ	Æ Mi
Mi Pr	Mi Me	Mi F	Mi Ma	Mi Æ	Mi Mi

Usum ac praxin hujus tabulæ P. Knittel his verbis describit.

Si tibi est aliqua propositio probenda, dispice subitò, quod sit in illa subjectum, quod prædicatum; & reduc utrumque ad terminos congruos sive absolutos sive respectivos, & quære utrumque terminum in tabula, & ecce è regione statim invenies materiam probandi, & discurrendi abundantem. Exemplis declaremus. *Exemplum primum*. Est probanda hæc propositio: In Deo est infinitæ bonitatis diffusio. *Dei esse* est subjectum. *Diffusio bonitatis* est prædicatum. *Dei esse* reducitur ad B, & diffusio bonitatis etiam reducitur ad B. ergo quære BB in tabula; & en! e regione invenies BM. BD. &c. medios terminos sufficientes. v. g. accipe BM. & dic: Illud bonum, quod finè termino magnitudinis se diffundit, est diffusio bonitatis infinitæ: Sed &c. ergo.

Exemplum secundum. Probanda est propositio: Parentes sunt honorandi. Prædicatum reducitur ad G, subjectum ad Pr. quære ergo G Pr. & è regione invenies argumenta sive media plura, quam unquam designare possis. verb. gratia sumo G. Ma & dic. Majores sunt honorandi; Sed parentes sunt Majores; ergo sunt honorandi.

Si argumentorum seriem adhuc majorem habere vis, applica novem quæstiones verb. grat. ad BB *an* BB sit BM? an BD? & cætera per lineam ttansversalem. vel an sit MB? an DB? & cætera deorsum, vel etiam per lineas diametrales. sunt enim omnia convertibilia. Deinde applica, *quid*? deinde *cur*? & cætera similiter dicto modo. Potes insuper has quæstiones propositæ propositioni & mediis inventis applicando quæ-

rero,

rere, *an* ſint illa in novem ſubjectis? *Quid* ſint in illis? *cur*? &c.

Reliqua hujus artis præcepta quærantur in ipſis citatis Authoribus? Ego nolim in hac arte eſſe prolixior, quàm nulli conſulo. Sicut enim, dum ſcribo, non priùs cogitatione oberro per omnes alphabeti litteras, ut tandem inveniam illam, quæ eſt apta ad experimendam vocem, deſignatam ab animo; ſic dum quæro congruenter loqui ad ſcopum quæſtionis, non eſt neceſſe, ut cogitatione oberrem per tot prædicamenta, ſed dum lumine mentis circumſpicio in mundo meo intellectuali, in domo interna; dum refero omnia conclavia veluti totidem Antiquaria mentis, unico obtutu objectum, quod congruit, ultrò ſe offeret. Intellectus noſter eſt peritus typotheta, non examinat de novo ciſtulas & litteras, quoties componit verbum, ſed ex habitu in optatas incidit. Sic & periti ſunt Theologi, Philoſophi, Cauſidici; quamvis neſciant quærere in ciſtula ſpecierum B. vel C.

SECTIO III.

DE

Logica Antonii Arnaldi.

INter Neotericorum Logicas omnium celeberrima eſt Logica Antonii Arnaldi Doctoris quondam Sorbonici, ea prodiit ſub titulo: *L' art de penſer*. ſeu . *Ars cogitandi*. in hac, ubi multa de terminis, propoſitionibus, & ſyllogismis egerat, tandem affert generalem omnium ſyllogismorum tam complexorum, quàm incomplexorum regulam, qua ſola cognita regulæ cæteræ Peripateticę de ſyllogismis, figuris, ac modis non ſunt ampliùs neceſſariæ. Hanc regulam inſeruit quidem du Hamelius ſuæ Philoſophiæ Burgundiæ, ſed breviter . Cenſeo ipſis Peripateticis non ingratum fore, ſi artificium ipſius Authoris verbis proponam. Part. 3. C. 10. ſic habet:

Principium generale, cujus ope ſinè ulla ad figuras aut modos reductione ſtatui poteſt de omni ſyllogismo, legitimusne an vitioſus ſit?

Cùm propoſitio probanda offertur, id ſolùm negotii videtur dari, ut quis aliam propoſitionem notiorem inveniat, quæ primam illam ſtabiliat & confirmet, & quæ proin poterit appellari: *Propoſitio continens*. Sed quia ſecunda primam continere non poteſt expreſsè totidem verbis, ſic enim alia non eſſet, omnino neceſſe, ut tertia propoſitio adſciſcatur, quæ oſtendat, propoſitionem dictam, *continentem*, revera continere illam, quæ probanda eſt. Atque hæc ulti-

ultima propositio potest dici, *Propositio applicativa*.

In syllogismis affirmativis sæpe perinde est, quàm demum præmissarum dicamus, *continentem*, cum utraque aliqualiter conclusionem contineat, atque utraque mutuò ostendat, illam in altera contineri, v. g. si dubito, an homo impius sit miser; sic argumentabor:

Quicunque servit cupiditatibus, est miser:
Sed impius servit cupiditatibus;
Ergo impius est miser

Quamcunque præmissarum designaveris, poterit dici conclusionem continere; Idque ab altera ostendi nam conclusio continetur in majori, quia *serviens cupiditatibus*, *impium* sub se continet, id est, impius in illius extensione concluditur, estque ex inferioribus unum, prout à minori ostenditur. Conclusio etiam continetur in minori, quia serviens cupiditatibus in sua idea comprehendit ideam miseri, ut patet ex majori.

Nihilominus cùm Major ferè semper sit universalior, ut plurimum haberi poterit pro *continente*, uti & minor pro *applicativa*.

Ad syllogismos negativos quod spectat, cùm in illis unica tantùm propositio negativa inveniatur, negatioque solùm in negatione includatur, videtur, quòd propositio negativa semper debeat haberi pro *continente*, atque affirmativa pro *applicativa*, sive negativa sit Majot, ut in *Celarent Cesare*, *festino*; sive sit minor, ut in Camestres & Baroco, nam si hoc syllogismo suscipiam probandum, *nullum avarum esse beatum*.

Omnis beatus cupiditatibus vacat.
Nullus avarus cupiditatibus vacat;
Ergo nullus avarus eſt beatus.

Connaturalius eſt dicere, minorem, quæ negativa eſt, concluſionem continere, idque majorem oſtendere. nam hæc minor: *Nullus avarus cupiditatibus vacat*, omnino negans, *vacuum cupiditatibus de avaro*, viciſſim negat *beatum*, cùm major ſit, quæ oſtendit, *beatum* totaliter includi in extenſione carentis cupiditatibus.

Principium ergo generale hoc eſt: *Debet præmiſſarum altera continere concluſionem, idque ab altera oſtendi*: hoc fiet exemplis manifeſtius.

Exemplum. 1. Dubito, an hic ſyllogimus concludat.

Officium Chriſtiani eſt, eos non laudare, qui peccant.
Sed qui duello decernunt, peccant;
Ergo officium Chriſtiani eſt, eos non laudare, qui duello decernunt.

Hìc Major nihil differt à concluſione, niſi quòd major habeat, *eos qui peccant*, concluſio verò; *eos, qui duello decernunt*. Jam verò illa propoſitio, in qua habetur: *ii qui peccant*, illam aliam continebit, in qua eſt: *qui duello* decernunt, cùm *peccare* univerſaliter ſumptum in ſe contineat, duello decernere.

Exemplum 2. Dubito, an hic ſyllogiſmus concludat.

Evangelium ſpondet ſalutem Chriſtianis.
Quidam impii ſunt Chriſtiani.
Ergo Evangelium ſpondet ſalutem quibuſdam impiis.

Hìc animadvertendum eſt, majorem non poſſe continere concluſionem, niſi hæc vox, *Chriſtianis* ſumatur univerſaliter pro omnibus

Chri-

Chriſtianis, & non tantùm pro aliquibus, ſed tunc major falſa eſt. Malè autem concludit, ſi ſumatur tantùm pro aliquibus. nam ſic prima propoſitio non continet concluſionem.

Exemplum. 3. Perſpicuum eſt ex hoc eodem principio, ſequentem ſyllogiſmum non concludere.

Lex divina jubet, ut ſæculari Magiſtratui obediamus.
Epiſcopi non ſunt Magiſtratus ſæculares
Ergo lex divina non jubet, ut Epiſcopis obediamus.

Nam præmiſſarum neutra concluſionem continet. quia non ſequitur legem divinam cùm hoc jubet, illud aliud non jubere. Hinc etiam poteſt detegi fallacia hujus ſophiſmatis.

Qui dicit te eſſe animal, verum dicit:
Sed qui dicit te eſſe anſerem, dicit te eſſe animal;
Ergo, qui te dicit eſſe anſerem, verum dicit.

Reſpondere namque ſufficit, neutram præmiſſarum continere concluſionem. nam ſi major eam continret, oporteret, animal continere anſerem. Sed animal in majori ſumitur particulariter, ac proin anſerem continere non poteſt. Hinc etiam peti poteſt ſolutio Sophiſmatis quod D. Auguſtinus refert.

Nos es, quod ego ſum.
Ego ſum homo;
Ergo tu non es homo.

nam cùm concluſio ſit negativa, vox *homo* ſumetur univerſaliter; univerſale verò non continetur in particulari.

Hoc in Logica iſta principium Authori proprium eſt; & quia commendatione dignum,

in capite posui. Reliqua hujus Authoris in compendio sisto; ut saltem Peripatetici etiam Neotericorum succinctam notitiam habeant. Itaque tota Arnaldi Logica seu Ars cogitandi hæc est.

Proœmium.

1. *Logica* est ars bene utendi ratione rerum cognitione acquirenda tàm ad suiipsius, in quàm aliorum institutionem.

2. Elicitur hæc ars per quatuor præcipuas mentis operationes, apprehensionem, judicium, discursum, dispositionem.

3. *Apprehensionem* dicimus simplicem rerum, quæ menti sistuntur, contemplationem. Forma, sub qua res consideramus, *idea* dicitur.

4. *Judicium* illam mentis operationem dicimus, per quam varias ideas copulamus, vel disjungimus. Sic conjungendo ideam *muri*, & ideam *albedinis*, *murum album* esse affirmamus.

5. *Discursum* vocamus, dum ex una proportione infertur alia.

6. *Dispositio* vocatur illa mentis operatio, dum plures ideas, propositiones, & discursus de eodem objecto eo ordine disponimus, qui illi explicando maximè idoneus est.

Hæ operationes tantùm natura duce eliciuntur. Logicæ officium tantùm est, aliquas animadversiones facere circa ea, quæ in nobis natura operatur. Sic enim certi reddimur, nos ratione nostra rectè uti, facilius detegimus errores in quos labimur, detectosque aliis manifestamus, ac denique in accuratiorem mentis nostræ notitiam deducimur. Cæterùm, quia ideæ nostræ cum vocibus connexæ sunt, etiam illas considerare debet Logica.

PARS

PARS I.

De prima mentis operatione, seu Ideis.

Cap. I.

De idearum natura & origine.

PEr ideam non solùm intelliguntur illæ rerum imagines, quæ in phantasia & imaginatione depinguntur, dum res corporeas v. g. triangulum concipimus, sed etiam illæ imagines quibus res spirituales sine ulla similitudine rerum sensibilium intelliguntur. Falsum est, quòd pars maxima hominum judicat, se nihil posse concipere nisi per modum rei corporeæ. Nemo potest ea, quæ in mente fiunt cosiderare, quin statim agnoscat, se multa concipere, omni corporea imagine prorsus destituta. quid enim clarius ipsa cogitatione, qua cogitamus, concipimus? impossibile tamen est, cogitationem imaginari, ullamque illius figuram in cerebro effingere. Quænam etiam harum particularum affirmationis & negationis, *est*, & *non est*, in cerebro depingi possunt imagines? uterque tam qui affirmat, quàm qui negat terram esse rotundam, easdem in imaginatione servat imagines *terræ*, & *rotunditatis*. ille, qui affirmationem adjicit, addit mentis actionem, quam sine omni corporea imaginatione concipit. Alter negationem addit, quæ est aliæ mentis actio, & quæ multò minus depingi potest.

Hinc falsitatis convincuntur duo pernitiosissima dogmata, quæ quidam hoc sæculo Philosophi evulgavere. Primum est, nos nul-

lam ideam, ſi autem nullam habemus, nomen hoc *Deus* proferendo nihil aliud concipimus, quàm haſce quatuor litteras d. e. u. s. quod utique falſum eſt. Falſorum dogmatum alterum cujusdam Angli eſt, aſſerentis, ratiocinationem nihil eſſe aliud, quàm congeriem nominum catenatim per verbum, *eſt*, connexorum. Ex quo ſequeretur, nihil nos poſſe ratiocinando de rerum natura concludere.

Hinc etiam falſum eſt, quòd omnes ideæ ſolùm à ſenſibus originem trahant, ut quidam Philoſophus dicit, qui paſſim magni habetur; quaſi verò *nihil ſit in intellectu, quod priùs non fuerit in ſenſu*. Audater dicam, hanc opinionem abſurdiſſimam eſſe, & non minus Religioni, quàm veræ Philoſophiæ adverſari. Ut autem hinc nihil dicamus, quod indubitatum non ſit, quid quæſo ipſa cogitatione diſtinctius concipimus? quæ propoſitio hac clarior: *cógito; ergo ſum?* jam verò hoc clarum eſſe non poteſt, quin habeamus claram ideam *cogitationis*, & *entis*. Rogo, per quam demum ſenſuum januam in animum penetrarunt? lucidæne an coloratæ, ut per viſum? graveſne an acutæ, ut per auditum potuerint intraſſe? gratine odoris an fætent, ut per odoratum? cujus ſaporis, ut per guſtum? molles an duræ, ut per tactum aditum tibi ad mentem fecerint? ſi autem dicantur ex aliis ſenſibilibus imaginibus efformatæ, unà demonſtrandæ erunt ſenſibiles illæ imagines, è quibus hæ *cogitationis* & *entis* ideæ dicuntur emicuiſſe? & oſtendendum, quo demum modo emicuerint, an per compoſitionem, amplationem, diminutionem, aut ſimilitudinem. Quòd ſi his omnibus nihil reponi poterit, quod non ſit abs ratione alienum, fatendum erit, ideas *entis* & *cogitationis* nullo modo originem ducere

à ſen-

à ſenſibus, ſed mentem noſtram in ſe habere illarum efficiendarum vim, quamvis mens ſæpe excitetur ad eas efficiendas ab aliquo, quod ſenſus fuerit.

Dum verò dicunt Adverſarii, ideam, quam de Deo habemus, à ſenſibus ortam eſſe, quia illum venerandi ſenis inſtar concipimus, digna ſolis anthropomorphitis ſententia eſt, & quæ veras ideas, quas de rebus ſpiritualibus habemus, cum falſis imaginibus confundit, quas de iis malè omnium imaginandorum conſuetudine formamus, cùm non minus abſurdum ſit, velle imaginari illa quæ corporea non ſunt, quàm audire colores, ſonos videre.

Siquis objiciat, eodem tempore, quo rerum ſpiritualium ideas habemus, nos corpoream imaginem contemplari, ſaltem ſoni, qui rem ſignificat; ea imago tantùm ſoni non rei ſpiritualis v. g. *cogitationis* imago eſt. quod in ſurdis palam fit, quibus nullæ ſonorum ideæ obſervantur, cum tamen cogitationum ſuarum ideas habeant, dum de illis cogitant.

Cap. II.

De objectis idearum.

Quidquid concipitur, concipitur vel ut res ſeu ſubſtantia v. g. corpus. Vel ut modus v. g. rotunditas. Vel ut res modificata v. g. corpus rotundum.

Contingit autem ſæpe, ut res eadem in duas ideas diſpertiatur, quarum una eam, altera quaſi modum rei repræſentet v. g. dum concipimus *Deum* tanquam *ens infinitum*, vel hominem tanquam *rem* habentem *humanitatem*. Ut ergo ſciamus, quid revera modus ſit, dicendum, de natura veri modi eſſe,

ut ſubſtantia, cujus eſt modus, clarè ac diſtinctè poſſit concipi ſine illo; modus autem viciſſim non poſſit clarè concipi, niſi una concipiatur relatio, quam ad ſuam ſubſtantiam habet, ſine qua naturaliter nequit exiſtere.

Criſis. NB. Hìc non loquitur Author accuratè; poſſum enim clarè ac diſtinctè concipere ſubſtantiam v. g. Deum, ut vult ipſemet Author, ſed tantùm ſub uno vel altero prædicato eſſentiali, quin neceſſariò concipiam omnes illius perfectiones eſſentiales. Ex hoc tamen non ſequitur, reliquas omnes perfectiones eſſe veros modos, ſeu accidentia in Deo. Melius ergo feciſſent Neoterici, ſi manſiſſent in via antiqua, & trita, maximè quoad definitiones nominum; atque dixiſſent, illud eſſe verum accidens, ac modum, quod eſt ſeparabile à re.

Cap. III.

De decem Categoriis Ariſtotelis.

Poſtquam Author recenſuit decem prædicamenta Ariſtotelis, dicit ea non ſolùm inutilia, ſed etiam ſæpiſſimè nociva, idque ob duas cauſas. 1. Quòd videantur nonnullis in veritate fundata, ac ipſa natura rerum; cùm ea diviſio tantùm arbitraria ſit, ac eodem jure ex Neotericorum Philoſophia alia ſeptem Prædicamenta ſubſtitui poſſint, his verſiculis comprehenſa.

Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura,
Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

2. quia per iſta prædicamenta Ariſtotelica homines detinentur in ſolo verborum cor-

tice

tice, seque omnia scire putant, si valeant enumerare hæc nomina.

Cæterùm tam de Categoriis Aristotelis, quàm Raymundi Lulli, hoc fert judicium. *Aristotelis Logicam non tam prodesse ad ea, quæ ignoramus investiganda, quàm ad ea, quæ scimus aliis exponenda. Artem verò Lulli ad copiosè & sine judicio de iis, quæ nescimus, garriendum.*

Crisis. NB. Prædicamenta Aristotelis fundari in veritate, in iisque comprehendi præcipua objecta realia, quæ reperiuntur in mundo, per decursum Philosophiæ patebit. Quàm verò utile sit; ea objecta, quæ consideranda sunt, generatim ac distinctè & ordinatè memoriæ proponi, ex divisionis legibus liquet. Haud dubiè autem res considerandæ, dum ordinatè in memoria disponuntur, priùs per definitiones nominum, ac verborum corticem, quàm per accuratam considerationem notæ esse debent. Nugæ ergo sunt hæ Neotericorum adversus Logicam Aristotelicam querelæ, dum utique officium Logicæ non est, docere rerum scientiam, sed per ordinatam dispositionem considerandarum rerum ante oculos mentis mentem præparare ad scientiam.

Cap IV.

De ideis rerum, & ideis signorum.

Postquam Author divisit signa in naturalia, artificialia, certa, probabilia, conjuncta cum re significata, & separata. Tradit hæc axiomata.

1. Nunquam potest strictè concludi à præsentia signi ad presentiam rei signatæ. Dantur enim signa rerum absentium.

2. Res existens in uno statu potest esse

signum

ſignum ſuiipſius ut exiſtentis in alio ſtatu, v. g. Concionator prædicans in ſuo conclavi ſuiipſius prædicantis in cathedra.

3. Poteſt fieri, ut eadem res occultet & detegat aliam rem eodem tempore. v. gr. cinis fervidus tegit, & detegit ignem. figuram humana tegit & prodit Angelum. Symbola Euchariſtica tegunt & ſignificant Chriſtum.

Cap. V.

De idearum compoſitione, ſimplicitate, abſtratione.

Abſtractio fit tribus modis. 1. Dum unam partem conſideramus non conſiderando alteram rei, quæ eſt cum priori realiter eadem. v. gr. partem numeri contenarii. 2. Dum unum modum rei conſideramus, non conſiderando alterum identificatum. v. g. conſiderando longitudinem corporis, non latitudinem. 3. Dum conſideramus unum attributum non conſiderando alterum identificatum. v. g. conſiderando humanitatem in Petro non attendendo ad hoc individuum.

Criſis. NB. Meliùs etiam Author *abſtractionem* terminum uſitatiſſimum in Scholis ſumpſiſſet in ſenſu uſitato, cùm nullum in illa acceptione detur inconveniens. Sumitur autem abſtractio in Scholis tripliciter. 1. Dum accidens abſtrahitur à ſubſtantia, v. g. conſiderando rubedinem ex pomo abſtractam, non conſiderando pomum. 2. Dum cenſideratur unum prædicatum eſſentiale rei non conſiderando alterum identificatum, ſub quo modo comprehenduntur omnes tres modi Arnaldiani. 3. Dum conſideratur quælibet res ſine ſua individuatione. v. gr. cogitando de pomo, ut ſic.

Cap.

Cap. VI.

De universalitate, & singularitate idearum.

Hic agit more consueto de termino (universali, particulari, univoco æquivoco. In ideis universalibus duo vult distingui, *comprehensionem*, & *extensionem*.

Comprehensionem vocat illa attributa, quę ita in idea universali continentur, ut nulla demi possit, quin idea destruatur, sic comprehensio ideæ trianguli includit extensionem, figuram, tres lineas, tres angulos, horum angulorum æqualitatem cum duobus rectis. Extensionem vocat, species, quibus idea generica convenit, sic idea animalis extenditur ad hominem, leonem.

Crisis. NB. Comprehensio malè definitur ab Arnaldo. Multa enim adhuc supersunt attributa trianguli, quæ si non cognoscantur omnia, ab iis penes quos à tot sæculis erat talium nominum & loquendi potestas, non dicebatur comprehendi triangulum. Absurdi ergo sunt Neoterici, qui, dum toties inculcant, definitiones nominum esse arbitrarias, haud dubiè, humano generi, mutant tamen significationem omnium Veterum suomet, non generis humani arbitrio. Nova nomina liceat illis baptizare, non rebaptizare vetera.

Cap. VII.

De ideis quinque universalibus.

Agit de genere, specie, differentia, proprio, accidente, ut solet. Differentiam aliter definit, nempe, quòd sit primum attributum essentiale speciei, quod non comprehen-

ditur

ditur in idea generis. v. g. ſubſtantia genus dividitur in duas ſpecies, *Corpus* & *ſpiritum*. In corpore primum attributum eſt extenſio, in ſpiritu cogitatio itaque extenſio & cogitatio ſunt differentiæ ſubſtantiæ.

Criſis. NB. Falſum eſt, primum attributum corporis eſſe extenſionem, ut demonſtrabitur in Phyſica.

Cap. VIII.

De terminis complexis, eorumque univerſalitate.

Quando termino additur terminus, naſcitur terminus complexus. v. g. homo prudens, Alexander filius Philippi. Duo autem ſunt genera talium additamentorum, quorum alterum *explicativum* dici poteſt, alterum *determinativum*. *Explicativum* tantùm eſt, quando diſertis verbis explicat, quod prius tantùm latebat in idea univerſali, abſque eo tamen, quòd ideam univerſalem reſtringat. v. grat. *homo qui eſt animal ratione præditum*; vel *home mortalis*. quæ conveniunt omnibus hominibus. *Determinativum* eſt, quod terminum univerſalem reſtringit. verb. grat. *homines ſapientes*, *corpora pellucida*, *animal rationale*. Hinc fit, ut per additionem determinativam terminus univerſalis aliquando fiat ſingularis, verb. gratia *Papa nunc ſedens*. qui erat Alexander ſeptimus dum iſta ſcribebat Arnaldus.

Dein aliqui termini ſunt complexi quoad ſenſum. v. g. ſi quis in Gallia nominet *Regem*, aut in famalia *Herum*, Alii termini ſunt complexi quoad verba & ſenſum ſimul. v. g. *Princeps Philoſophorum*. intelligitur *Ariſtoteles*.

Omnia adjectiva aut connotativa ſunt

quoad

quoad ſenſum termini complexi. v. g. *album* ſubintelligit *ens* vel *corpus* album.

Denique bene notandum eſt, dari terminos complexos ſingulares, per æquivocationem tamen, quam *æquivocationem erroris* voco, univerſales. *Vera Religio*, *Pariſienſium Geometrarum maximus*, *hominum doctiſſimus*, *dexterimus*, *ditiſſimus &c.* reipſa ſunt termini ſingulares, quia tantùm una eſt vera Religio, & unus Geometrarum maximus; ſed quia diverſi homines per errorem alium hominem maximum, aliam Religionem veram exiſtimant, fit, ut terminus ſingularis per errorem & opinionem hominum applicetur pluribus objectis. Huc pertinent hæ loquendi formulæ, *authoris ſenſus*, qui licèt unus ſit, ex opinione tamen hominum eſt varius.

Criſis NB. Non benedicitur, tales terminos ſingulares per æquivocationem fieri univerſales. ſignificatum enim per nomen expreſſum non convenit pluribus, & nequidem per errorem ab eodem intellectu tribuitur pluribus, quod tamen requiritur ad rationem univerſalis, cùm ex ſuo conceptu, adeoque reſpectu ejuſdem intellectus debeat eſſe communicabile pluribus. Itaque quamvis nonnunquam rejiciãtur propoſitiones in *ſenſu authoris obvio*, *aut in ſenſu ab Authore intento*, non debet Arnaldus exiſtimare, cenſuram eſſe æquivocam, veluti tubam, quæ iucertum edat ſonum; quando per notas characteriſticas deſigno Petrum, non loquor æquivocè, ſi nomino Petrum, & quando per contextus, fragmenta, aut alias cuivis obvias circumſtantias deſigno ſenſum, non erit æquivoca loquendi formula, dum loquor de ſenſu Authoris obvio.

Cap. IX.

De idearum claritate, & obſcuritate aut confuſione.

Quamvis in ideis claritas aliud ſit, quàm diſtinctio, & obſcuritas aliud, quàm confuſio; ſumantur tamen iſta interea pro eodem. Quid ſint, exemplis patefiet.

1. Claram ideam habemus. 1. De re cogitante & ejus operationibus volitione, cogitatione, deſiderio. &c. 2. De ſubſtantia extenſa, & ejus proprietatibus, figura, motu &c. 3. De duratione, ordine, numero. 4. De Deo, ſecundùm aliquas tantùm perfectiones ſumpto.

Econtra obſcuram ideam habemus 1. De qualitatibus ſenſibilibus, colore, ſono, odore, frigore, calore, gravitate. 2. De qualitatibus occultis, ut verb. gr. attractivis.

Cauſa obſcuritatis harum idearum indè provenit.

Quando infantes eramus, mens ſenſit in ſe varias naſci affectiones præter ſuam voluntatem, idque dependenter à corporibus v. gr. calorem ob igne. Indè mens credidit, in objecto dari aliquid ſimile ſenſationibus, vel ſaltem ideis indè ortis, & propterea ipſos ſenſus caloris, coloris &c. tranſtulit in res, ex quibus naſcuntur tales ſenſus. Exindè ideo talium qualitatum, quatenus transferuntur in res ipſas, manent obſcuræ ac confuſæ. Id tamen mirum ac lepidum accidit, quòd dum homines calorem tribuerunt igni, non etiam ipſum dolorem ac uſtionem igni tribuerint.

Sed quamvis homines rectè judicaverint, dolorem non eſſe tribuendum igni, in alio

tamen

tamen errore versantur, dum dolorem tribuunt manui aut pedi, cùm tamen dolor non nisi menti insit. Verum quidem est, dolorem excitari per ea, quæ in manu fiunt, nempe ob motus naturali dispositioni contrarios, sed dolor in mente est. Hoc non tantùm agnitum est ab antiquis Philosophis, ut Cyreniacis, sed etiam ab Augustino multis in locis. *Dolores*, inquit l. 14. de Civ. c. 15. *qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne, & ex carne nam dolor carnis tantùm est offensio animæ, & quædam ab ejus passione dissensio. sicut animæ dolor, quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab bis rebus, quæ nobis nolentibus accidunt.* Et l. 7. de Gen. ad lit. c. 19. *cùm afflictiones corporis molestè sentis*, (anima) *actionem suam, qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento, impediri offenditur, & hæc offensio dolor dicitur.*

Dolorem verò, qui corporis nuncupatur, ad animam pertinere, non ad corpus, manifestum omnino fit ex eo, quòd illa quæ nobis cogitantibus dolorem inferunt, ne lædunt quidem, cùm mens vehementi applicatione aliàs distrahitur, ut videre est in Sacerdote Afro, de quo Augustinus l. 14. de Civ. c. 24. quando ei placebat, ad imitatas quasi lamentantis hominis voces ita se auferebat à sensibus, & jacebat simillimus mortuo, ut non solùm vellicantes & pungentes minimè sentiret, sed etiam aliquando igne ureretur admoto sine ullo doloris sensu, nisi postmodum ex vulnere.

Denique & id observandum, ne per ipsam quidem manum dolorem causari in anima, sed per nervos, & per motum spirituum intra nervos tanquam tubulos propagatum usque in cerebrum. nam si quid impediat, quo minus nervorum filamenta suum motum cerebro communicent, prout contingit

in

in apoplexia, aut paralysi, sine omni doloris sensu ferrum patietur & ignes. Cùm econtrà manus illi dolere poterit, qui caret manibus, quemadmodum sæpissimè iis accidit, quibus manus amputatæ sunt. quia si nervorum filamenta à manu ad cerebrum extensa prope cubitum, ubi in brachio truncato terminantur, moveantur, cerebrum eodem modo afficietur, quo afficeretur, ac si supereſſet manus. sic & imagines, quas in speculo intuemur, eo loco apparent, quo futuræ essent, si per directos radios aspicerentur.

Hæc sufficient, ut intelligamus fieri posse, ut anima è corpore separata igne inferni vel urgatorio torqueatur, imò eundem dolorem sentiat, quo quis afficeretur, si admoto igne ureretur, quia etiam tum, cùm anima corpori unita erat, illa cruciabatur, non corpus, dolorque nihil aliud erat quàm quædam animæ tristitia, qua affligebatur ob ea, quæ in corpore agebantur.

Inter ideas confusas etiam est idea *gravitatis*. dum enim ab infantia vidimus lapidem cadere deorsum, formavimus nobis duas ideas, unam lapidis, quæ vera est; alteram causæ, ob quam descendit lapis; eamque vocavimus *gravitatem*, quasi lapis moveretur ab intrinseco, & non à causa extrinseca propellente. Simili modo egimus, dum vidimus paleas attrahi à succino, ferrum à magnete. formavimus enim nobis idem virtutis seu qualitatis *attractivæ*.

Crisis. NB. Hìc Arnaldum potiùs lepidum existimo, quàm sensuum communem hominum, dum ex eo, quòd tribuamus igni calorem & lucem, non etiam eidem tribuamus dolorem, miratur. Nescit Arnaldus, instinctum naturalem hominum, aut lumen naturale esse quandam revelationem Dei circa eas veritates, quas scire generi humano inpri.

primis convenit. Jam verò, utrùm detur aliquid ſimile noſtris ideis in mundo corporeo, decet ſciri ab humano genere ad commendandum pulchritudinem divinorum operum, idque cùm id nulla alia ratione ſciri poterat ab anima, quæ utique neſciret, quid ſit extra ſe, Deus omnibus hominibus impreſſit naturalem propenſionem ac inclinationem invictiſſimam, ut magno impetu, ac præcipitantia abſque ulla hæſitatione judicarent, dari aliquid ſimile noſtris ideis in mundo corporeo, Deus ſic facere potuit, ſic conveniens erat ut faceret, & uniforme judicium hominum non poteſt habere aliam cauſam, niſi talem inſtinctum naturæ, quia ſi tale judicium dependeret à libertate humana, non eſſet univerſale ac uniforme in omnibus hominibus, cum contingentia, qualia ſunt judicia hominum libera, in innumeris circumſtantiis non procedant uniformiter. ergo evidens eſt, ex univerſali inſtinctu ac ſenſu hominum, etiam Carteſianorum, antequam hoc præjudicium depoſuerunt, dari qualitates ſimiles noſtris ideis in mundo corporeo. De dolore homines non habent talem inſtinctum, ut eum indicent eſſe extra corpus humanum; itaque ibi non erit. Quod Arnaldus dicit, dolorem eſſe in anima, verum dicit, quod dicit, eum tantùm eſſe in anima, dubium eſt; quod dicit, dolorem eſſe triſtitiam in anima, totus aberrat. Aliud enim eſſe dolorem, aliud eſſe triſtitiam, cuivis experimentaliter notum eſt. Deniq; dum nos confingere putat ideam virium motricium, iterùm errat. datur enim vis motrix, ea poteſt concipi, ea poteſt poni in corpore quocunque; itaq; non eſt idea talium virium aut falſa, aut ficta, aut obſcura; ſed quia mens ignorat, quibuſnam conditionibus, inſtrumentis, aut organis ea vis alligata

gata ſit in tali activo corpore, ideo obſcuritas talis ideæ non verſatur circa ipſam vim activam, ſed circa diſpoſitionem materiæ. Sic ſcio, dari in corpore humano vim motricem brachii, quæ eſt in anima; non erro concipiendo talem vim, ſed quibus inſtrumentis & diſpoſitionibus anima ad movendum brachium egeat, hoc eſt, quod accuratè non ſcio.

Cap. X.

Exemplum obſcurarum idearum ex Ethica.

Tales ſunt dum habemus falſam ideam veræ beatitudinis, veræ miſeriæ, veræ excellentiæ, veræ nobilitatis, veræ magnanimitatis, veræ fortitudinis &c. Sed hæc pertinent ad Ethicam. (*Criſis.*) D. Auguſtinus monet, ut paucis exemplis ad multa utilia utamur, non ut omnino utilia in mera exempla convertamus. non enim, ut Ariſtoteles obſervat, ſimul tradere ſcientias, & modum ſciendi convenit.

Cap. XI.

De confuſione idearum orta ex vocibus.

Notandum eſt, homines earundem rerum habere diverſas ideas, iiſdem tamen vocibus uti ad illas exprimendas. Idea virtutis alia eſt apud Philoſophum ethnicum, alia apud Theologum; uterque tamen eodem virtutis nomine utitur ad ſuam ideam exprimendam ſic & omne illud, quod in nobis eſt principium accretionis, ſenſationis, & cogitationis, *animam* nuncupavimus. Sed poſtea, dum in plantis principium accretionis

nis etiam vocaretur *anima*, huic eidem voci eandem ideam ſubjecimus. *Vitæ* nomen ſimul & illi facultati inditum eſt, undè functiones animales procedunt, & facultati cogitatrici, cùm tamen hæc duo diverſa ſint. Hæ voces *ſenſus*, *ſenſatio* ſimili æquivocatione laborant. Dum enim tria fiunt, cùm ſentimus, nempe motus in organo, v. g. aure. 2. Perceptio v. g. ſoni. 3. Judicium, quo judicamus rem perceptam eſſe extra nos, nos omnia confundendo in unum uno *ſenſus* vel *ſenſationis* nomine comprehendimus. Hinc dicimus, oculum videre, aurem audire, cùm tamen oculus, nec auris quidquam percipiat, aut judicet, nec ullum errorem ſenſus comittant.

Sed notandum eſt, hanc confuſionem idearum & errorem nominis æquivoci ſolùm tunc fieri, quando diverſæ res eodem nomine ſignificatæ aliquam cognationem ac connexionem inter ſe habent. quando enim idem nomen diverſas res ſignificat, quæ non ſolent ſimul ab hominibus concipi & conjungi in conceptu, nullum eſt periculum, ut quis æquivocatione deceptus eas inter ſe confundat. Sic *Aries* ſignificat ſtellam & animal, ſed nullus hæc duo unquam confundet.

Cap. XII.

De remedio vitandæ confuſionis.

Unicum remedium ſunt accuratæ definitiones nominis, per quas tamen non intelligitur nuda explicatio nominis, ut deſignetur res, eo modo, quo per alia nomina deſignantur, ſed qua accuratè deſignatur conceptus, ſub quo res concipiuntur, eo quòd eadem res diverſimode concipi poſſit. Ex hoc infertur. 1. Definitiones nominis eſſe arbi-

tra.

trarias, 2. Non esse movendam litem de definitione nominis. 3. Omnem definitionem nominis habere rationem principii per se noti.

In has leges vulgaris Philosophia impingit, quia primò definitionem rei cum definitione nominis confundit; nam cùm innumeras definitiones non nominum, sed rerum procuderet, reipsa tamen falsissimas, has tamen obtrudit pro principiis, quibus nefas sit refragari. Secundò, quia nominum definitionibus nunquam utitur ad obscuritatem amoliendam, nec illas certis quibusdam ideis clarè designatis affigit. Hinc evenit, ut maxima disputationum pars de nominibus tantùm instituatur. v. g. credunt, quòd ignis sit calidus, quod cuivis persuadent, quamdiu abstinent à definitionibus nominis: si autem definiant, & dicant, calidum esse, quod habet similem qualitatem illi, quam sentimus in animo; non poterit recipi pro principio, ignem esse calidum

Crisis. NB. Non ita se habet, definitiones usitatorum nominum esse arbitrarias; sed ubi erit varia nominis acceptio, per definitionem nominis licebit nobis designare, in qua acceptione nos terminum sumamus. Quod attinet *ignem calidum*, non necesse erat, hunc terminum definire, cùm ex communi Scholarum usu constet, hunc terminum accipi pro igne formaliter, & non tantùm causaliter calido. Itaque quamvis Peripatetici tales terminos non definiant, falsum tamen est; quòd eas veritates pro primis principiis obtrudant; sed assumunt eas per modum *postulati*, seu per modum veritatis alibi probatæ, vel aliundè certæ.

Cap.

Cap. XIII.

Obſervanda circa definitiones nominum.

1. Nomina rerum ſimplicium, quarum omnes homines naturaliter eaſdem ideas habent, ſuperfluè definienda non ſunt. tales voces ſunt. Ens, cogitatio, extenſio, duratio vel tempus.

2. Notæ ac jam receptæ definitiones non ſunt mutandæ, niſi in iis occurrat aliquid culpandum,

3. Cùm neceſſitatis definiendi nominis inceſſerit, ad uſum communem quàm proximè fieri poteſt eſt accedendum, nec notiones aliæ, quàm uſitatæ, vocibus aſſignandæ.

Cap. XIV.

De Interpretatione nominum.

Primò obſervandum, quòd per nomina excitentur quædam ideæ ſecundariæ nonnunquam præter ideam principalem, quæ eſt propria ſignificatio nominis. v. gr. ſiquis cuipiam diceret; *mentitus es*, ſi primaria notio ſpectetur, nihil aliud ſibi volunt illæ voces, quàm; probè noſti, non eſſe verum quod dicis. Sed huic primariæ ſignificationi uſus aliam, contemptus ſcilicet & opprobrii ideam conjunxit. Aliquando hæ ideæ ſecundariæ adduntur ex vocis intenſione, corporis diſtorſione, aut aliis ſignis externis. Sic Herus manifeſtat iram, vehementiori voce ſervo acclamans.

Secundò obſervandum, nonnunquam ſecundarias has ideas ipſis verbis adunitas eſſe, quia ordinariò illis prolatis in mente exci-

tantur. Hinc fit, ut verborum, quæ idem videntur ſignificare, quædam contumelioſa ſint, alia blanda; quædam verecunda, alia effera; quædam caſta, alia turpia, quia præter primariam ideam alias adjectitias habent, è quibus oritur hæc varietas. hęc notatio quorunquibus oritur hæc varietas. hęc notatio quorundam injuſtitiam propalare poteſt, qui de illatis opprobriis conquerentes frequenter nomina ſubſtantiva in adjectiva commutant. Si *ignorantiæ* & *falſitatis* accuſentur, ſe ignaros falſarioſq; cognominatos proclamant. quod tamen eſt à ratione alienum, cùm illa nomina ejuſdem ſignificationis non ſint. Nomina enim adjectiva *ignarus*, *falſarius* præter notata vitia contemptus ideam includunt, cùm tamen ignorantia & falſitas rem prout eſt ſine ulla acceſſione ſignificent quin immò alia nomina inveniri fortè poſſunt, quæ idem ſignificent, ſed adjecta idea blanda & demulcente, quæque deſiderium teſtentur, illius fatę parcendi, in quem dicuntur. Talibus autem vocibus utuntur viri prudentes ac moderati, niſi peculiaris aliqua ratio exigat, ut res majori vehementia & acrimonia agatur.

Hinc etiam cognoſci poteſt diſcrimen inter genus orationis ſimplex & figuratum. v. g. ſi quis hoſti ſuo diceret: *non eſt uſqiadeo miſerum, mori*. languidum videretur, ſi verò uſurpet illud Virgilii. *Uſque adeonè mori miſerum eſt?* præter rem ſignificat inſuper fortitudinem animi & contemptum generoſum mortis. Hinc figuratæ locutiones, quando cbmmovendi ſunt affectus, plurimùm contribuunt; verba enim docent, ſed figuræ repræſentant internos affectus animi, ex quorum vivo contuitu formantur in ſimiles motus mentes audientium juxta illud:

Si vis me flere, dolendum eſt
primùm ipſi tibi.

Exinde etiam patet, falſum eſſe, quòd Stoi-

ci

ci dicebant, nullas dari impudicas voces ; nec enim rationem habuerunt ſecundariarum idearum , quas mens primariis adjungit . Sic *adulterium, incæſtus , peccatum abominandum* , nomina obſcæna non ſunt , licèt res maximè obſcænas ſignificent , quia illas tantùm exhibent obtectas idea ſecundaria horroris , tanquam velo , ita ut hæ voces non tam actiones ipſas , quàm actionum flagitia ſignificare videantur . Econtrà ſunt aliæ voces , quæ easdem actiones nullo imiſſo horrore ſignificant, imò illas potiùs ut gratas placenteſque, quàm ut flagitioſas notant , idea effrontis animi , turpitudinem propalantis ac impudenter oſtentantis ſuperaddita . Et hæ illæ voces ſunt, quæ turpes & impudicæ vocantur . Idem dicendum de quibuſdam circumlocutionibus , quibus actiones quædam publicè exprimuntur , quæ quamvis legitimæ , nonnihil tamen corruptæ naturæ admixtum habent . Tales quippe verborum circuitus non tantum res ipſas ſimpliciter exprimunt, ſed una probam dicentis diſpoſitionem , adeò ut palam fiat è prudenti cautela quam adhibet , eum nonniſi gravatè & coactè de illis loqui , illaſque velle & ſibi & aliis obvelatas . Cùm econtrà qui de iiſdem aliter & liberiùs loquuntur , oſtendunt ſe in iis contemplandis cum delectatione verſari , quæ delectatio cùm turpis ſit, mirum non eſt , voces illius turpitudinis ideam habentes turpes cenſeri & inverecundas. Hanc ob cauſam evenit aliquando , ut vox aliqua , quæ aliàs caſta fuit , turpis poſtea evadat; nec in tali caſu pro excuſatione ſufficit dicere , talem terminum in SS. Patribus , aut etiam Scriptura uſurpari; quia his terminis idea obſcænitatis cujuſdam ex poſterorum uſu acceſſit , maximè in lingua vernacula .

Cap. XV.

De ſenſu ſecundario particulæ demonſtrativæ hic.

Particula demonſtrativa hic, vel hoc primariò ſignificat rem aliquam præſentem confuſè ac genericè ſumptam, dum verò addimus in conceptu attributa rei deſignatæ v.g. gemmæ, hoc jam pertinet ad ideas ſecundarias, quas principali ſignificato ſuperaddit. Hinc dum in conſecratione dicitur: *Hoc eſt corpus meum*; Primarium ſignificatum particulæ demonſtrativæ idem manet, videlicet aliqua res præſens; & ſolùm mutatur ſignificatum ſecundarium, ſeu ideæ adſcititiæ, nempe, idea panis cui ſubſtituitur idea corporis Chriſti.

PARS II.

De ſecunda mentis operatione.

Cap. I.

De Vocibus.

Agitur de nomine, pronomine, relativis, eorumque ſenſu.

Cap. II.

De Verbo.

Oſtendit, qualiter verba præter affirmationem etiam ſignificent perſonam, numerum, tempus.

Cap.

Cap. III.

De propoſitione.

Agit de ſubjecto, prædicato, ſeu attributo, de propoſitione affirmativa, negativa, univerſali, particulari.

Cap. IV.

De oppoſitione propoſitionum.

Agit de contradictoriis, contrariis, ſubalternis, ſubcontrariis.

Cap. V.

De propoſitionibus complexis.

Una propoſitio eſt, cujus eſt unum ſubjectum & prædicatum. quando ex parte ſubjecti, vel prædicati, vel ex parte utriuſque dantur propoſitiones incidentes, adhuc tamen eſt una propoſitio. v. gr. *Qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, is regnum cœlorum poſſidebit.* 2. Alexander, qui fuit Regum fortiſſimus, Darium ſuperavit. 3. Beatus ille, procul negotiis

Ut priſca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet ſuis
Solutus omni fœnore.

4. Ille ego qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egreſſus ſylvis vicina coegi,
Ut quamvis avido parerent arva colono
Gratum opus agricolis. At nunc horrentia Martis

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus lavinaque venit littora.

Hæc omnia sunt una propositio.

Cap. VI.

De natura propositionum incidentium.

Propositiones Incidentes funguntur officio adjectivi seu addidamenti ad substantivum. Tale autem vel est determinativum vel explicativum, prout in prima parte dictum est. Quando est explicativum, ita ut additamentum universalitatem in idea termini non immutet, pronomen omitti potest, & ipsum subjectum pronomini substituti. v. gr. *Homines qui sunt creati ad gloriam Dei sunt redempti*. Possum dicere: homines sunt creati ad gloriam Dei. Quando verò pronomen est determinativum; ita ut restringatur universalitas subjecti. v. gr. *Homines qui sunt pii salvantur*. Non possum dicere: homines sunt pii, Sed prædicatum *salvari* convenit *homini* & *pietati* simul junctis

Secundò potest contingere, ut uni termino conveniant plures propositiones incidentes, in quarum una pronomen sit explicativum, in altera determinativum v.g. *Doctrina, quæ collocat summum bonum corporis, quæ fuit tradita ab Epicuro, est indigna in voluptate Philosopho*. In prima propositione incidente, *quæ collocat* &c, Pronomen est determinativum, in altera; *quæ fuit tradita*, pronomen est explicativum. Hinc dici potest, doctrina, quæ collocat summum bonum in voluptate corporis, tradita fuit ab Epicuro.

Tertiò notandum, utrùm pronomen sit

de

determinativum, an explicativum, desumendum esse ex sensu & intentione loquentis,

Cap. VII.

De falsitate in terminis complexis & propositionibus incidentibus.

Notandum 1. Veritatem propositionis principalis non tolli per falsitatem propositionis incidentis, nisi prædicatum propositionis principalis habeat aliquam connexionem cum propositione incidente. verb. gr. vera est: *Alexander M. qui fuit filius Absalonis, superavit Persas*; licèt incidens falsa sit. Econtrà falsa est: *Alexander, qui fuit filius Absalonis, fuit Saulis successor*.

Notandum 2. Terminos complexos in titulis solùm honorariis non falsificare propositionem. Sic quia olim Episcopi sancti & sanctissimi vocabantur, in colloquio Carthaginensi Episcopi Catholici minimè dubitarunt Donatistas Episcopos sic compellare. *Sanctissimus Petilianus dixit*. Hoc verum erat. si quis tamen dixisset: *castissimus Petilianus dixit*. Fortè id verum non erat.

Hæc duo notanda procedunt de terminis complexis, ubi additiones sunt explicativæ, non verò, ubi sunt determinativæ.

Cap. VIII.

Agit de propoſitione modali.

Cap. IX.

Agit de propoſitione copulativa, disjunctiva, conditionali, cauſali, relativa, diſcretiva. *Relativam* vocat, quæ continet comparationem vel relationem. v. g. ubi eſt theſaurus, ibi cor. qualis vita, talis mors. *Diſcretivam* vocat, ubi fiunt varia judicia, & varietas denotatur per *ſed*, *tamen*. v.g. fortuna opes, non animum auferre poteſt.

Cœlum, non animum mutant, qui peregrinantur. Ad veritatem propoſitionis diſcretivæ requiritur veritas utriuſque partis. Contradictoria illius eſt copulativa.

Criſis. NB. Hæc regula Arnaldi & abſurda & falſa eſt. Abſurda eſt, quia ipſa etiam prodoſitio diſcretiva eſt propoſitio copulativa, adeoque abſurdum eſt, illi contradictoriam aſſignare copulativam. Falſa autem eſt, quia propoſitioni copulativę, qualis eſt diſcretiva, pro contradictoria aſſignari debet disjunctiva. v.g. dum dico: *Cœlum, non animum mutant*. ſenſus eſt: *Cœlum mutant & animum non mutant*. Cui contradictoria eſt: *vel Cœlum non mutant, vel animum non mutant*.

Cap. X.

Hic agit de propoſitionibus exceptivis, excluſivis, comparativis, incœptivis, definitivis.

Excluſiva eſt, quæ ita prædicatum convenire deſignat ſubjecto, ut illi ſoli conveniat.

niat. v. g. *Nobilitas ſola eſt atque unica virtus*. Illi contradicitur. 1° Negando prædicatum convenire ſubjecto. v. g. dicendo, virtutem non reddere nobilem. 2. Aſſerendo, prædicatum aliis rebus convenire. verb. gr. dicendo, naſcendi fortem nobilem reddere. 3. Utrumque aſſerendo. v. g. dicendo, & virtutem & naſcendi fortem nobilitare. Prætereà notandum, dari propoſitiones exclu. ſivas quoad ſenſum. v. g.

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.
Qui gloriatur, in domino glorietur.
Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet.

Exceptivæ quę quoad ſolam phraſin ab excluſivis differunt, tales ſunt.

Avarus, niſi cùm moritur nihil rectè facit.
Nemo miſer, niſi comparatus.
Nemo leditur, niſi à ſeipſo.

Comparativæ etiam continent tacitè duas propoſitiones, tales ſunt illud Epicuri:

Dolor eſt malorum maximum.
Et illud Scripturæ:

Meliora ſunt vulnera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici.
Melior eſt ſapientia, quàm vires.

Hìc notandum; comparativum nonſemper ſupponere poſitivum, v. grat. dicitur in Scriptura: *Melius* eſt habitare cum dracone, quàm cum muliere litigioſa. & in Evangelio dicitur: *Melius* eſſet, ut illi ſuſpendatur

mola asinaria in collo, & demergatur in profundum maris, quàm ut minimum fidelium scandalizet. quin tamen bonum sit habitare cum dracone, hocque non solùm verum est, quando comparantur duo mala ad invicem, sed & in aliis casibus, quod celebri exemplo liquet. Disputaverat quondam S. Augustinus cum Gresconio Donatista. Dixerat Augustinus: *Traditiones nos* (Catholici) *vobis Donatistis probabilius objicimus*. Respondit: Cresconius *Si enim vos probabilius; nos ergo probabiliter; nam gradus iste, quod ante positum est, auget, non quod ante dictum est, improbat*. Sed primò S. Augustinus conquisitis ex S. Litteris exemplis hanc inanem subtilitatem retundit, citato inter reliqua ex Epistola ad Hebræos loco, in quo D. Paulus, postquam dixerat, terram quæ spinas profert, maledicto proximam esse, subjicit: *Confidimus autem de vobis fratres charissimi meliora*. *Non quia*, inquit Augustinus, *bona illa erant, quæ suprà dixerat, spinas proferre, & ustionem* mereri, dein affert aliud exemplum ex Virgilio, ubi loquens de illa insania, qua nonnulli,

Discissos nudis laniabant dentibus artus.

Addit:

Dii *meliora* piis, erroremque hostibus illum.

Incœptivæ & *desitivæ* etiam continent tacitè duas propositiones tales sunt:

Judæi post captivitatem Babylonicam desierunt uti antiquis litteris.

Lingua Latina desiit esse vulgaris ab annis quingentis in Italia.

Judæi quinto post Christum sæculo cœpere uti punctis loco vocalium.

Hìc notandum, licèt circa propoſitiones excluſivas, exceptivas, incœptivas, deſitivas variis modis poſſint proponi propoſitiones contradictoriæ, non tamen circa eas rectè contradici, ſi præcisè negentur, aut iis præponantur particulæ negativæ *Non*, determinando, utrùm negatio afficiat hanc vel illam partem propoſitionis taliter compoſitæ. verb. grat. ſi quis dicat: *Solus Epicurus ſummum bonum collocavit in voluptate*. Non rectè contradico dicendo; *Non ſolus Epicurus ſummum bonum collocavit in voluptate*. Sic enim non rectè declaro ſenſum meum, utrùm exiſtimem, Epicurum non poſuiſſe ſummum bonum in voluptate, vel utrùm credam, Epicurum in hac opinione non eſſe ſolitarium. Eodem modo, ſiquis perſpecta à me judicis æquitate quæreret. *Venalisne apud illum etiamnum eſt juſtitia?* non debeo ſimpliciter negare propoſitionem, quia ſic præberem anſam credendi, ſaltem aliquando ab eo fuiſſe venditam juſtitiam.

Criſis. NB. His omnibus Regulis Arnaldus potuiſſet parcere, ſi vel attendiſſet hanc ſolam; Quòd omnis propoſitio debeat dividi in tot diſtinctas propoſitiones; quot continet objecta affirmationis aut negationis; & quòd propoſitioni copulativæ contradicatur per disjunctivam.

Cap. XI.

De inveſtigando ſubjecto & prædicato propoſitionum.

Invehitur hìc Arnaldus in vulgarem Logicam Scholaſticam, quòd tantùm utatur propoſitionibus, in quibus ſubjectum & prædicatum ordinatè ac explicitè ponitur, nec aſſuefaciat tyrones ad propoſitiones uſitatas in communi modo loquendi, verb. gr. has. *Turpe eſt obſequi libidini*. Vel illa Pauli: *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia*. vel illa Virgilii.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari.

in quibus omnibus propoſitionibus id, quod primo loco ponitur, *Turpe*, *Quæſtus*, *felix*, eſt prædicatum. Tandem concludit; ſubjectum & prædicatum ex ſenſu deſumendum eſſe.

Criſis. NB. Logica vulgaris ſtatim ab initio de *Terminis* tradit ſimilia exempla, & ſimili modo nos remittit ad ſenſum propoſitionis; non itaque indiget monitore Arnaldo.

Cap. XII.

De inveſtigando ſenſu Univerſali vel particulari propoſitionum.

Prima Obſervatio. In duas ſpecies univerſalitas diſtinguenda eſt. una eſt Metaphyſica, altera Moralis. *Metaphyſica* eſt quæ nullam habet exceptionem, v. g. *Omnis homo eſt animal. Moralis* eſt, quæ habet exceptionem, & quæ procedit, dum res *ut plurimum* ita ſe habet. Tales propoſitiones Moraliter univerſales ſunt.

Illud Apoſtoli: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

Et: Omnes quæ ſua ſunt quærunt.

Illud Horatii.

Omnibus hoc vitium eſt cantoribus, inter amicos
Ut nunquam inducant animum cantare rogati.
Injuſſi nunquam deſiſtant.

Et. Mulieres ſunt garrulæ.
Adoleſcentes inconſtantes. & varii.
Senes laudatores temporis acti.

Moderatio circa tales propoſitiones duo præcipit: Unum eſt, ut ex univerſali propoſitione non ſtatim inferamus concluſionem particularem, v. gr. quemvis in particulari Cretenſem eſſe mendacem; niſi caſum illum particularem priùs ritè examinaverimus. Alterum eſt, ne tales propoſitiones univerſales ſtatim impugnemus, aut habeamus pro falſis, etiamſi poſſimus afferre aliquas inſtantias, in quibus à vero abludant. Nobis verò ſatis erit, ſi ab aliis ultra juſtos limites extendantur, oſten-

oſtendere, eas non debere tam ſtrictè ad litteram ſumi.

Obſervatio. 2. Sunt quædam propoſitiones, quæ inter Methaphyſicas numerari debent, licèt quasdam exceptiones habere poſſint, nimirum cùm hæ exceptiones exoticæ ſunt, qualesque ex uſu communi ſub his terminis universalibus non comprehenduntur. verb. grat. ſi dico: *Omnes homines habent duo brachia. Omnes homines utuntur voce ad pandenda animi ſenſa*. Inſulsè quis exciperet, dari monſtra, qui habeant quatuor brachia; & dari mutos. quia propoſitiones illæ universales ex ſenſu communi omnibus obvio ſolùm loquuntur de hominibus ſecundùm communem ordinem naturæ conſtitutis, ſub quo ordine nec monſtra comprehenduntur; nec muti.

Obſervatio 3. Dantur propoſitiones universales, quæ verificantur de generibus ſingulorum, non de ſingulis generum. verb. gr. omnia animalia fuerunt in arca Noe. Et quod Chriſtus Phariſæis ait: Decimatis omne olus. Et quod D. Paulus. Sicut & ego omnibus per omnia placeo.

Obſerv. 4. Aliquæ propoſitiones ſunt universales, inquantum pars prædicati rerrahitur ad ſubjectum. v. g. *Omnes homines ſunt juſti per gratiam JESU Chriſti* ſenſus eſt: Omnes homines juſti ſunt juſtificati per gratiam JESU Chriſti. Vel: *Sicut omnes per Adamum moriuntur, ita omnes per Jeſum Chriſtum vivificabuntur*. id eſt: omnes qui vivificantur, per Chriſtum vivificantur. Huc pertinent propoſitiones quædam moraliter universales. v. g. Germani ſunt in militia fortes, Batavi experti nautæ, Flandri boni pictores, Italia optimi comœdi. id eſt, ii, qui ex Germanis ſunt milites, qui ex Flandris pictores &c. eſſe cæteris nationibus præſtantiores.

Obſer-

Obſervatio 5. Dantur plures aliæ particularitatis notæ, quàm ſunt hæ: *Quidnam*, *aliquis*. v. g. *Sunt*, *qui exiſtimant*, vel: *non omnis*, *qui mihi dicit Domine Domine intrabit in regnum cœlorum*. vel *non omne peccatum crimen eſt*.

Obſervatio 6. Falſum eſt, quod traditur in ſummulis, propoſitiones indefinitas tantùm in materia neceſſaria eſſe univerſales, in materia verò contingenti eſſe particulares. nam omnis propoſitio indefinita etiam in materia contingente debet eſſe univerſalis ſaltem moraliter. Homines enim omnes tales propoſitiones rejiciunt, ut falſas niſi univerſalitate morali univerſaliter veræ ſint. Quis enim concederet has propoſitiones. v. grat. Urſos eſſe albos, homines eſſe nigros, Pariſienſes nobiles, Polonos Socinianos, Anglos tremulos Enthuſiaſtas, quamvis aliqui urſi, nempe in Nova Zembla, & aliqui homines, nempe in Æthiopia, & aliqui Pariſienſes nobiles ſint? econtrà veræ erunt, ſi dicam; *Galli ſunt inconſtantes*, *Itali iracundi*, *Germani proceri*, *Orientales voluptuoſi*. Poterit ergo hic alia diſtinctio adhiberi, ut propoſitiones indefinitæ in materia doctrinali dicantur univerſales, v. g. *Angeli ſunt incorporei*; in rebus verò facti, & narrationibus Hiſtoricis eſſe particulares. v. g. ubi in evangelio dicitur, *Milites plectentes ſpineam coronam impoſuerunt capiti ejus*.

Obſervatio. 7. Hæc nomina *populus*, *communitas* &c. non reddunt propoſitiones, quibus inſeruntur, univerſales, nec particulares, ſed ſingulares. v. g. Si dico: *Romani vicerunt carthaginem*. *Veneti bellum gerunt adverſus Turcam*. Hoc neque intelligitur de omnibus Romanis & Venetis, neque de majori parte, neque tantùm de aliquibus; ſed conſideratur totus populus inſtar unius hominis,

minis, qui per particulares agit tanquam ſua membra.

Cap. XIII.

De diviſione.

Præter regulas diviſionis ordinarias obſervat, diviſionem nec nimiam eſſe debere, nec nimis parcam. Petrus Ramus voluit, omnem diviſionem tantùm debere eſſe bimembrem. Sed cùm in ſcientiis quæratur claritas & facilitas, tria plurave membra rejici non debent. Nimiæ ſubdiviſiones obruunt mentem, & pariunt eoipſo confuſionem; *Confuſum enim eſt, quidquid in pulverem ſectum eſt.*

Cap. XIV.

De duplici ſubjecto propoſitionis, tanquam eodem.

Sic quamvis aer nos ambiens ſingulis momentis alius ſit, concipimus tamen eundem, dum dicimus: aerem frigidum factum eſſe calidum, cùm fortè frigido tantùm calidus ſucceſſerit. Ita de flumine loquentes dicimus hæc aqua heri turbida erat, cùm tamen non ſit eadem aqua. *In idem enim flumen*, inquit Seneca, *bis non deſcendimus; manet idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt*, Te corpore animantium loquimur, ac ſi ſemper idem eſſet, licèt non ſimus perſuaſi poſt decem annos ullam prioris materiæ particulam ſupereſſe. Auguſtus dicebat, ſe Urbem Romanam inveniſſe lateritiam, reliquiſſe marmoream. De civitate, domo, æde ſacra dicimus, quòd tali tempore deſtructa, alio tempore reſtituta fuerit. Clarum

ergo

ergo est, in similibus à nobis formari ideam confusam subjecti tanquã ejusdem, dum mens diversitatem, aut successionem subjectorum non adeo attentè percipit. Hinc & evidens est; illa verba: *Hoc est corpus meum*, nec rationi, nec communi loquendi usui repugnare, si sic explicentur; *Quod hoc momento panis est, alio momento est corpus meum.*

Cap. XV.

De definitione.

Tradit communes regulas. Sed in exemplis conatur ostendere, contra illas peccare definitiones Aristotelicas. v. g. dum *motus* definitur esse *actus entis in potentia prout est in potentia*. (*Crisis.*) Non enim putat per hoc ideam definiti reddi clariorem. Sed Arnaldus debuisset distingure claritatem conceptuum à claritate verborum, & ipsam claritatem debuisset distinguere in eam, quæ est ex suppositione; & eam quæ est absoluta. Sunt nonnunquàm verba obscura, quia sensus ob phrasin inusitatam non est statim obvius; potest autem sensus esse clarus, sicut contingit Gallo aut Italo, qui non intelligit rectè axiomata & phrases Germanicas. Potest etiam demonstratio in Astronomia esse clarissima ei, qui priùs claram habet notitiam Geometriæ; dum aliàs obscura manet. Sic etiam ingeniis non imbutis Philosophia abstracta, definitiones Aristotelicæ obscuræ manent, dum alii, qui omnia in mundo reali fieri censent, ut existunt in mundo intellectuali, easdem intelligunt & amant.

Cap.

Cap. XVI.

De propoſitionibus, in quibus rerum nomina tribuuntur ſignis.

Dicimus aliquando de imagine Cæſaris. *Hic eſt Cæſar.* vel de mappa Geographica Italiæ: *Hoc eſt Italia.* Quòd verò non liceat cuivis quidlibet pro ſua phantaſia aſſumere in rationem ſigni, & ſigno imponere nomen rei ſignificatæ, cuivis patet. Quis enim toleraret dicentem: *Lapis eſt equus. Aſinus eſt Rex Perſiæ* quamvis his res in ſua mente hæc ſigna deſtinaſſet. Itaque tradendæ ſunt regulæ, ſecundùm quas liceat vel non liceat, ſigno imponere nomen rei ſignificatæ. Sint ergo iſtæ.

Prima. Reſpectus remotiores, qui ſenſibus non apparent neque ipſi menti primo intuitu occurrunt, quique per meditationem demum elucent, nullo modo ſufficiunt, ut ſignis illico nomen rerum ſignatarum tribui rectè poſſit. Ita enim nullæ ferè res forent, inter quas tales reſpectus reperiri non poſſent. Neminique obſcurum eſt, quòd reſpectus atque ſimilitudines non ſtatim in oculos incurrentes non ſufficiant ad id, ut mens ad ſenſum figuræ perducatur.

Secunda. Non ſufficit, ut ſigno nomen rei ſignificatæ in primo ſtatim themate, quod de ea proponitur, tribui poſſit, ſiquis ſcit, eos, ad quos ſermo dirigitur, illud jam pro ſigno alterius rei plane diverſæ reputare. Scimus v. gr. Laurum ſignum eſſe victoriæ, & Oleam pacis, His autem licèt probe cognitis nemo inducitur, ut approbet ſermonem illius, qui Laurum Regi Chinenſium, Oleam Turcarum Imperatori ceu

ſignum

ſignum in animo ſuo deſtinaverit, inque horto deambulans alteri dixerit: En! Hæc Laurus eſt Rex Chinenſium, & hæc olea eſt Imperator Turcarum.

Tertia. Quævis præparatio, quæ mentem tantummodo in exſpectatione magnæ alicujus rei conſtituit, ita tamen eam non præparat, ut certam rem tanquam ſignum conſideret, nullo modo ſufficit, ut hinc ſigno nomen rei prima inſtitutione per id ſignificatæ jure tribui poſſit. Ratio ejus patet, quoniam non adeſt directa & propinqua conſequentia inter ideam magnitudinis & ideam ſigni; & ſic una non ducit mentem ad alteram.

Quarta. Tunc ſolùm licèt nomen rei ſignificatæ imponere ſigno, quando illi, ad quos ſermo dirigitur, aliquid pro ſigno jam reputant, & tantùm ſcire deſiderant, cujusnam rei ſignum ſit. Ita Joſephus Pharaoni reſpondere poterat, ſeptem vaccas pingues & ſeptem ſpicas plenas, quas per ſomnium viderat, eſſe ſeptem annos abundantes. quia probè noverat, Pharaonem de hoc tantùm eſſe ſollicitum, ſibique ipſi hanc movere quæſtionem. Quidnam eſt illud, quod hæ vaccæ pingues, & ſpicæ plenæ ſignificant? Ita Daniel optimè reſpondit Nabuchodonoſori; eum eſſe caput illud aureum, quod ipſi propoſuerat ſomnium. Ita & Deus Ezechieli oſtendens campum plenum oſſibus ait: *Hæc oſſa eſſe domum Iſrael.*

Hinc regulæ non obſtat, quod dicunt, in Scriptura *circumciſionem vocari fœdus*, quin priùs illi, ad quos dirigebatur Scriptura, circumciſionem pro ſigno habuerint. Fieri ergo poſſe, ut ipſa propoſitio ſimul, dum profertur, ſignificet aliquid eſſe ſignum, & cujus rei ſit ſignum. nam hæc propoſitio: Circumciſio eſt fœdus, non continetur in Scriptura

ptura. Sed priùs dicit Deus : *Ecce, fœdus, quod inter vos, & me firmum eſto.* Dein primùm Deus ſubjicit conditionem fœderis. *Omne maſculinum inter vos circumcidetur.* Itaque ex his regulis bene actum eſt, quod in his verbis: *Hoc eſt corpus meum:* omnes populi non deciderint pro ſenſu figurato, ſed pro reali. Quia Apoſtoli cùm panem non conſiderarent ut ſignum, adeòque de ejus ſignificatione non eſſent ſolliciti, Chriſtus, ſi tunc nomen rei ſigno tribuiſſet contra morem ab omnibus hominibus receptum, eos decepiſſet.

Cap. XVII. XVIII. XIX. XX.

De converſione propoſitionum.

Affirmatio eſt tantùm unio duarum idearum inter ſe: negatio verò eſt ſeparatio duarum idearum inter ſe. Hinc clarum eſt, parum referre, quam ideam primo loco ponam, quam ſecundo. Sed in converſione tali idearum ſeu ſubjecti ac prædicati ſolùm notandum eſt, ut ſervetur ſemper eadem ideæ extenſio, ſeu univerſalitas, & eadem comprehenſio ſeu natura.

Criſis Hìc Arnaldus affert regulas converſionis communes, ſed modo obſcuriſſimo v. g. ponit Axioma : 1. *Attributum in propoſitione affirmativa ponitur in ſubjecto ſecundùm omnem extenſionem, quàm ſubjectum habet in eadem propoſitione.* Senſus eſt: quòd prædicatum in hac v. g. propoſitione : *homo eſt animal*, ſumatur tantùm particulariter, & quidem non majori nec minori univerſalitate, quàm patet homo. Axioma 2. *Attributum propoſitionis affirmativæ affirmatur ſecundùm integram comprehenſionem.* Senſus eſt, quod ſi verb. grat. dicam : *Rectangulum eſt parallelogrammum,*

enum, affirmem de Rectangulo totum id, quod comprehenditur in idea parallelogrammi: nam si pars una deesset, non affirmaretur totum parallelogrammum.

PARS III.

De discursu, seu Syllogismo.

IN Proœmio observat, errores hominum non tam frequenter provenire à malis illationibus, & discursu, quàm à falsis principiis; & ideo majorem curam adhibendam esse in corrigendis præjudiciis, quàm cavendis consecutionibus erroneis.

Cap. I. De partibus syllogismi.

Cap. II. De syllogismo complexo. Talem vocat, in quo termini sunt complexi. v. g.

Omnis bonus Princeps à subditis diligitur:
Omnis Rex pius est bonus Princeps;
Ergo omnis Rex pius à subditis diligitur.

Cap. III. Regulæ generales syllogismi.

Cap. IV. De quatuor figuris.

Cap. V. Regulæ & Modi figuræ. 1.

Cap. VI. Regulæ & Modi figuræ. 2.

Cap. VII. Regulæ & Modi figuræ. 3.

Cap. VIII. Regulæ & Modi figuræ. 4.

In his omnibus Arnaldus affert communia, nisi quod subin loquatur obscuriùs, quàm Scholastici, & pro exemplis syllogismorum afferat syllogismos, de objecto aliàs utili, qualis est prior C. 2. (*Crisis*) Hoc tamen observo, tales syllogismos plerumque esse longiores, & ob materiæ diversitatem non solùm esse memoriæ difficiliores, sed etiam minus commodos, ad contuendam omnium syllogismorũ analogiam inter se. si enim in omnibus figu-

ris & modis retineo eandem materiam, & ſimpliciſſimam, qualis eſt in Summulis ordinariis, faciliùs intueor diverſitatem modorum & figurarum, utpote objecto ac ſubjecto manente eodem.

Cap. IX. De Syllogiſmis complexis.

Cùm plerique ſyllogiſmi communiter adhiberi ſoliti complexi ſint, nec de eorum bonitate judicari poſſit, quin reducantur ad ſyllogiſmos communes; videtur eſſe operæ prætium docere, quomodo ſyllogiſmi complexi ad ſimplices reducantur; cùm tamen hæc reductio videatur eſſe opus nimiæ ſubtilitatis, quæ à Gallis ſub vili nomine *Pedanterie* comprehendi ſolet, melius videtur, ſi pariles in aliis materiis contexantur ſyllogiſmi, ut ex eorum veritate aut falſitate appareat, an forma ſit legitima.

Exemplum. 1.

Divina lex jubet, ut Reges honoremus,

Ludovicus XIV. eſt Rex;

Ergo lex divina jubet, ut honorem Ludovicum XIV. Clarum eſt vim argumenti in his aliis propoſitionibus eſſe.

Reges ſunt honorandi:
Ludovicus XIV. eſt Rex;
Ergo Ludovicus XIV. eſt honorandus.

Itaque hæc propoſitio: *Lex divina jubet*, quæ principalis videtur in ſyllogiſmo, eſt tantùm incidens.

NB. Melius diceret Arnaldus, talem ſyllogiſmum in duos ſyllogiſmos dividendum, quorum poſterior ſit probatio Majoris, ſic:

Illud eſt agendum, quod lex divina jubet:

Sed

Sed lex divina jubet honorandos esse Reges;
Ergo Reges sunt honorandi.

Exemplum 2.

Debemus credere Scripturæ:
Traditio non est Scriptura;
Ergo non debemus credere traditioni.

Vitium hujus syllogismi apparet, si reducatur ad primam figuram. tunc enim apparebit Minorem esse negativam, sic:

Credendum Scripturæ est:
Traditio non est Scriptura;
Ergo credendum traditioni non est.

Exemplum 3.

Omnis bonus pastor paratus est animam ponere pro ovibus:
Sunt autem pauci pastores, qui sint parati animam ponere pro ovibus;
Ergo sunt pauci pastores boni.

Hic syllogismus videtur affirmativus in secunda figura, & sic malus per regulas. Sed si inspiciatur sensus, tam mimor, quàm conclusio est negativa. sensus enim est: Multi pastores non sunt parati &c. Ergo multi pastores non sunt pastores.

Exemplum 4.

Omnes illi, quibus eripi non possunt ea, quæ amant, extra inimicorum insidias positi sunt.
Sed illis, qui solum Deum amant, eripi non potest quod amant;
Ergo illi omnes, qui solum Deum amant, positi sunt extra inimicorum insidias.

Hic syllogismus in prima figura videtur habe-

habere Minorem negativam, & ideo esse vitiosus. Sed revera Minor est affirmativa; est enim hic sensus: *Omnes illi, qui Deum amant, ex eorum numero sunt, quibus ea, quæ amant, eripi non possunt.*

Exemplum 5.

Soli Dei amici sunt beati:
Sed sunt aliqui divites, qui non sunt amici Dei;
Ergo sunt aliqui divites, qui non sunt beati.

potest sic reddi:

Quisquis non est amicus Dei, beatus non est:
Sed sunt aliqui divites ex eorum numero, qui non sunt amici Dei;
Ergo sunt aliqui divites, qui non sunt beati.

Sic ergo Minor, quæ videbatur negativa, evasit affirmativa,

Exemplum 6.

Quidquid non habet partes, interire non potest per dissolutionem partium:
Sed anima nostra non habet partes;
Ergo anima nostra interire non potest per dissolutionem partium.

In hoc syllogismo videtur Minor esse negativa, adeòque totus syllogismus constare meris propositionibus negativis, cùm ex meris negativis nil sequatur Sed revera Minor est affirmativa, quia sensus est: *Anima nostra est res, quæ non habet partes*, sicut in Majori subjectum erat: *Id* seu *res*, quæ non habet partes.

Cap. X.

Principium Generale Sillogismorum.

Est illud, quod conclusio debeat contineri in una, præmissarum.

Cap XI.

Idem prosequitur.

Cap. XII.

De Sylogismis Conjunctivis.

Conjunctivos syllogismos vocat, quorum Major sic componitur ut integram conclusionem contineat. Sunt triplicis generis, conditionales, disjunctivi, copulativi.

In conditionali prima Majoris pars vocatur *antecedens* secunda *consequens*. v. g.

Si Deus est, amandus est.
Sed Deus est;
Ergo Deus amandus est.

Si est, est *antecedens*: *amandus est*, est *consequens*.

NB. Melius prima pars ab aliis vocatur conditio, secunda *conditionatum*.

Regula 1. Affirmato *antecedenti* in Minori rectè in consequente affirmatur *consequens*.

NB. Alii sic loquuntur: Purificata *conditione* in Minore rectè in conclusione infertur *conditionatum*, v. g.

Si materia prima non movetur à seipsa primus illi motus debuit inprimi à Deo?
Sed materia prima non movetur à seipsa;
Ergo primus motus illi debuit imprimi à Deo.

Regula 2. Sublato consequenti tollitur antecedens. v. g.

Si quispiam electorum perit, Deus fallitur:
Sec Deus non fallitur;
Ergo quispiam electorum non perit.

Sic D. Augustinus discurrit his verbis: *Horum si quispiam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit; quia non fallitur Deus.*

Regula 3. Affirmato consequente non licet inferre antecedens, v. g. mala est illatio:

Si Sinenses sunt Mahumetani, sunt infideles:
Sed sunt infideles;
Ergo sunt Mahumetani.

Regula 4. Negato antecedente non licet negare consequens. Sic est mala illatio:

Si Sinenses sunt Mahumetani, sunt infideles:
Sed non sunt Mahumetani;
Ergo non sunt infideles.

Hìc tamen notandum, esse syllogismos, qui hoc ultimo vitio laborare videntur, cùm tamen legitimi sint, eo quòd Major tacitè habeat sensum exclusivum. v. g. Juno apud Virgilium utitur ad Jovem hoc ratiocinio:

Si sine pace tua, atque invito Numine Troes
Italiam petiere, luant peccata, neque illos
Juveris auxilio. Sin tot responsa secuti,
Quæ Superi Manesque dabant, cur tua quisquam
Flectere jussa potest, aut cur nova condere fata.

Ponamus hanc orationem reduci ad hunc syllogismum.

Si Trojani invito Numine Italiam petiere, puniendi sunt.
Sed non petiere invito Numine:
Ergo puniendi non sunt:

hic syllogismus videri posset malus, & simillimus huic.

Si

Si Judas ſine vocatione Apoſtolus factus eſt, debuit à Deo rejici.
Sed non eſt factus Apoſtolus ſinè vocatione;
Ergo non debuit à Deo rejici.

Itaque dicendum, Majorem in priori Syllogismo eſſe excluſivam, ita ut ſenſus ſit: *Tunc tantùm puniendi ſunt Trojani, ſi iuvito Numine Italiam petiere.*

De Syllogismis disjunctivis, eſt

Regula 1. Uno disjunctionis membro in Minori rejecto, alterum in concluſione ſtabilitur v. g.

Qui peccant punientur vel in hac vita, vel in quadam altera:
In hac non omnes puniuntur;
Ergo punientur in altera.

Regula 2. Quando in Majori ſunt tria disjunctionis membra, tunc duobus in Minori rejectis, tertium ſtabilitur in concluſione. Sic D. Auguſtinus l. de mendacio diſcurrit.

Aut non eſt credendum bonis, aut credendum eſt iis, quos credimus debere aliquando mentiri, aut non eſt credendum, bonos aliquando mentiri.

Horum primum pernitioſum eſt, ſecundum ſtultum. Reſtat ergo ut nunquam mentiantur boni.

Regula 3. Uno disjunctionis membro in Majori affirmato in concluſione ſtabilitur alterum v. g.

D. Bernardus prædicans Cruciatum vel ſanctus erat, vel impoſtor:
Sed Sanctus erat;
Ergo impoſtor non erat.

De Syllogiſmis copulativis eſt

Regula 1. Quando propoſitionis copulativæ negativæ una pars in Minori ſtabilitur, altera in concluſione rejicitur. v. g.

Nemo poteſt duobus Dominis; ſervire, Deo & Mammonæ:
Avarus Mammonæ ſervit;
Ergo non ſervit Deo.

Regula 2. Econtra in tali ſyllogismo negata una parte in Minori non neceſſariò in concluſione ſtabilitur altera. v. g. non bene infertur:

Nemo poteſt duobus Dominis ſervire; Mammonæ, & Deo:
Sed prodigi non ſerviunt Mammonæ;
Ergo ſerviunt Deo.

Cap. XIII.

De Syllogismis Hypotheticis.

Syllogismum hypotheticum vocat quando ſola concluſio hypothetica eſt. v. g.

Omne corpus lumen quaquaverſum reflectens ſcabrum eſt.
Ergo, ſi luna lumen quaquaverſum reflectit, corpus ſcabrum eſt.

Conatur Arnaldus tales ſyllogiſmos hypotheticos ad categoricos in *Barbara*, *celarent*. &c. reducere; ſed modum, quo reducuntur, non oſtendit.

Cap. XIV. De Enthymemate.

Cap. XV. De Sorite.

Cap. XVI. De Dilemmate.

Cap. XVII. De Locis Topicis. Hìc Arnaldus more omnium Neotericorum contemnit Locos Topicos velut inutiles; eo quòd ab experientia conſtet, neminem, cùm diſcutienda eſt aliqua quæſtio, de his locis cogitare, aut ex iis probatiunculas quærere. Hinc & Quintilianum, quamvis aliàs magni hanc artem fecerit, faſſum eſſe, *cùm materia dicenda propoſita fuerit, non eſſe ſcrutanda ſingula, & velut oſtiatim pulſanda*

ea argumenta, ut ſciamus, an ad id probandum, quod intendimus, fortè reſpondeant. Ad hos Locos Topicos attendere rem ſimillimam eſſe, ac ſi quis ambulare volens attendere velit ad leges Geometricas, ſecundùm quas pes ditigitur à natura; aut ſiquis docere volens motum progreſſivum infanti, admoneat verb. gr. ſpiritus animales in hos nervos amandandos, tales in muſculis motus ciendos, pedem unum alteri præponendum, ac demum illi alteri inſiſtendum, donec prior promoveatur. ut enim habet S. Auguſtinus l. 2. de doct. Chriſt. C. 37. *Plerumque accidit, ut facilius homines eas res aſſequantur, propter quas diſcendas iſta diſcuntur, quàm talium præceptorum nodoſiſſimas & ſpinoſiſſimas diſciplinas. tanquam ſi quiſpiam dare volens præcepta ambulandi moneat, non eſſe levandum pedem poſteriorem, niſi cùm poſueris priorem; deinde minutatim quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat movere deſcribat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari poteſt, ſed facilius homines hæc faciendo ambulant, quàm animadvertunt, cùm faciunt aut intelligunt, cùm audiunt.* (Criſis) Sic illi. Verùm nimium, ut ſolent, præcipitantes in hac re judicant Neoterici non intelligentes naturam humani ingenii & naturam memoriæ. Id quidem conceſſerim, nec Rhetorem, nec Philoſophum, nec Teologum, nec cujusvis alterius ſcientiæ cultorem cogitare de his Locis Topicis, dum argumenta inquirit, & dum operatur ex his ipſis Locis Topicis. ſed hoc non probat, doctrinam de Locis topicis profundè inſculptam memoriæ inutilem eſſe. nam & Organœdus, & Cytharœdus, & pictor, & ſutor, & ſartor, & quivis alius artifex non ampliùs cogitat de regulis artis, dum operatur, quamvis ne-

mo dixerit, regulas artis fuiſſe inutiles. Immò eas ipſas regulas, quas tradit Arnaldus in ſua Logica, aut eas, quas tradunt alii, omnesque animadverſiones quæ traduntur in Logica, aliisve ſcientiis & artibus quis dixerit ſemper obverſari explicitè menti, dum Magiſtri artis rectiſſimè ſecundùm artem diſcurrunt? Non itaque omne illud inutile eſt, de quo actù non cogitamus, in direction artium. Dicant ergo Neoterici, quid & quomodo proſint regulæ artis v. g. Grammaticæ, aut Muſicæ, aut ſcriptoriæ, aut ſtatuariæ &c. dum de illis non cogitat artifex? dicam, quod Neoterici neſciunt: Hoc proſunt regulæ, ùt nobis forment naturam alteram. ut enim vulgò in proverbio eſt: conſuetudinem eſſe naturam alteram, ſic & habitus ac conſuetudines artium ſunt quædam natura altera humani ingenii, qua rectè conſtituta ultrò actus regulatiſſimi & ordinatiſſimi etiam nobis non cogitãtibus de cauſa erumpunt. ſi enim tanta eſt vis naturæ primitus à Deo conſtitutæ, ut per diſpoſitiones miras ac inenarrabiles humani ingenii occurrat memoriæ quod volumus, nobis non ſolùm nil de eo naturæ artificio cogitãtibus, ſed nec illud quovis conatu intelligentibus, quis neget per artes ſic eandem naturam diſponi poſſe, ut ſicut natura juxta exemplar divinæ ſapientiæ componitur, ſic eadem juxta ideam artis per regnlas ac præcepta ſimilem formam, vultumque induat. Sunt & naturæ ſui moduli ſicut in figulina, aut coquinaria, aut fuſoria; ſi modulus rectè à natura vel arte effingitur, exeunt vaſa honoris aut contumeliæ, amphoræ aut urceoli, rectum, diſtortum, pulchrum, turpiſſimum, ut tuletit modulus; ſit & ex humano ingenio diſpoſito exeunt cogitationes malæ aut bonæ, prout permiſerit ac formam impreſſerit modulus artis Logicæ, aquiſitus per præcepta verſa diu, diu reverſa habitus. Solet fieri, ut in ſenibus plerum-

que

que vigeat cana prudentia; quòd ſi ergo à talibus in arduo negotio petas conſilium; dicent: *ſic illis videri*, ſi inſtes, cur hoc magis præ altero eligant, offendes fortè, qui rationẽ afferat, plures invenies, qui nullã addiderint. An ergo in illo graviſſimo ſenum judicio nulla latet prudens ratio? latet enimverò, quis enim ſine ratione ſapientem dixerit; ſed cùm per longam annorum experientiam: ſic tandem oculus humanæ mentis optimè conſtitutus ſit, ut vaſto intuitu inter innumera errorum pericula non niſi rectum videat, contingit ut non opus habeat ſenilis prudentia laborioſo per annos præteritos reditu, quo per reflexionem ad experientias innumeras reddat ſuæ rationem ſcientiæ. Cedat ergo & Neotericorum immatura levitas antiquæ orbis ſapientiæ, quæ ſemper per Locos Topicos & didicit, & diſci poſſe exemplo ac experientia docuit. Faceſſat illa humani ingenii cum pede indocili atque indocto paritas. Ingenium ſpeciebus, & ordinato ſpecierum exercitu movetur ac regitur; potentia locomotiva ſpiritibus animalibus brutis, cœcis, & indomitis ſervili naturæ imperio dirigitur. Habet quidem libertas animæ in pauculos etiam animales ſpiritus veluti reliquorum ex cerebro directrices imperium, ſed & hoc non eſt abſolutum ac Monarchium, ſed directivum tantùm. quo ſingulos in membris ſingulis regat juxta leges ſuæ, ut ita dicam, provinciæ. In ſolo mentis imperio & cogitationum regno valent & audiuntur leges ad placitum: hìc ars præcipit, & obeditur; hìc ordinant vias publicas Loci Topici, hìc officinis ſingulis, quid vendant, ſuus inſcribitur titulus; intereſt plurimùm, habere vias paratas ac faciles, quibus quæras, noſſe, ubi quærendum; ac primo intuitu videre ſorum ordinatiſſimam exemplorum omnium poſſibilium in omni argumentorum

genere. Animus tuus te non reflexè ad ſingula cogitante iſta omnia videt, aut ſaltem hæc omnia ſimul motu ſuo in cerebro afferuntur & offeruntur animo, ut poſſit videre, ſi velit, quod velit, motus conſimilium & argumentorum & relationum conjungunt ſe ultrò tuæ, quàm diſcutis materiæ, & qua parte ſimiles modos tendendi ac ſimiles relationes recipit, eam ad ſimiles motus, formulaſque argumentorum ſtimulant; inde fit, ut illi, qui in Locis Topicis per profundam meditationem, ac exemplorum copiam exercitatiſſimus eſt, faciliùs occurrant, quæ quęſierit, argumenta. Sic clamat totius orbis experientia, & vanam Neotericorum ſubtilitatem nil profundè ultra corticem inveſtigantem confundit.

Cap. XVIII. *De Locis topicis in ſpecie.* quos ſecutus Claubergium, *limati judicii*, inquit, *rationiſque accuratæ Philoſophum*, in Grammaticos Logicos, & Metaphyſicos diſtinguit.

Criſis. NB. Quàm inconſtans ac varium eſt Arnaldi judicium! Claubergius in ſua *Logica Contracta*, ut vocat, nil tradit, quàm meras definitiones nominum, ut Ariſtoteles de Prædicamentis, nec inter Neotericos ullam pejorem quàm Claubergii Logicam reperi. Interim Arnaldo Ariſtoteles diſplicet, Claubergius placet, priore in pleriſque deteriior, in paucis nec illo melior.

Cap. XIX. *De Sophiſmate.* Affert communia. Niſi quòd ſemper afferat exempla ex Philoſophia Neotericorum, in iiſque ſupponat certa, quæ haud dubiè falſa ſunt'. (*Criſis*) Peccat ergo Arnaldus contra Methodum perpetuò, dum in doctrina Regularum Logicæ ſumit exempla ad minimùm dubia. Methodus ſuadet, ut ſicut regulæ debent eſſe certæ, etiam exem-

exempla extra controverſiam ſint. Alioquin cogemur in Logica fieri boni Phyſici, & ſic priùs diſcere ſcientias, antequam didicerimus Logicam, modum ſciendi.

Cap. XX.

Sophiſmata, quæ in converſatione communi ſolent contingere.

Hæc ſunt duplici generis; unum oritur ex inordinatione voluntatis, alterum ex rebus ipſis. Sunt autem iſta.

Primum eſt: ſophiſma *Philautiæ, utilitatis, & affectus.* Solet hoc contingere, quando aliqua dogmata ab integra natione, aut hominum profeſſione pro veris habentur, dum ab alia natione vel profeſſione univerſim rejiciuntur. Dum enim fieri nequit, ut aliud ſit verum in Hiſpania, aliud in Gallia, quid cauſæ eſt, ut tam diverſa ſentiant? v.g. cogitat quiſpiam, hujus ſum ego nationis; ergo mihi ſic ſentiendum, quod communiter creditur in hac Provincia: Hujus ſum ego Ordinis aut inſtituti; ergo mihi iſta opinio amplectenda. Solet nempe utilitas, aut affectio nos commonefacere, ut curatiori ſtudio eas rationes penſitemus, quæ ſtant pro parte, ex qua veritatem ſe tenere optamus. Verùm hoc pondus inclinationis non eſt æquilibrium veritatis.

Secundum eſt, ſophiſma ex æſtimatione aut amore hominum. Sæpe ſolet contingere, ut mutato affectu erga hominem etiam mutetur judicium. Sic habentur communiter pro temerariis, ſuperbis perfidis &c. qui novo crimine in aliorum odium inciderunt, cùm tamen priùs, dum adhuc erant in amoribus, vitæ integri, ſceleriſque puri haberentur. Quidquid deſiderant, id

æquum eſt, & factu facile: quidquid averſantur, id ingenium, & impoſſibile. Hi tales, quamvis formaliter non ſic ratiocinentur: *Amo hunc; ergo eſt hominum optimus: illum odi; ergo eſt peſſimus*: reipſa tamen hoc ordine cogitationum & affectuum procedunt.

Tertium eſt, ex præjudicio propriæ authoritatis. ſunt enim, qui ex præconcepta de ſuis ingeniis opinione univerſaliter credunt, *rationem à ſe ſtare, ac ſibi veritatem perſpectam eſſe*. Hinc credunt, ſufficere ad aſſenſum ab aliis extorquendum, ſi ſententiam ſuam clarè propoſuerint; & parum ſolliciti ſunt de ſententia propriis rationibus probanda; aliorum verò rationes negligunt. Omnia cupiunt authoritate ſtabilire, quia nunquam rationem ab authoritate diſtinguere didicerunt.

Quartum oritur ex hoc principio: *Si id eſſet verum, ego non eſſem vir doctus; ergo id non eſt verum*. Huc pertinent eorum pertinaciæ, qui ſeu in Medicina ſeu in Phyſica omnes novas doctrinas verb. gr. de circulatione ſanguinis rejiciunt, quia aliàs metuerent, ſuam antiquiorem inſtitutionem contemnendam.

Quintum eſt *ex cenſuris* contrariæ ſententiæ. familiarius nihil eſt, quàm audire homines, ubi diſſenſerint, ſibi invicem exprobrantes, opinatores, cavillatores, cupiditatum mancipia, &c. vocantes, vix binos repereris cauſidicos, qui ſibimetipſis procraſtinatas lites, veritatemque ſubdolè occultatam non objiciunt. Indè verò fit, ut per tot cavillationes via veritatis amittatur, vel ſpinis ſepiatur. Rectè S. Auguſtinus monet. *Omittamus* iſta communia, quæ dici ex utraque parte poſſunt.

Sextum eſt ex invidia, ergà eos, qui novi de-

dogmatis vel inventores ſunt, vel illuſtratores. Ita quemadmodum hanc quidam ridiculam ratiocinationem faciunt: *Hæc ſententia à me fuit excogitata, eſt propria mei ordinis, eſt utilis rebus meis; ergo eſt vera.* Ita non minus abſurdam ſtruunt, cogitando: *Hoc ego non dixi; ergo eſt falſum. Hunc ego librum non ſcripſi; ergo eſt malus.* Hinc oritur *contradictionis ſpiritus*. Hoc impulſi, dum aliena leguntur vel audiuntur, iis rationibus, quæ ad illa ſtabilienda faciunt, obiter tantùm prælibatis toti ſe conferunt ad ea remedia quæ in oppoſitum dici poſſunt. Semper in procinctu adverſus veritatem ſtant, de qua obſcuranda & propulſanda ſolùm cogitant, quod ipſis fermè ſemper ſuccedit ex voto, cùm humana mens inexhauſta abyſſus ſit falſarum rationum, Huc pertinent Scioli, quos Galli *Pedants* vocant. Hi gloriæ ducunt, de rebus minimis altercari, omnibuſque ſordidè ac malignè contradicere. Hoc vitium potiſſimùm exercetur erga eos, quos ſibi ægrè opinione aliorum præferri exiſtimant. Quapropter prudentes quantum poſſunt, eas, quibus alios antecellunt, dotes occultant, è conſpectu ſe eripiunt, plauſum fugiunt, malunt latere inter turbas, quo ſolam nudamque veritatem in ſcriptis propinent.

Septimum eſt vitium, diſputandi cacoethes. Non per hoc ſentiendum, generatim diſputationes improbari debere; econtrà dici poterit; modo debitè uſurpetur, nihil illis eſſe ad ingenia acuenda, ad argumenta excogitanda utilius, ſive invenienda veritas ſit, ſive aliis demonſtranda. animi motus in rei cujuſpiam nudo examine ſolitariè verſantis ut plurimùm torpet, languetque, adeò ut opus aliquo calore ſit, quo excitetur, quo latentes ideæ expergefiant, atque evocentur. Ex multiplici namque oppoſitione in earum re-

rum notitiam pervenitur, quæ Theſin faciebant, & obſcuram, & perſuaſu difficilem, ad quos proin obices ſuperandos ingenii vires intendimus.

Sed itidem verum eſt, quo hæc exercitatio cenſetur utilior, quando ritè & ſine omni animi perturbatione aut averſione adhibetur, eò eſſe ejus abuſum pernitioſiorem, cùm ſcilicet gloriæ ducimus quoque pretio, quocunque periculo & propria defendere, & aliena impugnare. Nihil poteſt nos magis à veritate abalienare, quàm hæc diſputandi prurigo. Hinc ſenſum aſſueſcimus, ubique rationes invenire, vel potiùs ubique rationibus nos præferre, illis enim nuſquam cedimus, nunquam manus damus. Hinc gradatim eò deducimur, ut nihil certi habeamus, ut unà veritatem & errorem confundamus; utrumque in eodem probabilitatis gradu collocantes. Hinc tam rarum eſt, ut diſputando lites dirimantur; hinc nunquam ferè altercantes Philoſophi in eandem conſpirant ſententiam, ſemper aliquid ſupereſt, quod regerant, quod in ſui defenſionem proferant. Non enim animus eſt errorem, ſed ſileutium devitare, quia minorem ducunt ignominiam ſemper decipi, quàm fateri ſe aliquando deceptos.

Itaque niſi noſmetipſos exercitatione aſſueverimus ut regamus, inhibeamuſque motus animi, perarduum ſanè erit, inter diſputationum ardores aufugientem ex oculis veritatem non perdere, cùm nihil apud nos fiat, quod ad concitandos motus animi faciat magis. Quodnam illud vitium eſt, inquit Scriptor celebris, ad quod diſputationum æſtu non abripimur? cùm illarum fermè ſemper directrix ſedeat iracundia. Primò bellum rationibus indicimus, deinde viris ipſis. diſputare tantùm diſcimus, ut poſſe-

mus

mus contradicere, & dum contradictiones reciprocantur, fit, ut disputationis fructus sit veritatis amissio. Hic in ortum fertur, ille in occasum; quod primarium erat, & rei caput, perditur, dum inter rerum secundariarum & incidentium turbas erratur; & tandem post exactam rixis & clamoribus horam, quid quærebatur, nescitur. Hic apud inferos est, ille apud superos, hic dextrorsum, ille sinistrorsum abit. Hic verbulum captat aut similitudinem; ille nec audit nec intelligit ampliùs quod opponitur, sed totus suo cursui prosequendo ita intentus est, ut te neglecto se solum & videat & audiat. Sunt, qui cùm se adversariis impares norunt, omnia formidant, omnia rejiciunt, ipsam in limine disputationem interturbant, vel in media lite obfirmatè obmutescunt, superciliorum contemptum affectantes, aut rixarum scilicet fugam insulsè modestam. Hic modò hostem feriat, insuper habet, si totus illius ictibus pateat; ille singula verba digitis dinumerat, singulis pondus dinumerando addit. Alius strepitu & laterum firmitate tantùm valet. Sunt qui contra semetipsos digladiantur, auditoresque proloquiis, inutilibusque digressionibus defatigant, & obtundunt. Denique alii sunt, qui contumeliis armati pugnant, & ut possint à prementium rationibus evadere, de nihilo rixas excitant & turbas. Sic ille. Juvat pungi, ut moniti alienis vitiis alacriùs attendamus ad propria.

Octavum vitium est, ex nimia *obsequiositate* & complacentia. Sunt enim, qui dum horrent contradictionis spiritum, nemini contradicunt, omnia laudant, omnia approbant, hæc consuetudo primùm judicium corrumpit, dein mentem ipsam. Certè ex

hoc

hoc vitio laudationes adeò evaſere communes, & tam promiſcuè congeruntur in omnes, ut jam dici nequeat, quid de laudatis ſentiendum ſit. Ubinam ille concionator, qui in ore ſuorum, aut novelliſtarum non audiat hominum eloquentiſſimus? cui parentatur, quin pietate inſignis objerit? triobularii ſcriptores vel volumina conflare poſſunt, ſi in unum compingant amicorum elogia. Cavendum ergo, ne aut credamus officioſis laudibus, aut ipſi fallamus credulos.

Nonum eſt ex amore ſui. Quando hic ſemel nos ad opinionem defendendam compulit, non ampliùs curamus, veræne an falſæ rationes proferantur, quibus illam ſuffulciamus, ſufficit ſi tales ſint, quæ poſſint utcunque perſuadere, in auxilium evocamus argumentorum omne genus, ſive legitima illa ſint, ſive ſpuria, ut aliquid ſaltem dicatur, quòd cuivis poſſit imponere. Imò aliquando eouſque proceditur, ut illa proferantur, quæ noſcuntur apertè falſa, modò proſint.

Ex rebus ipſis occaſiones errorum ſunt.

Primò. Bonorum & malorum permixtio. Hinc vitia & nævi nonnunquam in iis approbantur, qui æſtimantur ob alias virtutes aut dotes animi, quæcum vitiis nævisque permixtæ ſunt. Econtrà quod laudabile eſt in aliis, vituperatur, nullam aliam ob cauſam, quàm quod reperiatur in homine, qui ob alia vitia eſt averſioni, nec advertitur, nec peſſimos mortalium eſſe ſine mixtura boni, nec optimos ſine maculis, quas Deus in ſuis non ad imitationem, ſed ad humanæ imbecillitatis humilem agnitionem reliquit. Homines rarò res minutatim diſſecant, atque examinant. Illa objecti impreſſio, quæ cæteris vivacior eſt, format

judi-

judicium ; nec alia vivaciter ſentimus ; quàm quæ acriter pungunt, & ſculpunt ſcientiam. Sic cùm multos errores ſcriptio quævis contineat, hos non advertimus, ſi attentio in contemplandis multis veritatibus, quæ placent, abſorpta eſt. Econtrà, ſi quæ veritates multis erroribus immiſceantur, illas negligimus, ad errores, qui ſui copia fortiùs imprimunt, unicè attendentes. Univerſim quod fortius eſt, debiliora poſt ſe rapit, & quæ acrius oculos mentis irritant, non ſinunt, ut ad ſubluſtria & obſcura attendamus. Indè & provenit, quòd homines id ſæpe tantùm laudent aut vituperent, quod in rebus, aut in aliis hominibus extimum eſt & acceſſorium, quia non ſatis luminis iis affulget ad penetranda ea, quæ intima ac præcipua ſunt. Sic rudes picturam præferent, quæ coloribus vividis & rutilantibus fulget, quàm aliam ſuboſcuram, quæ peritis placet. Sic & populus facundum concionatorem dicit, cujus numeroſæ periodi volvuntur ſine vocum peregrinarum luto; cùm tamen ſermonis puritas, & figurarum numerus in Oratore aliud non ſit, quàm in Pictoria colorum nitor, id eſt, artis Oratoriæ pars infima ac maximè illiberalis. Generaliter dici poteſt; quòd de rebus ut plurimùm judicetur ex rerum cortice, quia vix ullus eſt, qui ad interiora penetrat. Omnis judicii norma eſt ille qui foris proſtat titulus, & væ, quibus hic non favet. ſis doctus, ſis prudens, perſpicax quantum libuerit, ſi inter loquendum lingua titubes, ſi officioſæ ſalutationis verbis appoſitè non reſpondeas, actum eſt, tibi quod reſtat vitæ ſpatium ingloriè agendum inter deſpectos plebis, conſpiciendaque ſciolorum, qui tibi præferentur, turba ingens. Magnum non eſt debitis carere laudibus, maximum

tamen

tamen eſt hiſce inhærere præjudiciis, nec ultra rerum corticem cernere; & hoc eſt illud, quod apprimè debemus evitare. Quapropter ratio juſtitiaque exigit, ut in omnibus, in quibus bonum malo permixtum eſt, ſecretionem inſtituamus, in qua facienda ſpecialiter fita eſt judicii accuratio, qua *SS. Patres* olim uſi ſunt, dum ex Ethnicorum libris optima quæque extraxere ad mores formandos; qua uſus eſt S. Auguſtinus, dum non dubitavit ab hæretico Donatiſta ſeptem regulas ad Sacras Scripturas interpretandas accipere. Ad hanc itaque ſecretionem faciendam nos ratio obligat, ſed quia non ſemper ſat otii habeamus ad minutatim diſcutiendum, quid boni malive inſit unicuique rei, tunc illam rei denominationem dabimus, quæ iis ex majori meliorique parte competit. Sic illum dicemus bonum Philoſophum, qui ut plurimùm bene ratiocinatur; ſic librum bonum, in quo erit multò plus boni, quàm mali.

Criſis. NB. Hæc ultima Arnaldi & falſa & ridicula eſt. Falſa eſt, quia ſæpe *totum malum ex quolibet defectu, bonum autem ex integra cauſa*. Necquis pharmacum bonum dixerit, cui mortale venenum quamvis exiguum inſperſum eſt; nec liber bonus erit, cui contagioſus error veluti exiguum fermentum, quod totam auditoris aut lectoris corrumpit maſſam, conſperſus eſt. Ridicula etiam eſt, quia ſi minutatim non expendantur ſingula, quis ſcire poterit, pluſne boni malive contineatur in opere?

Secunda eſt ex faſtuoſa eloquentia, quam Cicero dicit: *abundare ſonantibus verbis, uberibuſque ſententiis*. Mirum ſanè eſt, quantum ſe inſinuet error, quàm placidè aſſenſum ſuffuretur, dum nos adoritur è periodo aures ſuaviter demulcente, aut è

figu-

figura nova, & insolenti, quæ auditores ad sui contemplationem totos convertit. Itaque quando audimus Oratorem à longa gradatione aut antithesi multiplici exordientem, in procinctu standum est, quia rarò accidit, ut sese expediat, quin veritatem, quò illi figuræ quadret melius, aut cædat, aut distorqueat; eodem veritatem modo tractat, versatque, quo cœmentarius lapidem maro immittendum, aut statuarius æs, ex quo statua exsculpenda est; nempe dissecat, extendit, mutilat, refingit, prout necesse habet, ut locum occupet in vano illo verborum, quod molitur, opere. Optandnm, ut omnes sibi sumerent gravissimam hanc regulam: *Nihil pulchrum, quod non verum*, quæ sanè vim maximam futilium ornamentorum, argumentorumque fallaciam præscinderet. Verum quidem est, accuratam hujus regulæ observationem stylum reddere & aridum magis & minus splendidum, sed eundem efficit vehementiorem, sinceriorem, clariorem, & viro cordato digniorem, ac proin quam vim animis infert, & fortior est & diuturnior, cùm quod nudè imprimitur à periodorum concinna formatione adeò leviter inhæreat, ut non citiùs audiatur, quàm evanescat.

Tertia. Ex præcipitantia in ferendis temerariis judiciis circa actiones humanas. Nunquam fertur judicium temerarium, nisi præcedat mala ratiocinatio. cùm enim perspectas non habeant causas omnes, à quibus effectus potest proficisci, illum uni tantùm causæ tribuunt? in quam casu defertur suspicio, vel supponunt, eam causam, quæ aliquando talem effectum protulit, semper & ubique esse similis effectus causam, quamvis aliæ circumstantiæ aliud

ſuadeat. Sic ſi v. gr. vir doctus eadem ſentit cum hæretico in materia nullatenus contingente fidem, inferunt frequenter malevoli, eum propendere ad hæreticos; id verò temerè & malitiosè non rarò accidit, cùm non propenſio in hæreſin, ſed ratio veritaſque forſan eam ſententiam viro docto ab hæreſi quam remotiſſimo commendarit. Sic & opinionis vehemens profligatio aliquando ex zelo veritatis, aliquando ex odio adverſarii naſcitur; amicitia cum flagitioſo homine conſervata nonnunquam amorem vitii; nonnunquam ſupponit reſpectum commodi; neglecta humanitatis officia ſæpè ex arrogantia ac ſupercilicio proficiſcuntur contemptoris animi, ſæpe etiam ex injuria, oblivione, aut ex negotiis. Silentium interdum moleſtiæ ac prudentiæ, interdum emotæ mentis ſignum eſt cunctatio, ſubin. prudentiam, alias hebetudinem mentis denotat. Muratio ſententiæ in nonnullis inconſtantiæ, in aliis candoris ac ſinceritatis judicium eſt; qui ratiocinantur, ut volunt, temerè de una cauſa judicant, nimis juſto, ut ſolent mulieres, judicio.

Quarta ex inſufficienti inductione, cùm ſcilicet effata generalia ex particularibus quibuſdam experimentis deducimus. Exemplorum quaternarius ſufficit ad condendum axioma univerſale. v. g. ter aut quater quis alium in convivio ſolutioris genii reperit, id ſufficit imperitis, ut generaliter credant perpetua à tali homine celebrari bachanalia. Curationes nonnullæ non ſuccedunt Medicis aliàs etiam peritiſſimis; præcoces dicent, medicinam univerſam nil habere, quàm tentaminis. Peccant è ſanctioris orbis ſtatu pauculi; id profanis argumentum eſt, totum ſcatere vermibus & oſſibus mortuorum.

Quin-

Quinta eſt ex eventibus . Dum aliorum conſilia judicantur ac condemnantur ex ſucceſſibus . Egerit quis prudenter ac providè pro circumſtantiis , quas prævidere poterat humana menſura prudentiæ , ſi vel caſus , vel iniquorum perverſitas , vel potentior omnibus fortuna ac altior providentia bene cogitata diſſolvit , omnium infortuniorum reum condemnatur conſilium . Ingenioſi ſumus ad errores inveniendos , protrahendoſque ſerò nimium , quos arbitramur infortuniorum cauſas fuiſſe , & quemadmodum Aſtrologi , ubi quid accidiſſe norunt , nunquam non eum aſtrorum aſpectum inveniunt , qui id produxerit ; ſic ubi quis in miſerias ærumnaſque prolapſus eſt , nunquam non errores , imprudentiamque advertimus , quibus illas adſcribamus . Illi res ſuæ malè ſucceſſere ; ergo rationes ſuas malè ſubduxit. Sic homines , quia nec ſapientes à felicibus , nec imprudentes à miſeris diſtinguunt , fortunatos laudant , & infelices condemnant .

Sexta eſt ex authoritate dicentis , & modo proponendi . Hæc duo principia tantummodo valent quoad majorem partem hominum ; non ratio , ſed præſumpta in Authore ratio omnes omnium propemodum aſſenſu trahit . Hoc cauſæ eſt , quòd Deus , dum voluit ſua myſteria etiam rudibus ac ſimplicibus parare ad cognitionem accommoda , dignatus ſit humanæ mentis imbecillitatem accommodare , ſicque noluerit myſteriorum notitiam dependere à peculiari credendorum examine , ſed certam conſtituerit veritatis regulam ; facile à populo per ſigna externa & communia præjudicia cognoſcibilem , authoritatem videlicet univerſalis Eccleſiæ. Sed dum in rebus ad Religionem non pertinentibus

ſub-

ſubtrahitur ſecreta directio divinæ providentiæ, quæ ad ſtabiliendam veritatem arte recondita aut doctos præficit, aut præficiendos inſtruit, quantnm errorum colligimus, dum humanæ authoritati ſubmittimus ingenia! ſæpe ex teſtium & Authorum numero æſtimamus ſententias, cùm tamen in rebus difficilibus non numerus, ſed accuratum examen verum inveniat. Sæpe nobis loquentium aut ſcribentium dotes imponunt, cùm tamen illæ nullum cum ea re, quæ quæritur, gerant commercium. Sic multi nullo præmiſſo examine viris provectioris ætatis aſſentiuntur, quorum tamen peritia iis fortè in rebus verſatur, quæ nec ab annis, nec ab experientia, nec ab intellectus perſpicacia addiſcuntur. Pietas, ſapientia, moderatio omnium procul dubio virtutum præſtantiſſimæ ſunt, multumque poſſeſſoribus authoritatis debent conciliare iis in rebus, quæ à pietate dependent, aut à ſinceritate, vel etiam ab illa, quę cœlitus datur, mentis illuminatione, quam credibile eſt Deum cumulatiùs in eos conferre, à quibus religioſiùs, puriùsque colitur. Sed infinita ſunt, quę nonniſi ab humano lumine, ab humana experientia, ab humana inſpectione habentur, de quibus ii potiſſimum noſtram fidem merentur, quibus contigit ingenium perſpicacius, vel qui in iis inveſtigandis ſtudium diligentius poſuere. Cùm tamen contrarium paſſim obveniat, multique ſatius ducant, etiam in talibus rebus proborum religioſorumque hominum opinationibus adhęreſcere. verùm non omnes in omnibus merentur fidem: & peſſimè concluditur: Hic vir gravis eſt, ergo omnia intelligit, omnia novit.

Crisis. NB. Hic rectè addidisset Arnaldus, specialia illa lumina concedi probis non tantùm in iis, quæ directè ad fidem pertinent, & religionem; sed etiam in iis, quæ cum rebus & religionis connexa sunt; interest enim Divinæ Providentiæ directricis Ecclesiæ, quæ ducta mirabili illa dispensat lumina, ut, dum his luminibus format mentes fidelium, formet in eos opinionum habitus ac sensus, quos aut prævidet dominaturos in Ecclesia, aut secretis cuniculis ad authoritatis fastigia promovet. ut dominentur in Ecclesia. Ego verò agnosco vigilem Dei Providentiam, agnosco infatigabiliter operantem in piorum animis, agnosco non cœcam, sed agnoscentem, ad quem communem sensum fidelium tendant suorum ingenia; agnosco eandem, nunquam deponentem cogitationem Ecclesiæ; agnosco, non esse difficilè inter particularia lumina, quæ cedunt in bonum particularium, immiscere ea, quæ Deus prævidet confirmatura aut formatura sensum Ecclesiæ. Hanc, inquam, aguosco Providentiam, & ideo adoro universalem sensum Ecclesiæ tanquam verbum Dei inspiratum per longas, variasque, ac secretas vias Ecclesiæ: eum verò sensum Doctorum propè omnium qui nondum est universalis Ecclesiæ, suspicor, inspiratum; & ob hoc ipsum revereor ac veneror.

Septima est ex authoritate nobilium & divitum: assuevere nobiles ab incunabulis sese intueri tanquam speciem ab aliis hominibus distinctam; nunquam se partem massæ humani generis arbitrantur; semper sibi Barones Comites, Duces, nunquam meri homines videntur, ac dein sibi animas rationemque procudunt, divitiis pares neque minus se putant ingenio, quàm dignitate præstare. Hinc facilè modo quodam agendi gene-

generoſo, libero, naturali, qui rarò inter plebejos invenitur, exorquent aſſenſum. Indè & in Eccleſiaſtico. *Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum ejus ad nubes uſque deducent: pauper locutus eſt, & dicunt, quis eſt hic?* Verùm non eſt ſic, ut quis ſe ſapientem putet ob ædes ſplendidas, aut veſtem purpuream, aut capillitium, opus artificis? ſunt qui ſe pluris faciant in rheda vel equo, ſed non æquis paſſibus, propterea peditem ſequuntur Ariſtotelem. Provectior ætas, ſcientia, ſtudium, experientia, ingenium, perſpicuitas, moderatio, accuratio aliquid faciunt ad cumulandas veritatis divitias reliqua nonniſi ad errorem augent potentiam.

Octava eſt, ex modo proponendi. naturaliter impellimur ad fidem iis præſtandam, qui venuſtè, promptè, graviter, æquanimiter, comiter perorant, quàm tamen denegamus iis, qui in dicendo ſunt tetrici, qui factis dictisque iracundiam, acrimoniam, faſtumque immiſcent. Igitur modeſtia ad veritatem inſinuandam plurimum valet, ſed ea inprimis neceſſaria eſt, cùm opiniones communes ac jam receptæ concutiendæ ſunt.

PARS

PARS IV.

De Methodo.

CAp. I. Vult in ſcientiis initium ſumi à certis & notioribus. Quod utique & Ariſtoteles præcipit in Libris Poſt. Vult etiam materias eligi utiles, & circa quas poſſit homo ſperare notitiam certiorem; hinc rejicit abſtruſas quæſtiones Metaphyſicas, quamvis nonnullis largiatur veniam, ut rerum incomprehenſibilium contemplatione admoneamur noſtræ inſcitiæ, & tenuitatis ingenii.

Cap. II. Agit. De Methodo Analytica & Synthetica.

Cap. III. IV. & V. De Methodo Geometrica. In qua ponit ſequentes Regulas. 1. Ut nihil in terminis relinquatur ambiguum. Ad hoc ſerviunt definitiones nominum. 2 Ut ratiocinationes deducantur nonniſi ex principiis certis & evidentibus, 3. Ut omnis concluſio demonſtrativè probetur, Uult Arnaldus, hanc Methodum non obſervari ab ipſis Mathematicis; ſed oſtendit, ſe in hac arte necdum eſſe diſcipulum.

Cap. VI. Regulæ circa axiomata. Omnia eò redeunt, ut ſint clara & certa.

Cap. VII. Axiomata quædam uſitatoria. Inter quæ ponit etiam hæc. 6. Nullum corpus poteſt ſeipſum movere. 11. Res geſtæ, de quibus ſenſus facilè poſſunt judicare, ſi confirmentur teſtimoniis multorum hominum, diverſarum ætatum, diverſarum nationum, diverſa conſilia proſequentium, ſi de illis loquantur, tanquam à ſe viſis, ne-

que

que ſuſpicio ſit eos conſpiraviſſe ad mendacium ſtabiliendum, non minus conſtanter credi debent, quàm ſi viſæ fuiſſent à noſtris propriis oculis.

Cap. VIII. *De regulis demonſtrationum*. Nil aliud affert quàm eas debere fieri ex claris ac certis, ut nihil affirmetur de re, niſi quòd clarè continetur in ejus ideis.

Cap. IX. De vitiis Geometrarum. Inter hæc refert. 1. Quòd magis laborent de certitudine, quàm evidentia concilianda, 2. Quòd probent, quæ probatione non egent. 3. Quòd multa tantùm demonſtrent ducendo ad impoſſibile. 4. Quòd multa demonſtrent longis ambagibus, quæ via breviori demonſtrari poſsent. 5. Quòd non obſervent naturalem rerum ordinem, agendo v. g. priùs de angulis, quàm de lineis. 6. Quòd non adhibeant modum diviſionis, ſed tantùm collocent unum poſt alterum.

NB, Hìc Arnaldo quis dixerit: *Ne ultra crepidam*.

Cap. X. Idem proſequitur.

Cap. XI. Methodus ad octo regulas conſtringitur.

1. Circa definitiones. Nihil in terminis obſcurum vel æquivocum relinquatur, quòd non definiatur.

2. In definitionibus termini uſurpentur vel perfectè noti; vel priùs explicati.

3. Nullum axioma ponatur quòd non ſit evidentiſſimum.

4. Id pro evidenti acceptetur, quòd mediocri attentione cognoſcitur eſse verum.

5. Omnes propoſitiones ſuboſcuræ probentur ope definitionum præmiſsarum, axiomatum conceſsorum, vel propoſitionum demonſtratarum.

6. Nunquam liceat abuti terminorum ambigui-

biguitate, non ſuffectis ſaltem mentaliter definitionibus illos reſtringentibus, & explicantibus.

7. Res tractentur, quantum fieri poteſt, ſecundùm ordinem naturalem à generalioribus & ſimplicioribus incipiendo, atque explicando quidquid ad nàturam generis pertinet, priuſquam ad particulares ſpecies deſcendamus.

8. Dividantur, quantum fieri, poteſt, unumquodque genus in omnes ſpecies, unumquodque totum in omnes partes, unaquæque difficultas in omnes caſus.

Cap. XII. De iis, quæ per fidem cognoſcimus ſive humanam ſive divinam. Obſervat tria. 1. Quòd ſemper fides præſupponat rationem. namut aſſerit S. Auguſtinus Epiſt. 122. nunquam induci poſſemus ad ea, quæ ſunt ſupra rationem, credenda, niſi ipſa ratio nobis perſuaderet, quædam eſſe, quæ rationabiliter credimus, licèt iis comprehendendis pares non ſimus. Ex quo ſequitur, quamvis captivare debeamus intellectum in obſequium fidei, ut loquitur Apoſtulus Paulus, id tamen nos non facere cœcè, & ſine rationis adſtipulatione, ſed per cognitionem cauſæ, & quia ratione conſentaneum eſt, hoc modo nos authoritati diviuæ credere, cùm illa fidem faciat ſufficientibus argumentis, qualia ſunt miracula, aliaque prodigia, quibus fateri cogimur, Deum, quæ credenda proponuntur, hominibus revelaſſe. 2. Plus valere debere fidem divinam, quàm rationem humanam, quæ abſolutè eſt fallibilis. 3. Fidem divinam nunquam opponi rationi in iis, quæ à ratione aut ſenſibus evidenter cognoſcuntur. Sed in hoc hallucinantur plurimi, dum illis ſatis perſpectum non eſt, ubinam terminanda ſit hæc rationis & ſenſuum evidentia. verb. grat. evidenter in Eu-

chariſtia commonſtrant albedinem & orbicularem hoſtiæ formam, ſed an ſubſtantia panis an aliud in cauſa ſit, cur albedinem illamve formam cernamus, ſenſus non docent. Ac proinde fides ſenſuum evidentię contraria non eſt. cùm docet, quæ oculis ſubjiciuntur, à pane non provenire.

Cap. XIII. Regulę ad dirigendam fidem humanam.

Primò. Ponit loco axiomatis. Sola rei poſſibilitas non eſt ratio ſufficiens ad credendum objectum dubium.

Secundò. Attendendum ad omnes objecti circumſtantias, tam internas quàm externas Internę ſunt, quę ad rem ipſam pertinent; externæ Sunt quę pertinent ad eos, quorum teſtimoniis ad credendum ducimur.

Tertiò. Si omnes circumſtantię tales ſunt, quę rariſſimè ſunt cum falſitate conjunctę, habetur certitudo moralis. Si verò hæ circumſtantiæ tales ſint, quę ſæpiſſimè adjunctam falſitatem habeant, ratio exigit, ut vel aſſenſum inhibeamus, vel ut falſum judicemus, quod narratur, licèt de illius impoſſibilitate aliundè non conſtet.

Exceptionem tamen patitur hęc regula; cùm res ſufficientibus teſtimoniis jam confirmata eſt. Quamvis enim aliudè difficultates ingruant; in hoc tamen caſu ſufficit, ſi ſolutiones ad tales repugnantias tollendas poſſibiles ſint. eſſet enim à ratione alienum, probationes poſitivas de omnibus circumſtantiis poſſibilibus poſtulare, cùm res ſufficienter jam probata eſt, Hinc nihil inſulſius quorundam hęreticorum conatibus ad probandum, D Petrum Romæ nunquam fuiſſe. Negare quippe non poſſunt hanc veritatem, Scriptorum Eccleſiaſticorũ omnium etiam antiquiſsimorũ teſtimoniis firmatam; cùm tamen nec unus poſsit proferri, qui id negaverit. Attamen

pu-

putant, se hanc veritatem posse solis conjecturis labefactare, cùm dixerint D. Paulum non meminisse S. Petri in Epistola Romæ scripta, & quando audiunt, illum tunc potuisse abfuisse Roma, eò quòd sępissimè digressus in aliis etiam locis Evangelium disseminaverit, oggerunt, hoc sinè probatione dici, quod affatim ridiculum est; quia cùm res gesta, quæ narratur, certissimis confirmatissimisque accensеatur, quæ in Historiis Ecclesiasticis narrantur illorum erat ostendere, ejus cum sacris litteris contrarietatem, cùm Catholicis sufficiat, umbratiles illam contrarietates eluere, quemadmodum & eluuntur eæ difficultates, quæ afferuntur contra historias Sacræ Scripturæ, in quibus sufficit, ostendere possibilitatem.

Cap. XIV. Usus hujus Regulæ in miraculis credendis.

Extremi periculi est, in hac materia, aut omnibus, aut nulli credere.

Sunt, quibus grande piaculum videretur, si vel de uno solùm miraculo, quod pro vero venditur, subdubitarent; sibi enim persuasum habent; de omnibus esse dubitandum, si de uno dubium semel admiserint. Et cùm norint omnia Deo esse possibilia, nihil audiunt, quod non arbitrentur mereri fidem, si ab ejus Omnipotentia profectum dicitur.

Alii absurdè existimant, se magni ingenii vim ostendere, cùm omnia omnino miracula in dubium vocarint, non alia impulsi ratione, quàm quòd aliqua facta inaudiverint quæ falsa posteà comperta sunt, neque videant, cur hæc potiùs quàm illa credant.

Fatendum quidem est, illos priores minus malos esse, sed verum itidem est, utrosque ex æquo malè ratiocinari.

Utrique namque hinc & illinc ad locos communes diffugiunt, ſed oppoſitos. Illi ad potentiam, bonitatemque divinam, ad miracula certa & indubia, ex quibus etiam dubiis atque incertis fidem adſtruunt. Hi verò ad locos communes alterius generis divagantur. *Veritatis*, inquiunt, *& mendacii idem vultus, idem inceſſus, iidem paſſus ſunt. Singularis cujuſpiam error primò fit error publicus, ac tum demum inverſa vice error publicus fit error ſingulorum. Hunc in modum miraculi ſubſtructio ab his labefactata, ab aliis ſuffulta & per manus aucta tandem conſurgit.* Sic iſti nec fortè inutiliter ad nos ſiſtendos, ne omni famæ rumuſculo circumferamur ac vento. Sed inſolentis dementiæ eſſet hinc concludere, ſuſpectæ fidei illa omnia eſſe, quæ de miraculis narrantur, cùm nec talia perpetuò operari Deum dedeceat, nec Divina Providentia ſuæ Omnipotentiæ limites poſuerit, ſed potiùs à promiſſionibus, & experientia priorum temporum certum ſit, manare perennes hujus quoque in Eccleſiam rivos gratiæ. Sit igitur ſtolida quædam ſimplicitas, ea omnia credens, quæ ſunt maxime incredibilia; ſed eſt ſuperbia non minus fatua, pro falſis proſcribens omnia, quæ arctis intellectus ſui cancellis nequit concludere. Tot miraculorum millia, de quorum veritate ſcribunt teſtes graviſſimi, negare omnia, utique deſperatæ & miſerrimæ eſt dementiæ. Narrat D. Auguſtinus ſuo ſæculo plurima contigiſſe miracula certa & indubia, quæ tamen ad paucorum notitiam perveniebant. L. 22. de Civ. Dei. Obſervat, intra biennium, ex quo in honorem S. Stephani conſtructum Hipponi ſacellum erat, ſeptuaginta contigiſſe miracula, præter plura alia, quorum mentio in ſcripta relata non erat, cùm tamen &

illa

Illa se certò scivisse testetur. Addit Arnaldus, suo tempore cœcam quandam, cui vix oculorum orbes supererant, in momento ad contactum sacrarum reliquiarum visum recepisse.

Crisis. Et quid opus est, immorari paucu-lis: cùm talium millibus plena sit Ecclesia Dei? hęc solùm ignorant, qui excluſi sunt à Regno Dei, mihi certè per duo, quę accepi à Deo per interceſſionem B. Virginis, & cultum Euchariſticum, beneficia, tam phyſicè certum est, dari in Ecclesia miracula, quàm certus sum me vivere.

Cap. XV. De fide præstanda circa alios eventus. Iterum inculcat, ut obſerventur circumſtantiæ, an & quoties cum veritate aut falſitate conjunctæ ſint. Sic ſi in contractu duorum Notariorum acceſſit ſubſcriptio & ſignatura, ex millenis talibus inſtrumentis vix unum reperies illegitimum; adeoque probabilitas ſe habebit pro valore contractus ut nongenti nonaginta novem ad unum falſum. Simili modo judicetur in aliis.

Cap. XVI. Quomodo de futuris contingentibus judicandum ſit.

Semper perſpiciendum, qua probabilitate venturum ſit, quod ſperamus, aut metuimus. Si bonum aut malum venturum grande fuerit, prudentiæ eſt, etiam tenuiſſimam probabilitatem non negligere, ad malum præcavendum, bonum obtinendum. Sic in ſortibus, ſi lucrum ſit centum aureorum millia, etiam ſpes tenuis non negligitur, dum homines ad Lotterias convolant. aliquando verò tantula ſpes apparet lucrandi, ut omnino præſtet fortunam non experiri, licèt montes aurei etiam aſſis unius periculo comparari poſſint. dementis enim

eſſet, vel viginti denarios deponere ſpe aquirendi decies centena aureorum millia, aut Regni comparandi, eo caſu, quo puerulus formulas litterarum typographicas tali protinus ordine furtuitò diſponeret, qualis nobis viginti priores Æneidos verſus deſcriberet. Itaque æſtimandi caſus poſſibiles. De quibus, cùm non agat Arnaldus, agi in Arte Critica.

SECTIO IV.

DE

Logica P. Honorati Fabry.

LOgicam ſuam non edidit quidem P. Honoratus Fabry, ſed tamen ex ejus Prælectionibus collecta & edita eſt hoc Titulo: *Philoſophiæ tomus primus, qui complectitur Logicam. Authore Petro Mosnerio. Doctore Medico. Cuncta excerpta ex Prælectionibus R.P. Hon. Fabry Soc. Jeſu. Lugduni. MDCXLVI.*

Partitio operis eſt hæc.

L. 1. De Methodo ſcientiæ in communi.
L. 2. De Methodo Logices.
L. 3. De Methpdo Phyſicæ.
L. 4. De Methodo Metaphyſicæ,
L. 5. De Methodo Ethices.
L. 6. De Methodo Matheſcos & aliarum diſciplinarum.
L. 7. Synopſis Controverſiarum Logicarum.

Libro

Libro I. Cap. I. Agit de divisione & ordine omnium scientiarum, ubi simul tradit generalem earundem conspectum.

Cap. II. De objecto scientiarum. Qualiter nempe quodvis objectum scientificum tractandum sit.

Cap. III. De Methodo sciendi, Hìc traduntur regulæ pro discente, legente, meditante, disputante, scribente, docente.

Art. 1. & 2. *De discente.*

1. Tranquillam mentem, omnique violenti appetitus perturbatione liberam in discente desiderio. quippe abstrahunt mentem furentes animi motus, obscurant rationis lumen, obtundunt ingenii acumen, & minus habilem ad studia hominem relinquunt.

2. Discendi, sciendique maximo flagret desiderio.

3. Discat statim initio doctum mel facilioris alicujus demonstrationis delibare, cujus certè dulcedine captus ad aliam investigandam illicò se accinget.

4. Nullo alio studio teneatur, quàm scientiæ.

5. Nunquam cognitæ veritati contradicat.

6. Nullam rem tanquam veram recipiat, nisi quam veram esse constat; & animum tantùm submittat vel demonstrationi, si conclusio est, vel evidentiæ objecti, si est principium. Quod dictum esse velim in re litteraria, sed non in civili & politica, in qua multa multis credimus omnes. Nec etiam in divina & supernaturali, nam obscuris fidei sententiis mens hominis firmiter assentitur.

7. Authoritatem aliorum magnifaciat, sed dictorum rationem pluris faciat; ne credat potiùs, quam scire videatur.

8. Ubi se accingit ad aliquid demonstrandum, præoccupatum animum, & quasi imbutum non habeat; nullum principium supponat, de cujus veritate certò non constet, ne si fortè falsum sit, errori ansam præbeat. Sed nudam veluti mentem gerat vacuam & liberam: rei principia examinet, proprietates inquirat, perinde ac si nihil unquam de iis omnibus audivisset. Si probabilia tantùm occurrant, assensum omnem suspendat, nunquam nisi veritati compertæ assentiatur. Mirum quantum erroris & ignorantiæ ex hujus præcepti neglectu prodierit.

9. Non erit præceps, ne multa pręterfugiant. nam cunctando potiùs, quàm currendo tota res scientię peragitur. Non impatiens, ne primi laboris fructum amittat; nam quantumvis acri ingenio polleat, sine multo labore & sudore diuturno finem suum non consequetur. Non sit ludicrus, ne totus in jocis & salibus esse videatur. Ludicrus genius terminis tantùm, ut ajunt, disparatis adhærescit. Pius denique sit, & modestus, quia in malevolam animam non introibit sapientia.

10. Ingenium requiro saltem mediocre, quod ultimam metam multo labore saltem in aliquibus disciplinis attingere possit.

11. Indoles multùm juvat. Sunt quippe ingenia aliqua tam obliqua, ut quamvis aliàs capacia, nihil tamen unquam rectè excipiant. Est aliquis modulus animi, quo rebus facilè adhærescit, & hic in scientiis comparandis primum locum tenet.

12. Directionis quandam vim in tyrone desidero, quà verum à falso, certum ab incerto, nescio quo gustu, discernat.

13 Ad

13. Ad majora semper aspiret, nullamque in ea scientia, quàm aggressus est, metam aspiciat, nisi ultimam, omnes enim objecti proprietates connexæ sunt.

14. Nihil unquam negligat, quasi scitu minimè dignum sit, sed diligenter curet, ut prima illius scientiæ, quàm aggreditur, elementa ac rudimenta perfectè calleat. Quippe res maximæ omnes à parvis principiis oriuntur.

15. Annotet effectus illos sensibiles, qui passim occurrunt in sensuum affectionibus, corporum motibus, mutatione rerum &c. ut suo loco eorum effectum causas assignet.

16. Cum aliis etiam æquè doctis de iis rebus, quas didicisti, vel discere aggressus es, sæpe conferre juvabit. Quippe quæ diximus aliquando & disputavimus, altiùs animo hærent, & alteri vel interroganti vel disputanti ea sæpe respondemus necessitate quadam adacti, quæ aliàs in mentem non veniissent.

17. Viros doctos consulere multùm proderit. Mirum enim, quantum viri docti possint in exprimendis animi sui sensis, & altiùs in auditorum animis imprimendis.

Art. 3. 4. 8. De Methodo legendi, meditandi, scribendi & audiendi.

Circa lectionem ex Cazilio quatuor tradit præcepta. 1. Ut semper in manibus habeatur Aristoteles cum uno vel altero interprete. 2. Cùm quis sub certo Professore litteris dat operam, ut eos perlegat Authores, quos ille judicaverit. 3. Ne ita lectioni se tradat, ut suum meditationi tempus subtrahat: ne si multùm legat, & parum meditetur, compareturei, qui multa edit, & malè concoquit. 4. Ut attentè legat, quod legit, ne absolvendi desiderio nullum è lectione

ſequentiam. Si ille dein conaretur probare & diceret: *Sol lucet, ergo dies eſt*: omitterem totum, & negarem ſuppoſitum, quòd hoc fuerit negatum. non enim negavi conſequens, ſed conſequentiam, id eſt, connexionem inter antecedens & conſequens. Petrus enim noctu diuque eſt homo; ex hoc ergo non ſequitur eſſe diem. Qui ergo vult probare conſequentiam; debet totum antecedens, & totum conſequens ponere in concluſione; illud per modum conditionis, hoc per modum conditionati, hoc modo: *Ergo ſi Petrus eſt homo, dies eſt.*

6. Poſtulare aliquando & interrogare oporret, ut ex acceptis reſponſis poſſis argumentari.

NB. Hic modus talis eſt, ſi v. g. dicamus: Si daretur materia Ariſtotelica, tunc ideo, quia debet dari ſubjectum commune in corruptione & generatione? ſed hæc ratio nihil probat &c. tali modo interrogandi ſæpe elicimus ab adverſario vel motivum ſuæ ſententiæ, vel ſenſum ſuæ reſponſionis.

7. Reſpondens repetat omnia verba argumenti; vera concedat, falſa neget, ambigua diſtinguat.

NB. Terminus, qui ſemel diſtinguitur, debet etiam diſtingui in altera propoſitione, in qua adhuc redit.

8. Obſervabis, utrùm directè probet, quod ultimo loco negatum fuit; ſi ſecùs faciat, liberè monebis. propterea negatam propoſitionem ſemper in manu habebis.

Art. 7. De Methodo Academiæ exercitationis privatæ.

Vult non plures ad Academias privatas convenire quàm duodecim. 2. In ſingulis Academiis proponi debet quæſtio proximè diſcutienda. 3. Qui præeſt Academiæ, debet in omni-

bus ſcientiis eſſe exercitatiſſimus, ut poſſis omnibus legem ponere.

Art. 9. De Methodo docendi.

1. Nullam difficultatem diſſimulabis; nec tantùm in ſpeciem ſolves. ſi enim ſolvendo non ſis, ultrò fateri oportet.

2. Plura explicabis, quàm dictabis; mirum enim, quantum viva vox momenti habeat, ut altiùs animo imprimat. Ad quid enim tanta Scriptorum moles? utinam res eo ſtatu eſſent; ut nihil prorſus dictari, & ſine ſcriptione cuncta explicari poſſent.

3. Plura ſimul non docebis ad vitandam confuſionem.

4. Vitabis ſuperfluam prolixitatem & obſcuram brevitatem.

5. Vix jurabis in verba Magiſtri. Sunt amici omnes veritatis amatores, quam ubique ſummo cultu vereberis. itaque nec Thomiſta eris, nec Scotiſta; non Realis, nec Nominalis, ſed omnis & unus. Unum tamen Ariſtotelem, ſi attentiùs leges, impenſiùs diliges, & nunquam ab eo diſcedes, niſi manifeſta ratio, vel evidens experimentum cogat.

6. Authores refutare poteris, non carpere, nec malo verbo proſcindere; nec denique ullam malevolentiæ, contemptus, invidiæ ſpeciem præferes, niſi fortè contra impium aliquem, qui de Deo bonisque moribus malè ſentiret.

7. Ne ſis prolixus in refutandis aliorum ſententiis, in congerendis objectionibus, in rationibus conglobandis. curare enim quid quiſque dicat, amentis eſt. itaque id tantùm conniti debes, ut firmis principiis tuam ſtabilias ſententiam, ex quo fiet, ut minutæ objectiones ex ſeipſis ſolvantur. Juverit tamen oppoſitam partem potenter refel-

refellere in iis quæſtionibus, quæ ſunt alicujus momenti verb. gr. in adſtruenda animæ immortalitate, exiſtentia Dei, & accidentium.

8. Non explicabis niſi ea, quæ priùs ſatis meditatione concoxiſti.

9. Cùm ad aliquid ſcieudum te accingis, ſcito priùs quid ſcire velis.

10. Antequam ſcribas, illa priùs per aliquod dies animo voluta. Quippe cùm priùs eſſent cruda, nativo calore ſolventur.

Cap. IV. Agit de Methodo ſciendi. nempe 1. De Methodo definitionis. 2. Diviſionis. 3. Diſtinctionis ac diſcretionis. 4. Comparationis, combinationis & analogiæ. 5. Suppoſitionis. 6. Compoſitionis.

Cap. V. De Methodo principiorum ſciendi.

Cap. VI. De impedimentis ſciendi. Inter hæc ponit præcipitationem mentis, multiplicitatem formalitatum, abuſum diſputandi de quavis re probabiliter &c.

Liber 2. de Methodo Logicæ. Hìc tradit conſpectum & analyſin Logicæ Ariſtotelicæ.

Liber 3. de Methodo Phyſicæ. tradit conſpectum Phyſicæ Ariſtotelicæ, additis variis obſervationibus; eodem modo procedit L. 4. de Methodo Metaphyſicæ; & L. 5. de Methodo Ethicæ. & L. 6. de Methodo Mathematicæ.

In L. 7. ſeu ſynopſi affert omnes modos poſſibiles conſequentiarum, & Enthymematum, & Syllogiſmorum. Leges conſequentiarum, quas habet, inſerui Summulis, ubi videri poterunt. Ipſos Modos ſyllogiſticos per ſigna propoſitionum exhibet.

A. Affirmativa univerſalis.
E. Negativa univerſalis.

I. Af-

I. Affirmativa particularis.
O. Negativa particularis.
A. Unum extremum.
B. Medius terminus.
C. Alterum extremum.
V. Propositio vera.
F. Propositio falsa.
G. Falsa in parte.
V. Antecedens.
Y. Consequens.
X. Terminus repugnans.
T, Terminus convertibilis.

Itaque modos primæ figuræ sic exhibet 1. AAA. 2. AAI. 3. AII. 4. EIO. econtra in prima figura non valent hi modi AAE. AAO. AEA. AEE. AEI. AEO. AIA. AIE. AIO. AOA. AOE. AOI. AOO. EAA. EAI. EEA. EEE. EEI. EAO. &c.

Leges Enthymematum & consequentiarum exhibet sic: Bonæ consequentiæ in prima figura sunt duæ tantùm. AI. EO. econtrà malæ consequentiæ in prima figura sunt AA. AE. AO. EA. EE. EI. &c.

Integros Syllogismos figuræ 1. sic exhibet.

Omne A est B.
C. est A.
Ergo C. est B. vel sic AB.
CA.
CB.

Quomodo ex vero aut falso possit sequi verum aut falsum ostendit per omnes conbinationes possibiles. Sic in hoc Syllogismo. *Omne album est animal* : *Omnis homo est albus*; *ergo omnis homo est animal*. Ubi primam & secundam propositionem vocat ex parte veram, & ex parte falsam; quia nempe aliquod non omne album est animal, sequitur verum. Itaque in hac tabula sequente exhibentur. Num. 1. Novem combinationes præmissarum universalium. Num. 2. Sex combina-

binationes duarum præmiſſarum. quarum prima eſt univerſalis, altera particularis. N. 3. Sex combinationes duarum præmiſſarum, quarum prima eſt particularis, ſecunda univerſalis. N. 4. Sedecim combinationes medii termini cum extremis.

N. 1.	N. 2.	N. 3.	Subjecti	N. 4. Prædic.		
1. V. V.	1. V. V.	1. V. V.	1.	V	B.	V.
2. V. F.	2. V. F.	2. V. F.	2.	V	C	X
3. V. G.	3. F. F.	3. V. G.	3.	V	D	Y
4. F. F.	4. F. V.	4. F. V.	4.	V	E	T
5. F. G.	5. G. F.	5. F. G.	5.	Y	F	Y
6. F. V.	6. G. V.	6. F. F	6.	Y	G	V
7. G. G.			7.	Y	H	X
8. G. F.			8.	Y	I	T
9. G. V.			9.	X	K	X
			10.	X	L	V
			11.	X	M	Y
			12.	X	N	T
			13.	T	O	T
			14.	T	P	V
			15.	T	Q	X
			16.	T	R	Y

Prima combinatio V. V. primæ tabulæ non valet, quia ſi ambæ præmiſſæ ſunt veræ, etiam vera eſt concluſio.

Secunda combinatio valet in Barbara. v. g. *Omnis homo eſt animal: Equus eſt homo; ergo equus eſt animal.* Hic terminus medius eſt repugnans ſubjecto, & antecedens prædicato concluſionis, adeòque combinatio X. V. reperitur tabula 4. n. 10.

Verùm hæc propterea indicaſſe ſufficiat, ne quis in ſimili opera curis planè ſuperfluis deſudet, dum ſciverit, circa tales combinationes nil dici poſſe, quod non jam preceſſerit

in

in ſæculis. Itaque labori parcere potuiſſet Hanſchius, dum actis Eruditorum 1728. Menſis Octobris inſeruit Meditationem de uſu omnium Modorum in quatuor figuris utilium.

SECTIO V.

DE

Logica Lockii.

JOannes Lokius Anglus edidit anno 1701. Londini librum, ſub titulo: *De intellectu humano* recuſum Lipſiæ 1709. In hoc varia obſervat & diſputat, quæ humanum intellectum ad ſcientias parant.

L. 1. Cap. I. Scopum operis indicati is eſt, ut conſideret operationes mentis.

Cap. II. Conatur oſtendere, nulla principia animis noſtris ingenita eſſe. Rationes ipſius ſunt hæ 1. Si aliquæ veritates ac notiones eſſent homini à natura impreſſæ ac congenitæ; tunc inprimis hæ: *Quidquid eſt, neceſſariò eſt.* Et: *idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe.* Sed hæ non ſunt cognitæ, quia pueris & plurimis aliis hominibus ſunt ignotæ. Nihil autem in intellectu, quod non intelligitur, eſſe poteſt. 2. Nemo dixerit, omnia axiomata à principio homini ingenita eſſe, & tamen etiam his facilè homines aſſentiuntur ſicut aliis principiis, quæ dicuntur lumine naturæ nota. Sic puer ad tria & quatuor eſſe æqualia ſeptem tunc primùm novit, cùm iſta numeravit, non antea ex dictamine naturæ, quamvis facta numeratione nemo facilè aberraverit. Itaque & reliquæ veritates ſic primùm homini innoteſcunt ex comparatione idearum inter ſe. Ideo ergo priùs de novo advenire in mentem humanam, ac poſtmodum comparari, in-

inter ſe. 3. Quia ea, quæ naturæ impreſſa ſunt, clariſſimè ac diſtinctiſſimè deberent eſſe cognita; qualia non ſunt illa principia ſpeculativa.

Criſis. NB. Lokius non intelligit eorum ſententiam, quos impugnat; illi enim, qui docent, quædam principia lumine naturæ nota ac congenita eſſe, non docent, ipſam actualem cognitionem, aut ipſas ſpecies actuales talium cognitionum à Deo homini infuſas eſſe, ſed docent *habitum quendam* aliquorum primorum principiorum homini congenitum eſſe; ſicut apibus congenitus eſt *habitus melificandi*, araneis *habitus texendi*, & quibusvis aliis animantibus ſuæ artes ad finem ſuum; ſic & homini eſt congenitus quidam *habitus* ad operationes fini ſuo congruas. Porro habitus ille in apibus, araneis, & aliis animantibus, nec eſt actualis cognitio ſuorum objectorum, nec conſiſtit in actuali idea ſui objecti, nec conſiſtit in pura capacitate ad acquirendam cognitionem artis; ſed conſiſtit in tali præparatione potentiarum, ut accedente actuali notione potentiarum per objectum ſtatim reſultet actualis cognitio objecti ſecundùm omnes relationes ad artem. Non aliter id contingit, quàm ſi ex organo organœdus elicit Muſicam; ſicut enim ex ligno non præparato & aere non poteſt elici Muſica, ſic nec ex ingenio apum poteſt elici ars textoria, nec ex ingenio aranearum poteſt elici ars maleficatoria; poſtquam autem ingenia horum animalium Deus inſtar organorum diverſorum ſic diſpoſuit, fit, ut accedente influxu ſpirituum per ſenſus organa animentur, & reſultet actualis idea ac cognitio objecti. Ita etiam Deus hominis ingenium ſic diſpoſuit circa aliqua veritates, quæ ad directionem humanarum actionum in ordine ad finem ſuum inprimis neceſſariæ

ſunt,

ſunt, & quæ aliàs aut nullo omnino, aut nonniſi longo ratiocinio inveniri poſſent. Tales veritates ſunt, dari Deum, dari legislatorem, dari Providentiam; dari corpus & mundum, dari pœnam & præmium humanarum actionum, dari alteram vitam, dari ſpiritus Deo inferiores, qui prodeſſe aut nocere poſſint. Hæ & ſimiles aliæ veritates non poſſunt eſſe ex terminis cognitæ tam evidenter, ſicut hæc, quòd ter & quatuor faciant ſeptem; interim tamen humana ingenia ſic diſpoſita ſunt, ut quamprimùm excitantur in nobis horum objectorum ideæ, ſimul ſentiat animus ex parte objecti evidentiam, & ex parte ſuæ voluntatis ac mentis inclinationem rapientem, quæ ſine hæſitatione ruere faciant intellectum ad judicium, quo judicet, eas veritates certas eſſe. Non igitur circa omnia axiomata aut circa omnia principia lumine naturæ nota requiritur talis principiorum ſpecialis habitus. *bis duo eſſe quatuor*; *idem non poſſe ſimul eſſe & non eſſe* &c. ſunt veritates, quæ ex comparatione idearum inter ſe cuivis manifeſtæ ſunt, nec circa has requiritur ſpecialis præparatio potentiæ intellectivæ, ſed ſufficit habitus intellectivus & generale lumen intellectus à natura proviſum in ſuis cauſis, ut objecta videri & inter ſe comparari poſſint. Sed ſi habeam ideam meæ mentis, & ideam Angeli, & ideam mundi, & ideam Dei legislatoris, non ſtatim ex ipſis horum objectorum ideis, earumque obvia comparatione inter ſe liquet, quòd exiſtant. Indigemus ergo doctore interno, & revelatione Dei, qui intus in animo dicat. *Iſta exiſtunt*, per quid autem iſta dicit Deus? *per evidentiam objecti*, & *propenſionem mentis*. Sicut enim circa multa objecta v. g. an *Roma exiſtat*, de facto non hæſitamus ob ſolam

evi-

evidentiam in memoria relictam, etiamsi non sciamus, nec recordemur, unde & ex quibus hominibus aut documentis hanc veritatem acceperimus, ita ubi animus reperit talem evidentiam veritatis, quamvis aliàs contingentis, nec versantis intra terminos necessarios, sine hæsitatione assensum addicit. Quòd si Deus apibus, araneis, & cunctis animantibus tales habitus imprimit, cur non & homini circa principia humanarum actionum, & fundamenta Religionis? ita certè possibile est; ita certè congruum est; ita sentiunt populi, docti & indocti, ac quod præcipuum est, ita sentiunt amici Dei, qui suis subin intus loquitur, quia datur Providentia; nec denique in opposita sententia ulla datur ratio, cur circa tales veritates primas contingentes omnes homines uniformiter idem ferant judicium v. g. *quòd detur mundus & corpora*. quòd timeant omnes in secreto cordis Deum vindicem &c. Itaque non est, quòd miremur hanc novam sapientiam Lockii ex Anglia prope Hybernam, nonnisi luxuriantem in floribus, nunquam lento profectu matureſcentem in fructus.

Cap. III. Hìc conatur ostendere: *Nulla principia practica nobis naturaliter insita esse.* Principia practica vocat v. g. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; virtutem esse colendam; pactis esse standum &c.* Rationes ipsius sunt. 1. Quia nulla sentitur in intellectu vehemens inclinatio ad talia judicia, sicut tamen in voluntate sentitur vehemens appetitio boni. 2. Quia hæc ipsa principia primùm probari debent intellectui minùs perspicaci. 3. Quia multi ista principia sine mentis inquietudine negligunt. 4. Quia plerique homines tantùm ex motivo utilitatis, non ex motivo virtutis agunt, quod non fieret, si studium virtutis esset innatum.

tum. 5. Quia multæ gentes ſine omni ſcrupulo, contra principia, quæ dicuntur lumine naturæ nota agunt, verb. gr. comedendo homines, occidendo filios pro arbitrio parentum. 6. Quia omnia illa principia practica quæ deberent eſſe congenita, aſſignari non poſſunt, nec enumerari. 7. Quia ea principia per contrariam educationem in pravis hominibus extingui poſſunt; ergo etiam per eandem educationem poſſunt ingenerari hominibus, ut non ſit neceſſe recurrere ad naturam. 8. Quia poſſunt oſtendit aliæ cauſæ omnium talium dictaminum, quamvis non ſint à natura indita. Hæc omnia prolixa garrulitate diducit Lockius.

Criſis. Verùm quàm felicior fuiſſet Lockius, ſi tantum ingenii conatum adhibuiſſet pro intelligenda veritate, quàm fulcienda recepta ſemel falſitate; videamus tranquillè omnia. Ajo, veritates quaſdam, quarum notitia ex æſtimatione Dei homini inprimis neceſſaria eſt, ut rectè dirigatur ad finem ſuum, ſi ex terminis ac ſine longis aut ſine incertis ratiocinîis à quovis homine ſciri non poſſunt, debuiſſe à Deo demonſtrari homini per quandam internam oſtenſionem ac viſionem, ſicut & apibus interius demonſtratur artificium mellificandi, araneis artificium texendi. Dari tales veritates, evidens eſt conſideranti. Quis enim ex ipſis terminis ſciat, *dari mundum*, *dari Solem?* ſit enim, quòd in Meridie & Solem videam, & mundum tanquam, unde mihi ex terminis conſtare poterit, non falli ſenſus. aut certè illudi? ſi igitur ante omne ratiocinium datur quædam evidentia mentis, in qua non affirmamus tantopere, quàm intuemur hanc veritatem, & ea evidentia non habe-

tur

tur ex ipſis terminis, clarum eſt, hunc evidentiam eſſe à natura, ſeu potiùs Authore naturæ Deo, idque per habitum menti congenitum. Jam verò, dum in luce meridiana judico dari Solem, & mundum, non ſentio tam violentam paſſionem ac inclinationem ad id judicandum ſicut aliquam ſentio ad objecta voluntatis; ergo ad dictamina intellectus congenita non requiruntur illi violenti impetus. Intellectus videt, indiget ergo lumine & evidentia, non impetu. Voluntas movetur, nec eget lumine, ſed impetu & inclinatione; ridicula ergo eſt prima Lockii ratio qua aſſerit, ideo talia principia practica nobis innata non eſſe, quia non inclinant violenter aut fortiter. Quaſi verò & oculus non videat naturaliter objecta contingentia, cum fide promptiſſima de eorum exiſtentia, quòd non ſentiat ſimilem, aut auris, aeris undulantis impetum. Rurſum conſtat, hanc ipſam veritatem, quòd exiſtat mundus, à Scepticis, ab aſſeclis Meliſſi & Protagoræ apud Platonem omnia confundentibus in unum ens, & ab Atheis, Spinoſæ diſcipulis in controverſiam vocatam, imò & negatam eſſe; igitur & probari hæc veritas debuit à Platone, à Carteſio, & Philoſophis. Igitur ſunt aliqui qui ſine formidine credunt oppoſitum, quin propterea ſequatur hanc veritatem contingentem, quòd detur mundus, non purè ex dictamine naturæ & interna revelatione Dei, ut ſic dicam, notam eſſe. Nempe aliud eſt, quòd tales veritates poſſint longis viarum per ratiocinia ambagibus inquiri, aliud eſt, quod Deus parcat longo, atque incerto itineri. prævidet enim Moderator rerum optimus, nec omnes per demonſtrationis viam ad tanta tanique neceſſaria veritatum culmina eluctaturos, nec eos etiam, qui eò pervenerint,

rint, firmo pede inventis seriò bonis posse insistere; scientia, quæ in indoctis est, timida est, & quæ post longam inquisitionem & occasionum frustra præterfluentium tergum venit, sera est. Decuit loqui Deum, & intùs docere via brevissima, quæ scire certissimè, ac citissimè deceret hominem. Non ergo secunda Lokii ratio quidquam detrahit luminibus naturæ.

In argumento 3.4.5.7. id agere videtur, ut doceat, dictamina illa naturæ supprimi posse, quod non contingeret, si essent impressa â Deo. Hìc iterùm Lockius non intelligit eam, quam impugnat, sententiam, nec naturam dictaminum naturæ. Dicebam priùs, ea naturæ principia nec consistere in actuali cognitione, nec in actualibus objectis ideis, sed in præparatione potentiæ intellectivæ quasi organica, qualis est in apibus, & araneis & aliis quibusvis ad sua particularia objecta animalibus Itaque ad actualem eorum dictaminum cognitionem, qua mediante dirigunt, duo requiruntur; unum est, ut excitentur ideæ, alterum est actualis ad ideas semel emotas attentio. Excitatio idearum dependet ab occasionibus homini per se obviis, sicut excitatio idearum in apibus & araneis ab objectis, & occasionibus animali obviis oritur, sed in homine ob libertatem sibi inditam hoc ipsum, quod in animalibus secundùm naturæ ordinem contingens est, liberum est, nempe actualis ad eas occasiones, in quibus oriuntur ideæ fini humano congruæ, & ad objecta conversio. Quid igitur mirum est, si in hominibus videri extincta possint naturæ dictamina, dum malitia gentis, aut propria perversio avocat ab objectis, congruas ideas germinantibus, aut attentionem ab ideis etiam excitatis subin in tanta occasionum copia ad alias idearum ina-

nium

nium turmas distrahit? quid mirum, si sic continuata actuum perversorum serie ipsa naturalis à Deo congenita ad verum dispositio in organis potentiarum desiccetur, obstruatur, & instar viarum antiquorum nec tritarum, nec reparatarum collabentibus undique parietibus vicinorum montium, usum omnem posteà etiam redire volenti deneget? non oriuntur amplùs in solo tam sterili & inculto idearum fertiles segetes; & si oriuntur pauculæ spicæ, renuit ad eas colligendas abire attentio, sueta cohærere ad alia objecta. An non fieri posse credimus, ipsum, quod in apibus, & araneis Deus intus erexit organum, simili ratione destrui posse, si gauderent humana libertate animantia? an non possent mentem convertere ad alia objecta, & occasiones idearum minimè suo fini congruas? an non attentionem avocare possent ab ipsismet ideis mellificatoriis aut textoriis? at non tandem & luto & pulvere & tineis sic corrumpi posset organum, ut nihil ab ipsis perciperetur pristino artis, aut planè exiguum? possibilem ergo corruptionem, ostendi; factam esse, quæ possibilis est, experientia demonstrat. Nec sequitur, quòd si humana malitia destruere possit organum ac opus Dei, etiam illud erigere potuerit humana sapientia, potest incendi civitas, non similis ædificari ab incendiario; potest horologium corrumpi, sed nonnisi ab artifice construitur; vita adimi potest, dari non potest; calor vitalis obrui potest, & extingui, inseri non potest, nisi à natura, & manu Dei. Idem ergo & impios, & gentes barbaras, quæ & suas & suorum posterorum mentes averterunt à fonte luminis, ut nec discant alieno magisterio depravata ingenia, quæ integra vident nativo in lumine.

Octavò Lockii ratio erat, quia aliæ oſtendi poſſunt omnium eorum dictaminum, quæ naturæ tribuuntur, cauſæ. *Contingere*, inquit, *poteſt, ut dogmata, quæ non ab aliâ origine quàm inani nutritis Religione aut anili ſuperſtitione fluxerant, progreſſu temporis habitis vicinorum aſſenſionibus in principiorum dignitatem ampliſſimam in re Religionis & morum recipiantur. Illi etenim, quibus pueros rectè inſtituere cura eſt, puerorum animos incautos & nullis adhuc præjudiciis opinionum imbutos iis, quæ credi & retineri volunt, doctrinis imbuunt. His ita inſtillatis, quamprimùm vis rationis lucere incipit, & poſteà cùm adoleſcit ratio, per illorum omnium, quibuſcum aſſuescunt, aut ſermones apertos aut aſſenſiones tacitas confirmatis, evenit, ut indubitatarum & ingenitarum veritatum nomen adipiſcantur.* Hæc verò anilia Lockius pueris, quos in ſuo tractaculo *de l'education des enfans* inſtituendos ſuſcipit, non viris occinat. Itane enim virum perſuadeat, has veritates, quòd detur mundus, quòd internarum etiam actionum vindex, ac vita poſt hanc altera ſperanda aut metuenda ſit, nos didiciſſe à nutricibus; undè verò contigit primas nutrices ſuam hauſiſſe ſcientiam? cur tanta univerſim omnium ad eadem principia honeſtatis conformitas? aut ſi hæc videantur levia, reſpondeat Lockius, undè infans inſtituendus ſciat, dari mundum, & nutrices, â quibus doctrinam recipit? an hoc fortè dicet, infantibus eſſe evidens? ſubſiſtat paululum, non dimittam, niſi ſaniora reſpondeat. Quid eſt hoc, quod reſpondet; *Infanti videri evidens, dari mundum & homines?* quid eſt hæc evidentia? undè eſt infanti hæc evidentia? & undè infans ſcit, ſe debere ſequi evidentiam? & undè infans novit diſtinguere

evidentiam ſpuriam à fida & ſinè ſuco candida? quid eſt, inquam, hæc evidentia? eſtne agnitio veritatis evidentis ex terminis, ſicut dum dico, bis duo eſſe quatuor? eſtne ergo ex terminis notum, quidquid obverſatur menti, ſtatim dari extra mentem? eſtne. De ipſa idea mundi & hominum ipſa eorundem extra mentem exiſtentia? conſiſtitne hæc veritas in ipſa habitudine terminorum ad invicem, ſicut dum dico, *bis duo ſunt quatuor*; *idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe*, *omne triangulum habet tres angulos æqualei duobus rectis*? Non profectò, ſi rectè ſapimus; ſed ſunt veritates contingentes, *quòd detur mundus*, & *quòd dentur homines*. Harum veritatum evidentia eſt agnitio veritatis contingentis, qua credimus firmiſſimè, ſine ratiocinio, ſine hæſitatione, illud eſſe verum, quod poſſet ſe aliter habere. Si ergo infans ob hanc evidentiam credit *dari mundum*, & *dari hominem*, inquiramus, undè ſit infanti hæc evidentia? haud dubiè à Deo eſt. Sed ſcitne infans, hanc evidentiam eſſe à Deo? an ratiocinatur, ut ratiocinatur Carteſius, Deum non poſſe fallere, adeoque ſe ab hac evidentia non poſſe decipi? ſi non ratiocinatur; dantur ergo dictamina à Deo indita circa nonnullas veritates, quæ non habentur ab inſtitutione, nec à ratiocinio. Si verò ratiocinatur, eo ipſo cognoſcit, hanc evidentiam ſibi ante ſuum ratiocinium inditam. Dantur ergo iterùm dictamina Dei, & dictamina naturæ, priora ad omnem humanam induſtriam, & priora ad omne hominis ratiocinium, quibus inclinamur ad credendas aliquas veritates contingentes, homini ad finem ſuum conſequendum neceſſarias. Q.E.D. Reſtat, ut jam indicemus Lockio illa principia à Deo indita, quaſi-

ſi totidem revelationes internas Dei, hominî tamen connaturales, quia debitas; dico: eſſe ad minimum ſequentes quatuor. 1. Dari Deum, bonorum remuneratorem, malorum vindicem. 2. Dari vitam alteram. 3. Virtutem colendam eſſe. 4. Dari Religionem revelatam ac determinatam à Deo in ſpecie infima. Extinguat hoc ſibi ultimum lumen hæreticus, miſeret me inſaniæ, negantis jugum Dei providentiam, & in tanta claritate divinorum operum ſomniantis per tot annotum ſæcula dormiiſſe Deum.

Cap. IV. Idem argumentum proſequitur; repetenti eadem, eadem reſpondemus. nec enim rationes eo, quòd diductiones ſint, ſunt propterea ſolidiores.

L. II. Cap. I. Probat omnes Ideas oriri ex ſenſationibus & reflexione ad ſenſationes; nec animam cogitare ſemper etiam noctu, quando homo domo dormit.

Cap. II. & III. De Ideis ſimplicibus.

Cap. IV. De Idea ſoliditatis. Hìc confundit ideam ſoliditatis cum idea corporis impenetrabilis. *Demonſtrare* inquit, *me puto, nos puram ideam ſpatii abſque ſoliditate habere. Idea ſoliditatis eſt ipſa idea corporis, per quam ſpatium illud replere concipimus. Si corpora omnia, quæ in mundo ſunt, aquæ guttulam undique premerent, obſiſtentiam ejus haud exuperarent, atque hinc patet ſoliditatis ideam non ſolùm à puro ſpatio, quod neque renitentiæ, neque motus capax eſt, verùm à vulgari etiam idea duritiei diſtingui.*

Quàm miſera demonſtratio! ſi non probat intentum, infirma eſt. Si probat, contra ipſa Lockii principia invincibiliter fortis eſt. (*Criſis.*) ſi enim alia eſt idea ſpatii, reſpondeat, qualis ſit hæc ipſa idea ſpatii? an fortè eſt idea cujuſdam extenſionis indefinitæ, quæ, ut vult Lokius, non reſiſtit corporibus, ſed

intra ſe recipit corpora? ita ſanè loquitur & ſentit Lockius. Sed quæſo, ſi datur idea talis extenſionis, an Deus non poterit condere rem huic ideæ ſimillimam? ſi enim datur idea, cur non ſit poſſibile ideatum aliquid? non enim datur idea nihili; nullius entis, ſeu nihili, nulla eſt proprietas, adeoque nec ſimilitudo, nec imago, nec idea. Quòd ſi verò Deus condere paſſit rem ideæ ſpatii ſimillimam, quomodo eam rem vocaret Lockius? *ſpatium* fortè. Quid autem, ſi nos illam rem vocaremus *extenſionem*, an aliud diceremus, dum idem concipimus? nemo id dixerit. Liceat ergo rem illam vocare extenſionem, & quid porro ſequatur, videamus. Si eſt aliquid extenſio, & ſi ea extenſio recipit corpora, an ipſa corpora non habent aliquam extenſionem? an non ipſa corpora ſunt aliqua extenſio? ſi guttula aquæ aliud eſt, quàm illa extenſio ſpatii, an guttula aquæ non habet intra limites & intra corticem ſuæ ſubſtantiæ aliquam extenſionem? ſi nullam habet, ergo eſt aliqua bullula intus vacua omni corpore, quod eſt inſipientis cogitare. Si autem guttula aquæ aut aliud quodvis corpus eſt ſua extenſio? Ergo extenſio recipitur in extenſione; extenſio corporis recipitur in extenſione ſpatii, quæ duæ extenſiones in hoc ſolo differunt, quòd extenſio ſpatii non repellat extenſionem aliorum corporum; extenſio autem corporum repellat extenſionem aliorum corporum. Cur autem hæc extenſio habet vim repellendi, & non illa? aut cur neceſſe ſit, fingere duas extenſiones, ſi idea extenſionis poteſt recipere aut abjicere vim repellendorum corporum? aut cur impoſſibile ſit, ut ipſa extenſio ſpatii aliquando repellat corpora, aliquando Deo jubente non repellat corpora? aut cur impoſſibile ſit, ut eadem extenſio aliquando induat hanc figuram, ali-

quan-

quando aliam? vel ut eadem extensio in uno casu constanter ac fortiter retineat suam figuram, in alio casu eandem accommodet corporibus ambientibus? si hæc concipi possunt, si habemus claram ideam, cur Deus non potuerit sic creare mundum? si sic potuit, quæ alia idea facilior, quæ naturalior est, ut dicamus, Deum alio modo creasse mundum? si ergo hoc modo creavit mundum, quæ rebus imponenda erunt convenienter nomina? an non licet, extensionem indefinitam vocare materiam primam? an non licet figuram, & dimensiones extensionis vocare accidentia? an non licet extensionem ut sic vestitam dimensionibus vocare corpus? ridiculum ergo est, ideam soliditatis confundere cum ideæ corporis, & ponere aliam ideam extensionis, in qua recipiatur, cum eadem extensio possit induere omnes habitus corporum, & secundùm quidem leges naturæ ordinarias sua superficie solidissimè repellere alia corpora; per dispensationem autem Legislatoris relicta sua soliditate compenetrari, & intra sese insuper recipere alia corpora.

Cap. V. VI. VII. VIII. agit in specie de variis ideis simplicibus, de idea lucis, colorum, soni, doloris, voluptatis &c. quas omnes credit tantùm dari in anima, nec iis reperiri aliquid simile à parte rei.

Cap. IX. X. XI. agit de perceptione seu apprehensione, memoria, & judicio comparativo unius cum alio.

Cap. XII. De ideis complexis.

Cap. XIII *De* idea spatii. Dicit spatium esse extensionem indefinitam, quæ ultra mundum in spatia imaginaria in immensum porrigitur. de hoc diximus suprà.

Cap. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. De variis ideis modorum, durationis, expansionis, numeri, infinitatis, motus,

ſoni, ſaporis, voluptatis, doloris, iræ, odii, & affectuum animi. Quàm verò ordinatiùs & commodiùs iſta tractantur in Phyſica, ubi vel agitur de decem prædicamentis, vel ubi agitur de proprietatibus corporum naturalium.

Cap. XXI. De Potentia. Admittit Lockius nos habere ideam diſtinctam potentiæ. *Noſtra*, inquit, *potentiæ idea, inter alias ideas ſimplices meritò recenſeri debet, cùm una ſit è præcipuis iliarum, è quibus complexæ noſtræ ſubſtantiarum ideæ conſtantur*. Hucuſque bene. Sed paulò dein addit, tantùm dari duas potentias, *potentiam cogitandi*, & *potentiam movendi*, haſque duas activas potentias ſolùm reperiri in anima, in corporibus enim ſolùm reperiri potentiam paſſivam, ut poſſint moveri, non potentiam activam movendi. *Cùm potentia*, inquit, *omnis referatur ad actionem: & tantùm genera ſint actionum, quorum ideam aliquam habemus, cogitatio nempe & motus; reputemus, unde oriantur ideæ clariſſimæ potentiarum, quæ actiones iſtas producunt, cogitationis nullum omnino ideam nobis corpus ſuppeditat, nec principii motus ideam aliquam à corpore haurimus. Corpus quieſcens nullam nobis ideam præbet activæ cuiuſvis potentiæ movendi; & quando movetur, motus iſte paſſio verius dicitur, quàm actio*. Sic ille, craſſiſſimo errore corporibus vim activam denegans. Si rationem requiras, dicit, *in corpore quieſcente nullam ideam potentiæ activæ reperi*. Quamvis nec iſtud certum ſit, cùm corpora gravia videantur à ſeipſis ad terram ab intrinſeco moveri; ne tamen dubia ſumamus principia in re certiſſima, videamus, quàm craſſo ingenio Lockius cum Neotericis circa rerum naturam diſcurrat. *Corpus*, inquit, *ſemel quieſcens non movet ſeipſum*, ergo non habet potentiam activam movendi.

(*Cri-*

(*Criſis.*) Nemo non videt, hìc à Lockio conſiderari molem corporum naturalium, totamque Maſſam omnium partium, quæ ob pondus totius ſeſe ipſam de loco in alium locum transferre non poteſt. Hæc, inquam, conſideratio nimium craſſa eſt, quàm ut ſit digna Philoſopho. Nec enim in præſenti quæritur præcipuè, an corpora ab intrinſeco habeant potentiam, ut totam molem ſui corporis in alium locum transferant, ſed hoc inprimis quæritur, an in corporibus reperiatur potentia ac vis mutandi texturam ſitum, ac motum ſuarum partium. Si tota textura internarum partium mutetur, vocant noſtri Philoſophi hunc motum *motum generationis* aut corruptionis. Si addantur ordinato incremento novæ partes vocatur *motus augmentationis*; & ſi inteſtinæ partes non tamen præcipuæ abeant aut accedant, aut mutentur, vocatur *motus alterationis*. De his motibus partium, non de motu totius præcipua quæſtio eſt, an principium ac potentia movendi ſit in ipſis corporibus, dico, certum & evidens eſſe, hoc principium eſſe in corporibus. ſit v. g. granum tritici, aut granulum pomi projectum in terram; putreſcat & corrumpatur diſſolutione internarum partium. Accedat pluvia, & calor; germinabit granulum in ſpicam, aut arborem. Jam ſi quis conſideret tot milliones novarum partium, quæ accedunt granulo, donec matureſcat in ſpicam aut arborem, videbit tot milliones novarum obtinere ſitum ordinatiſſimum, & ſuam duritiem aut mollitiem; & obtineri ſemper effectum ſpecie ſimillimum; & hanc ſimilitudinem obtineri in toto mundo uniformiter, quis adeò deſipiat, ut credat hos omnes motus propè infinitos minimarum naturæ partium aut caſu fieri, ex concurſu elementorum, aut contingenter ex granulo-

rum modulis prodire tantos ac uniformes effectus, aut ſolum Deum ſine Mechaniſmo operari iſta omnia? reſtat ergo, impreſſum eſſe ſeminibus ordinem quendam, ſecundùm quem progreſſione quadam continua nobis incognita neceſſe ſit progredi motum minimarum partium, quæ dum emoventur à cauſis generalibus nempe ab æthere ac ſubtili materia, tamen non diriguntur niſi ab ordine activo corporum. Hæc eſt idea activæ in corporibus potentiæ, dum unum ſequitur ad alterum ſecundùm leges motum non generales ſed ſpecificas corporum. Si Lockius priùs examinaſſet, quid ſit potentia cogitanei aut movendi in anima, non eam negaſſet in corpore. Potentiæ movendi in anima eſt ordo animæ ad motum; & potentia movendi in corpore eſt etiam ordo corporis ad motum. Ordo ſemper manet ſibi ſimilis, ſive reperiatur in anima, ſive reperiatur in corpore; ſi illius clara idea habetur, inquantum reperitur in anima, habetur etiam clara idea, prout reperitur in corpore; nec ulla eſt Deo difficultas, ſic conjungendi objecta idearum inter ſe in rebus ipſis, ſicut conjunguntur ideæ inter ſe in mente. poſſum in meo mente conjungere ideam muri, & idem albedinis; poterit & Deus extra mentem conjungere aurum & albedinem; pari modo, ſi ideam ordinis ad aliud ſeu ideam potentiæ poſſum abſtrahere ab anima, cum qua conjungitur; eamque conjungere cum idea corporis, poterit & Deus conjungere ipſam potentiam ſeu ordinem ad corpus; non quidem potentiam cogitandi ſeu ordinem ad cogitationes, quia ſi id Deus faceret, ſubſtantia talis extenſa habens ordinem ad cogitationes non amplius vocaretur à nobis corpus ſed anima; ſed poteſt cum corpore conjungere potentiam ſeu ordinem ad motum, quia

facta

facta tali compositione adhuc manet idea ac denominatio corporis.

Cap. XXII. de Modis mixtis. Modos entium mixtos vocat, quorum ideæ sunt complexæ constantes pluribus ideis; sic *ebrietas*, *mendacium &c.* multas involvit ideas simplices, v. grat. *vini*, *animi actionum*. *&c.*

Cap. XXIII. De Idea substantiæ.

Rectè Varro de Lingua Lat. L. 6. *in bona segete neque nullum est spicum nequam, neque in mala non aliquod bonum*. Sed de Lockianis ideis vix una à contagione errorum evasit idea substantiæ non feliciùs prioribus cessit. sic habet; „Cùm mens magna idea-
„ rum simplicium multitudine instructa ani-
„ madvertat, certum istarum idearum sim-
„ plicium numerum constanter conjungi,
„ in unum subjectum comprehensæ uno no-
„ mine *substantia* appellantur, adeò ut si-
„ quis examinare velit, quam notionem
„ habeat substantiæ in genere, videbit se
„ non aliam huius habere ideam, quàm
„ suppositionem nescio cujus sustentaculi
„ qualitatum. Hinc dum cogitamus de par-
„ ticulari quavis substantia corporea verb.
„ gratia equo, lapide &c. utriusque idea
„ nihil aliud est, quàm collectio variarum
„ istarum idearum simplicium sensibilium
„ qualitatum, quas solemus reperire in e-
„ quo aut lapide. Quoniam verò nequimus
„ eas concipere, ut existentes per se, sup-
„ ponimus eas in aliquo communi subjecto
„ inhærere, & ab eo sustineri. subjectum
„ illud per vocem *substantia* denotamus,
„ etsi certissimum sit nos sustentaculi illius
„ nullam habere claram ideam. Pleræque
„ autem ideæ simplices, quæ complexam
„ nostram substantiarum ideam conficiunt,
„ ritè examinatæ potentiæ tantummodò
„ sunt, utcunque pro qualitatibus positivis à

„ nobis ſumantur, verb. grat. maxima pars
„ idearum, è quibus auri idea conficitur,
„ ſunt flavedo, magnum pondus, ductilitas,
„ fuſilitas, ſolubilitas in aqua regia &c.
„ Hæ omnes autem ideæ tantùm dicunt ap-
„ titudinem ad operandum diverſimodè in
„ alias ſuaſtantias, & ad illarum viciſſim
„ operationes recipiendas. Ita Lockius, eo-
dem modo de Spiritibus & Deo diſcurrens,
quòd & ipſos per complexionem quarundam
idearum, verb. grat. entis, cogitationis, po-
tentiæ &c. comprehendimus. (*Criſis*,) Du-
plex in hac idea ſubſtantiæ Lockianæ eſt er-
ror; primò, quòd collectionem talium qua-
litatum dicat eſſe ipſam ideam ſubſtantiæ ſal-
tem partialiter. Secundò, quòd ſuſtentacu-
lum talium qualitatum dicat, nulla clara idea
concipi poſſe. Nemo eſt, qui concipiendo
equum dicat, colorem equi eſſe ipſam ſub-
ſtantiam equi, Aliud ergo eſt, quòd idea
ſubſtantiæ ſit conjuncta cum idea talium qua-
litatum, aliud eſt, quòd idea ſubſtantiæ ſit
ipſum complexum talium qualitatum. Poſ-
ſum habere ideam Petri gladiati, & pallia-
ti, ſed alia eſt idea Petri, alia idea com-
plexa gladii & pallii. Itaque ſolùm quæſtio
eſt, quidnam concipiamus, dum intelligi-
mus ipſam ſubſtantiam. Admiſit priùs Lo-
ckius nos habere claram ideam ſpatii ſeu
extenſionis. Admiſit etiam, nos habere cla-
ram ideam potentiæ; conjungat iſta duo ſi-
mul, & habebit ideam ſubſtantiæ. ſumat
v. g. extenſionem minimarum partium in
granulo frumenti, aut pomi. His partibus
ſuperaddat potentiam germinandi, & produ-
cendi aliquid ſimile arbori, aut ſpico; &
habebit ideam de ſubſtantia granuli. Porro
ſi potentiam illam germinandi velit in plu-
res ideas dividere, nempe in potentiam pro-
ducendi arborem, in potentiam producendi
folia,

folia, in potentiam producendi flores, in potentiam producendi fructus, in potentiam producendi effectus medicos, aut alios mirabiles, nihil aliud reipsa intelligit, quàm vim insitam dirigendi ordine certo quoad motum partes minimas, & quidem vis illa conjuncta est cum ipsa textura, ordine, ac proportione partium. Hæc est idea substantiæ possibilis, & quia est conformis sensui omnium hominum, præsumendum est, eam visam & agnitam esse in lumine menti insito, sinè ullo ratiocinio. Revera plura à mente videntur, quàm discuntur ratione. visio illa plerumque verior est, quàm subtilitates non solidæ Philosophorum superficialium; & postquam talia juvenilia ingenia profundiùs inspexerunt, ad sensum tandem communem redire coguntur. Hoc contingit in Politicis, œconomicis, & humanis negotiis, vident florida ingenia aliqua, quæ videntur nova & meliora; re tandem inspecta per experientiam, aut longiorem indaginem, agnoscunt sensum communem sapientum vidisse meliora.

Injuriam Lectori facerem, si longiorem in recensendis viri, ut apparet, ex principiis distorti opinionibus navarem operam.

SECTIO VI.

DE

Logica Proteſtantium verb. grat. Claubergii, Clerici, Budei, Crouſazii, Titii, Vvolfii, &c.

PRimi Proteſtantium plerumque ſecuti ſunt Dialecticam Petri Rami, & Melanchtonis. Utraque ferè nihil aliud continet, quàm breviſſimam Syllogiſmi & locorum topicorum notitiam, qualis in noſtro Cypriano traditur jam in Rhetorica. Prodiit tandem circa medium præteriti ſæculi in Hollandia Claubergius, qui *Logicam contractam*, ſeu Compendium Logicæ edidit. Hoc ſæculo ineunte in Hollandia Clericus, in Saxonia Budeus, in Helvetia Grouſazius, in Brandeburgenſi & Heſſenſi Wolfius ſuas quoque Logicas communicarunt. Videamus quas merces ferant.

Claubergius in ſua Logica Contracta agit. 1. De Prædicamentis. 2. De Locis topicis. 3. De diviſione & definitione. 4. De propoſitione. 5. De Syllogiſmo. 6. De memoria. 7. De didactica, ordine, & fallaciis. In 1. 2. 3. 4. 5. 7. parte nil habet, quod non paſſim reperias in noſtris Logicis Peripateticis longè perfectius. In 6. parte de memoria hæc habet. 1. Satius eſt, ut quis ea duntaxat memoriæ mandet, quæ ipſe intellexit priùs, ipſe vera agnovit, quàm alius. 2. Memoriæ officia ſunt tria 1. Objecta fortiter *imprimere*. 2. impreſſa firmiter *retinere*.

3. Re-

3. Retenta promptè *reddere*. 3. *Imprimi* facilius poterunt, si res addiscendæ claræ, perspicuæ, & ordinatæ sunt. 2. Si mens ad eas attenta nullis aliis cogitationibus turbetur. 3, Magis imprimuntur, quæ viva haurimus voce, quàm quæ tantummodo leguntur, vel meditando inveniuntur. Addere potuisset Claubergius, 4. Ea omnium fortissimè imprimi, quæ viva voce hauriuntur ex ore virorum, qui in summa authoritate constituuntur, qui æstimantur, qui amantur, qui gravissimè, ac magna confidentia rem proponunt, qui & eloquenter rem proponunt, qui doctrinam acuto ac memorabili dicto, aut viva sententia comprehendunt, qui alligant veritatem exemplo aut paritati, in phantasia vivacissimo, qui audiuntur cum magna exspectatione, qui audiuntur cum magna frequentia & admiratione populi, qui audiuntur cum magno apparatu, qui audiuntur circa objecta excitantia majorem strepitum. hæc, inquam, addere potuisset Claubergius, & ipsa digna memoria. ex hoc enim refellitur eorum imprudentia, qui aut studia privata publicis æquiparant, aut Missionariorum conciones non æstimant, eò, quòd nil aliud doceatur in universitatibus aut studiis publicis, quàm privatis, nec aliud dicatur à Missionariis, quàm quod dicitur perpetuò à parochis, quamvis enim non dicatur aliud, dicitur tamen majore apparatu, & majore auditur exspectatione, & actione vehementiore, & ideò imprimitur fortiùs. Sed pergar Claubergius. 5. *Retinebis* inquit fideliùs 1. si crebrò rem eandem repetas. 2. si ignotum, ad simile quoddam notum. 3. si multa ad pauca. 4. si anomala ad regulas quantum fieri potest reducere coneris, verb. gratia in studio linguarum, quod maximè memoriam requirit, verba omnia

ad

ad certas quaſdam radices, ſeu prima themata; quæ reſpectu derivatorum & compoſitorum pauca ſunt, referuntur, tum ignota vocabula cum aliis notioribus comparantur, v. g. Græca & Latina cum vernaculis comparantur, θύρα... μῆς... Sic latini Recentiores Grammatici multa oſtendunt eſſe regularia, quæ aliis olim viſa ſuut anomala; quæ autem regulis conformia ſunt; faciliùs memoria retinentur, quàm quæ propter ſingularem quandam proprietatem à regulis excipiuntur. Prodeſt quoque ad rem fideliùs memoria continendam, ſi ligatæ orationis metro adſtringatur. In lectione librorum impreſſionis ac retentionis ſubſidia ſunt, ſi obſervatu digniſſima aliis typis exprimantur vel ductis lineolis, vel aſteriſcis in margine poſitis notentur. Item ſi prolixior tractatio in Epitomen & ſummam contrahatur, aut in tabulas per diviſiones & ſubdiviſiones præcipuas redigatur. 6. *Redditio* promptior fit ſæpe iteratis memoriter recitandi, perorandi, diſſerendi exercitiis, quamobrem hæc in Scholis frequentari debent. Huc addi poſſet, quod à viro docto ac pio accepi. Dicebat mihi, ſe, dum adhuc erat junior, potuiſſe reddere ſexaginta aut ſeptuaginta nomina propria hominum, eo prorſus ordine, quo ſibi una vel altera vice prælegebantur, aut recitabantur. Artificium conſiſtit in eo, ut priùs quis ſibi formet diſtinctam ideam alicujus ædificii v. g. templi, aut palatii, aut plurium, & in iis tot ſibi repræſentet vel columnas, vel altaria, vel capellas, vel cubicula, quot recitari nomina vult. Poſtquam ergo ſibi diſtinctiſſimam formavit ideam talium v. g. ſexaginta altarium, vel cubiculorum, tunc jubet, ut alter ſibi pronuntiet primum nomen; ſit v. g.

illud

illud nomen *Petrus*, itaque Petrum collocat in primo cubiculo, & in hoc cubiculo fingit sibi varias actiones Petri, varias imagines referentes historiam Petri, varia monumenta aut inscriptiones habentes relationem ad aliquem Petrum sibi notum; vel cogitat de vario hujus cubiculi pro aliquo Petro sibi moto. Sic ergo fit, ut in memoria commiscentur & conjungantur idea cubiculi apparatu & idea Petri; adeoque non possit excitari idea primi cubiculi, quin simul excitetur idea Petri. Postquam sic primum nomen cum idea primi cubiculi commiscuit, & aliquantulum quievit, jubet sibi recitari secundum nomen; hoc iterum eadem methodo commiscet cum idea secundi cubiculi; sic pergit ad tertium, quartum, & sexagesimum nomen; & completa operatione redit ad sua cubicula jam priùs in memoria ordinatim disposita; aperit primum, & in eo ob idearum commixtionem reperit Petrum, in secundo Simonem, in tertio Carolum, donec omnia prorsus cubicula lustrando singula nomina invenerit, & rediderit. Hæc Claubergio addere volui, ut dum hæretici suam pauperiem communicant, non ingrati par pari referamus, curiosa nempe hominibus curiosis, semper aliquid novi, Athenienſium more, nil unquam solidi & antiqui requirentibus.

Joannes Clericus, hæreticus Ecclesiæ Remonstrantium seu Arminianorum in Hollandia, Philosophiam suam prima vice edidit 1694. quæ Lipsiæ 1710. recusa est. Præminator novæ editionis in præfatione dicit; vestigia Philosophiæ à Clerico traditæ secutum esse Buddeum in suis Institutionibus Philosophiæ Eclecticæ, sic tamen, ut Clerici opera Philosophiæ Commentarii uberioris

rioris in Philoſophiam Buddeanam, *quæ nunc*, inquit, *in Academiis & Scholis paſſim apud nos Germanos* (hæreticos) *traditur*, vicem obtinere à multis cenſeantur.

In Logica Clericus agit. 1. De Ideis. 2. De propoſitione. 3. De Methodo. 4. De Argumentatione. His ſubnectit diſſertationem *de argumento Theologico ab invidia ducto*. In 1. 2. 3. 4. parte id tantùm agit, ut vel deſcribat, vel explicet Arnaldum, cujus Artem cogitandi ſupra exhibui. Itaque de ſolo *Argumento ab invidia ducto*, quod novum Clericus de ſuo protulit, agamus. Oſtendam autem, nihil minus quàm *argumentum ab invidia ductum* eſſe, aut vocari poſſe, quod Clericus tam infami nomine proſtituit. Argumentum enim illud vel poteſt prodire ex zelo, vel ex invidia; iniquum ergo eſt, huic argumento tam infamem inurere notam, & quaſi fronti inſcribere characterem infamiæ, ut quisquis eo argumento uſus fuerit, habeatur pro fabro conflandæ invidiæ. Non propterea gladius, ſi frequenter furori miniſtrat arma, debet propterea vocari inſtrumentum inſaniæ; eſt etiam gladius Gedeonis, gladius zeli, cui inſcribas nomen juſtitiæ; quod, ut ſentiant, qui adverſus Romanam Eccleſiam diſtenduntnr invidia, Clericum proprio enſe confodimus. Ipſiſſima enim exempla, quibus utitur tanquam profectis ab invidia, oſtendam meritò librata eſſe à juſti zeli prudentia.

Primum exemplum. Primò, inquit Clericus, conflatur invidia *falſa interpretatione* ſententiæ, quæ infamanda ſuſcipitur. Sic Hieronymus imperitorum odium in Vigilantium incendit, clamitando „ eum os fœtidum „ aperire, & putorem ſpurciſſimum contra „ Sanctorum Martyrum proferre Reliquias, „ & eas, qui eas ſuſcipiunt, appellare cinera-

„ rios,

„ rios, & idololatras, qui mortuorum homi-
„ num ossa venerarentur; eum contra Mar-
„ tyrum sanguinem dimicare, contra Apo-
„ stolos pertonare, imò instar rabidi canis la-
„ trare contra Christi discipulos.

Secundò. Non modò res invidiosæ dicuntur, sed nomina invisa iis imponuntur, quibus plebecula, & qui eam imperitia referunt, sæpe magis offenduntur, quàm rebus ipsis. Sic Hieronymo Vigilantius est non modò os fœtidum, sed Samaritanus & Judæus, qui corpora mortuorum pro immundis habeat.

Tertiò. Infamanda sententia confertur cum dogmatibus invisorum hominum, ut audita collatione omnes cohorrescant, & insurgant in miseros, quasi in reos errorum publico judicio dudum damnatorum. Sic Hieronymus Vigilantii doctrinam confert cum doctrinis hominum dudum infamatorum. „ Q
„ portentum, inquit, in terras ultimas de-
„ portandum! rides de reliquiis Martyrum,
„ & cum Authore hujus hæreseos Eunomio
„ Ecclesiis Christi calumniam struis; nec
„ tali societate terreris, ut eadem contra nos
„ quæ ille contra Ecclesiam loquitur. --quæ
„ olim appellabatur Gajana hæresis, & mul-
„ to tempore dormiens vel sepulta nunc à
„ dormitantia suscitata est--spiritus iste im-
„ mundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe
„ hoc vilissimo tortus est pulvere, imò hodie-
„ que torquetur, & qui inte plagas dissimu-
„ lat, in cæteris confitetur. Nisi fortè in
„ morem gentilium impiorumque Porphy-
„ rii, Eunomiique has præstigias dæmonum
„ esse confingas, & non verè clamare dæmo-
„ nes, sed sua simulare tormenta.

Quartò, ut infametur doctrina, ut qua quispiam ab aliis dissentit, summopere exaggeratur momentum controversiæ etiam levis, quasi admissis adversariorum dogmatibus Religio

gio ipſa Chriſtiana in periculo verſaretur, aut convellerentur fidei Chriſtianæ fundamenta. Conantur invidiam moventes, ut Cicero pro Fontejo ait; *Magnitudine rei* ſic occupare animos eorum qui audiunt, ut difficilis aditus veritati relinquatur. Ac ſanè motis ſemel affectibus omnia magna videntur, & quæ ab hominibus nullo affectu præpeditis ſpernerentur; aut certè levia haberentur delicta, ea quaſi graviſſima odiis acerrimis premuntur. Sic Hieronymus non parum momentum controverſiarum, quas movebat Vigilantius adauxit. Concedamus enim, erraſſe Vigilantium, an propterea cœlum terræ miſcendum fuit? an properea exclamandum erat. „ O præcidendam lin„ guam à Medicis, imò inſanum curandum „ caput, ut qui loqui neſciat, diſcat ali„ quando tacere. Ego vidi hoc aliquando „ portentum & teſtimoniis ſcripturarum „ quaſi vinculis Hippocratis volui ligare „ furioſum -- fatebor tibi dolorem meum; „ ſacrilegium tantùm patienter audire non „ poſſum.

Quintò. Si contingat, ut ii, qui infamandi ſuſcipiuntur, nolint uti vocibus quibuſdam plurium authoritate vel uſu conſecratis, quòd eas non intelligant, aut incommodas judicent, ingens conflatur invidia, quaſi dogma ipſum rejicerent, quod vocibus illis exprimi ſolet.

Sexto. Cùm nihil aptius ſit ad leniendam invidiam, quæ in ſententiam quampiam accenditur, quàm rationes ut firmæ, aut veriſimiles, quibus ſolet defendi, rationes omnes illæ ſtudioſiſſimè occultantur, quo fit, ut imperiti exiſtiment, eam ſententiam in medium eſſe prolatam novarum rerum dumtaxat ſtudio, aùt pravo etiam conſilio. In hoc 5. & 6. Loco non invenit Clericus exem-

exemplum in Hieronymo contra Vigilantium.

Septimò. Si quæ ſententia defendenda ſuſcipitur contra aliam, in quam movetur invidia, incommoda quibus premitur ſententia defendenda, diligenter diſſimulantur, dum mirum in modum exaggerantur, quæ adverſariis poſſunt objici. Vigilantius ita allocutus fuerat eos videbat quos videbat reliquias Martyrum cultu proſequi. Quid neceſſe eſt te tanto honore non ſolùm honorare ſed etiam adorarare illud neſcio quid, quòd in modico vaſculo transferendo colis. Quid tamen reponit Hieronymus? negat, quòd ipſe etiam non neſciebat. *Quis* inquit, *O inſanum caput aliquando Martyres adoravit? quis homines pueavit Deum?* Objecerat Vigilantius, propè ritum Gentilium videri ſub prætextu Religionis introductum, Sole adhuc fulgente moles cereorum accendi. Reſpondit Hieronymus. *Illud fiebat idolis, & ideirco deteſtandum eſt; hoc fit Martyribus & ideo recipiendum eſt.*

Octavò. Cùm multa poſſint invidiam amoliri à ſententia, & hominum animos ei conciliare, aut placare, illa alto ſilentio obvolvuntur, dum contraria omnia multis deducuntur. Hìc iterúm Clericus non habet novum exemplum ex Hieronymo.

Nonò. Ut accendatur invidia, non modò invidioſiſſimè exponuntur ipſa dogmata, ſed & conſectaria invidioſa ex iis deducuntur, ſeu falſa ea ſint ſeu vera? ſeu nequaquam pro legitimis conſectariis ab iis, qui oppugnantur, agnoſcenda. Sic Hieronymus conſectaria adverſus Vigilantium proponens ait.

„ Ergo Petri & Pauli immundæ ſunt reli-
„ quiæ? ergo Moyſi corpuſculum immun-
„ dum erit, quod juxta Hebraicam verita-
„ tem ab ipſo ſepultum eſt domino? & quo-
„ tieſcunque Apoſtolorum, & Prophetarum,

&

„ & omnium Martyrum Basilicas ingredi-
„ mur, toties idolorum templa venera-
„ mur? accensione ante tumulos eorum ce-
„ rei idolatriæ insignia sunt? plus aliquid
„ dicam, quòd redundet in authoris caput,
„ ergo & Domini corpus in sepulchro posi-
„ tum immundum fuit?

Decimò. Augetur invidia suspicionibus. Si Hieronymus suspicabatur, aut se suspicari fingebat, Vigilantium non credere immortalitatem animiæ. „ Miror, inquit quòd non
„ dicas, nequaquam perpetienda Martyria,
„ Deum enim qui sanguinem hircorum tau-
„ rorumque non quærat, multò magis ho-
„ minum non requirere. Quòd cùm dixeris,
„ immò etsi non dixeris, ita habeberis,
„ quasi dixeris; qui enim reliquias Marty-
„ rum asseris calcandas esse, prohibes san-
„ guinem fundi, qui nullo honore dignus
„ est.

Undecimò. Invidia movetur vel augetur objectione novitatis. Hìc nullum exemplum ex Hieronymo.

Duodecimò. Non levis invidia conflatur sententiæ objectione paucitatis eorum qui eam tuentur, multitudinis verò oppugnantium. Sic Hieronymus contra Vigilantium. „ Om-
„ nes Episcopi non solùm sacrilegi, sed &
„ fatui judicandi, qui tam vilissimam &
„ cineres dissolutos in serico & vase aureo
„ portaverunt. Stulti omnium Ecclesiarum
„ populi, qui occurrerunt reliquiis.

Decimotertiò. Invidia concitatur non solùm ipsi sententiæ, aut iis, quæ aliquam affinitatem cum ea habent, sed alienis multis rebus, quæ tractantur, permixtis, quia sunt apta ad excitandum odium. Sic Hieronymus Vigilantio factum ad causam impertinens exprobat. „ In hac provincia inquit.,
„ cùm subitus terræ motus noctis medio.

„ omnes

„ omnes de ſomno excitaſſet, tu prudentiſ-
„ ſimus & ſapientiſſimus mortalium nudus
„ orabas, & referebas nobis Adam & Evam
„ de Paradiſo.

Decimoquartò. Cùm multa ſint in vita quæ per ſe nec bona ſunt, nec mala, & tamen poſſunt in deteriorem partem accipi, ac interpretationibus malignis premi, invidiæ artifices in adverſariis talia avidiſſimè arripiunt, atque in ea omnibus eloquentiæ ſuæ velis invehuntur. Jejunia & virginitas per ſe indifferentia ſunt; Hieronymus in Vigilantium ſic tamen invehitur. „ Exortus
„ eſt, inquit, Vigilantius ſeu potiùs Dormi-
„ tantius, qui immundo ſpiritu pugnet con-
„ tra Chriſti ſpiritum; dicit eſſe continen-
„ tiam hæreſin, pudicitiam libidinis ſemi-
„ narium, in iſto Joviniani mens prava ſur-
„ rexit; ille Romanæ Eccleſiæ authoritate
„ damnatus inter Phaſides aves, & carnes ſuil-
„ las non tamen emiſit ſpiritum, quàm eru-
„ ctavit; iſte caupo Calagurritanus miſcet
„ aquam vino, & de artificio priſtino ſuæ ve-
„ nena perfidiæ Catholicæ fidei ſociare co-
„ natur, impugnare virginitatem, odiſſe
„ pudicitiam, in convivio ſæcularium contra
„ Sanctorum jejunia proclamare dum inter
„ phialas philoſophatur &c.

Decimoquintò. Invidia ingens ſæpe conflata eſt innocentibus, dum accuſati ſunt apud eos, qui de re, cujus inſimbulabantur, minimè judicare poterant. Sic Hieronymus populum ſuæ ſententiæ judicem & vindicem facit, ubi ex Vigilantii dogmate ſequi contendit, ut ſint ſtulti omnium Eccleſiarum populi, qu occurrerant ſanctis reliquiis Samuelis Prophetæ, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperant, ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur populorum examina.

Deci-

Decimoſextò. Invidia innocentibus movetur, dum infamantur quaſi perturbatores publicæ tranquillitatis; quòd ignota veritas vix ſine animorum motu intromitti in Rempublicam poſſit. Vel qui diſſentiunt à ſumma poteſtate in Religionis negotio, illi infamantur, quaſi eam ſtultitiæ aut impietatis damnarent. Ita Hieronymus contra Vigilantium, „ Ergo ſacrilegus fuit Conſtantinus „ Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, „ Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dœmones rugiunt, „ ſacrilegus & nunc dicendus eſt Auguſtus „ Arcadius, qui oſſa beati Samuelis longo „ poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thra„ ciam. Malè facit ergo Romanus Epiſco„ pus, qui ſuper mortuorum hominum Pe„ tri & Pauli ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem pulviſculum of„ fert Domino ſacrificia, tumulos eorum „ Chriſti arbitratur altaria. Et non ſolùm „ unius Urbis, ſed totius orbis errant Epi„ ſcopi, qui cauponem Vigilantium con„ temnentes ingrediuntur Baſilicas mor„ tuorum.

Criſis. En! hæc ſunt exempla Clerici, quæ per ſeipſa manifeſtum faciant, D. Hieronymum uſum eſſe argumento ducto ab invidia. Itaque & Joannes præcurſor, & Chriſtus & Apoſtoli uſi fuerint *argumento ab invidia*, dum Phariſæos traducunt invidioſis nominibus, dum eos comparant cum objectis horroris univerſalis omnium, dum exaggerant eorum errores ſine ullo excuſationis velo, dum actiones ſecundùm ſe indifferentes gravant interpretatione animi, dum denique actiones ad ſummam rei non pertinentes excutiunt. *Progenies*, inquinnt, *viperarum quis demonſtravit vobis fugere à ventura ira? omnis arbor, quæ non facit fructum bonum exci-*

detur

detur, & in ignem mittetur. Paleas comburet igni inextinguibili. Cavete à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Similes sunt sepulcris dealbatis quæ foris apparent speciosa hominibus, intus autem sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia. Amant primos recubitus, & salutari ab hominibus, & vocari ab hominibus Rabbi. Non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis & vicis ut honorificentur ab hominibus. Exterminant facies suas, ut appareant hominibut jejunantes. Dilatant phylacteria, & magnificant fimbrias. Væ, qui comeditis domos viduarum, oratione longa orantes, væ qui in via Cain abierunt, & errore Baalam mercede effusi sunt & in contradictione Core perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, nubes sinè aqua quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, eradicatæ, fluctus fieri maris, despumantes suas confusiones. Carnem maculant, dominationem contemnunt, majestatem aut blasphemant. Hoc scilicet, si Clericum consulimus, omnia sunt argumenta ducta ab invidia. Si verò hæc omnia zelo & moderatione plena sunt, non erit ex ipso modo tendendi evidens, ut Doctor Ecclesiæ trahatur in exemplum invidiæ. Causa priùs inspicienda, quàm animus; & nulla unquam justior irarum causa, quàm illa Hieronymi fuit: agebatur de religioso Reliquiarum cultu, consecrato universali sensu ac usu primitivæ Ecclesiæ. Nullus antiquorum Patrum proferri potest, qui hunc cultum improbet; omnes, qui de illo scribunt, in Oriente & Occidente, eundem voce, calamoque promovent & extollunt. Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius innumeris locis hunc cultum toto orbe receptum

ptum teſtantur. Solus Caupo Vigilantius obſiſtit, nec ab ullo hominum fidem repe-rit. Hunc dum D. Hieronymus opprimit ſenſu totius Eccleſiæ, Clerico videtur uſurpari argumentum ab invidia. At verò non Hieronymus Vigilantio, ſed Clericus Hieronymo fruſtra conatur conflare invidiam. Manifeſti enim furoris eſt, ſentire, quòd illa florentiſſima & Doctorum feraciſſima poſt Conſtantinum Eccleſia ex ipſis adhuc calentibus Martyrum cineribus, queis ſubverſa eſt Idololatrarum impietas, ſumpſerit univerſalis idololatriæ exordium. Si enim potuit dormire erga Eccleſiam Divina Providentia eo tempore, quo in Eccleſia dabantur Sanctorum pietate & miraculis illuſtrium exercitus, ſi conceſſa ſunt aliqua nonnullis illuſtrationum & motionum ſanctarum auxilia, impoſſibile erat nulli Sanctorum inſpiratum fuiſſe fortiorem adverſus novam illam Idololatriam animum. Non levis momenti erat controverſia, ut fabulatur Clericus, *adorare non tantùm honorare* Reliquias, aſſumere ritus Gentilium, improbare uſum Eccleſiæ, calcandas docere reliquias, ſuperſtitionis damnare orbem Chriſtianum, non ſunt hæc indifferentia, ſed aut impium in hoc genere eſſe oportet aut Religioſum; aut negandus eſt Deus miſeris & Providentia; aut recipienda eſt vetus illa Eccleſia, & conſpuenda recens Hæreticorum inſania.

Buldeus, in Academia Jenenſi Profeſſor Theologiæ, ſuorum oraculum, edidit *Elementa Philoſophiæ Inſtrumentalis*, ut vocat. ſeu *inſtitutiones Philoſophiæ Eclecticæ*. In Proœmio Philoſophiæ tradit hiſtoriam Philoſophiæ ſuccinctam tum veteris, tum novæ. Logicam ſeu Philoſophiam Inſtrumentalem dividit in quatuor partes:

1. De

1. De ratione inveniendi verum.

2. De ratione veritatem ex aliorum ſcriptis eruendi.

3. De ratione veritatem cum aliis communicandi.

4. De notitia terminorum Philoſophicorum.

Primam partem *dividit* in 4. Capita.

1. De intellectu humano ejuſque operationibus & facultatibus.

2. De Intellectus humani viribus & imbecillitatibus.

3. De intellectus humani ſanitate, & virtutibus.

4. De mediis emendandi intellectum, ſanitatique reſtituendi.

In parte 2. attingit naturam ſermonis, & paucas quaſdam regulas interpretationis ſeu hermeneuticas.

In Parte 3. agit de Methodo ducendi.

In Parte 4. agit de ente, & attributis entis.

Criſis. Nonne rem magnam exſpectas à titulis tam novis? erras, quæcunque in his quatuor partibus Logicę duodecim plagulis formis majoribus conſtructa fermè omnia ex Arnaldi *Arte cogitandi* ſuperiùs recenſita deſumpta ſunt. Hinc & poſteà, ut ex gratiudine decuit, Arnaldum latino idiomati ex Gallico donavit addita præfatione. Si ergo Academiæ Proteſtantium utuntur communiter operibus Clerici & Buddei, rationis ſuæ directionem debent Arnaldo, & Galliæ.

Crouſazius anno 1712. aliud quoddam novum Syſtema Logicæ edidit ſub titulo; *Syſteme de Reflexions, ou Nouvel eſſai de Logique*. dividit Logicam in 4. Partes. 1. De ideis, 2. De propoſitione, 3. De argumentatione. 4. De Methodo. Et ipſe quoad ſubſtantiã omnia deſumit ex Arnaldi Arte cogitandi. In

prima eſt ſolùm parte fuſior eſt, ubi ſimul agit de principiis humanæ cognitionis ac origine idearum, nempe de ſenſu, intellectu, imaginatione, & omnibus paſſionibus animi. Ea ipſa verò deſumpſit ex Carteſio *de paſſionibus*, & ex P. Mallebranche, nihil igitur præclari hæretici, qualis eſt Crouſaz, Profeſſor in Academia Lauſannenſi, de ſuo conſerunt.

In eundem cenſum veniunt Logica Titii, & Groſſeri; illa prodiit Lipſiæ 1702. ſub titulo. *Ars cogioandi ſive ſcientia cogitationum cogitantium cogitationibus neceſſariis inſtructa & à peregrinis liberata*. Altera ibidem prodiit ſub titulo. *Pharus intellectus ſivè Logica Electiva Methodo Neoveterum præceptis & ſanæ rationis uſui ſano congrua*. Piget referre ineptias; ex titulo colligamus cætera. Omittam etiam agere, *de Philoſophia principiis pedantiſmo oppoſita*, quæ prodiit Lipſiæ 1711. in ea enim non tam traduntur regulæ pro inveniendo vero, quàm pro dirigendis principum ac nobilium moribus.

Itaque ad noviſſimas Logicas Lutheranorum progrediar, nempe ad Logicam Rohrii, & Wolfii. Illa Germanicè prodiit 1726. Lipſiæ hoc titulo: ..... Diviſio operis eſt in Capita 18. 1. De Logica in genere. 2. De impedimentis veritatis. 3. De Meditatione. 4. De Ideis. 5. De Propoſitione. 6. De Syllogiſmo. 7. De Problemate. 8. Experientia. 9. De Tentamine. 10. De Probabilitate. 11. De Fide. 12. De Methodo docendi. 13. De Scribendis libris. 14. De Lectione librorum. 15. de Interpretatione. 16. De Criterio librorum. 17. De Defenſione & refutatione. 18. De uſu ac praxi veritatum: Recenſerem hic plura, niſi viderem Rohrium diſcipulum pleraque hauſiſſe ex VVolfio ſuo Magiſtro; de

de hoc ergo ſolo nunc fuſiùs agendum eſt.

Chriſtianus VVolfius, priùs Profeſſor in Academia Hallenſi Brandenburgenſi, nunc verò in Marbugenſi in Haſſia tria jam diverſa opuſcula Logica edidit; primum Germanicum, ſub titulo: ... alterum erat Latinum; ſub titulo: *Philoſophia rationalis*. tertium hoc anno 1728. prodiit; ſub titulo *Philoſophia rationalis, ſive Logica methodo ſcientifica pertractata*. (*Criſis.*) In hoc ultimo omnia complectitur quæ in prioribus utilia dixerat. Ea verò, quamvis pauciſſima ac etiam tenuja ſint, hac vice opere vaſtiſſimo: ſecundum, latum, neſcio an etiam profundum diduxit. Si Arnaldus, Author Artis cogitandi ſurgeret, gloriaretur, ſe non fruſtra Mathematicis ſcripiſſe dicam, quòd onerent memoriam propoſitionibus aliàs per ſe manifeſtiſſimis, & has ipſas probent ac demonſtrent argumentis fuſiſſimis. Wolfius certè totum opus replevit meris axiomatibus, & poſtulatis, & obſervationibus, de quibus nemo facilè dubitaverit; ſed ille veritates illas circum undique munit & involvit demonſtrationibus, veritus fortè, ne læderentur à muſcis, ſi ſine demonſtrationum flagro incuſtuditos reliquiſſet tam nobiles ſui ingenii partus. Nobis autem ſuffecerit, patienter reddidiſſe ipſas VVolfii propoſitiones; ſcio, demonſtrationes lector benevolus non requiret.

Opus in duas partes diviſum eſt. Prima eſt, Logica Theoretica. Secunda, Practica. Quibus diſcurſum præliminarem præmittit, de Philoſophia in genere. Logica Theoretica agit. 1. De ideis. 2. De propoſitione. 3. De ratiocinatione. Logica practica agit 1. De criterio veritatis certo & probabili. 2. De Experientia. 3. De ſcribendis & dijudicandis libris,

4. De Interpretatione. 5. De Methodo defendendi & refutandi. 6. De Methodo docendi. 7. De usu Logicæ in praxi vitæ.

DISCURSUS PRÆLIMINARIS.

De Philosophia in Genere.

CAPUT. I.

De triplici cognitione humana, Historica, Philosophica, & Mathematica:

1. SEnsuum beneficio cognoscimus, quæ in mundo materiali sunt & fiunt; & mens sibi conscia est mutationum, quæ in ipsa accidunt. Sanè sensu duce nobis innotuit, dari animalia, mineralia, hominem inter bestias educatum rationis usu minimè pollere.

Critice. NB. Falsum est, nos omnia scire, quæ fiunt in anima. justificatur infans per baptismum, etiamsi hoc nesciat, aut certè contrahit peccatum originale, quamvis hoc nesciat. Operatur anima multa in corpore, quamvis hoc nesciat; aut ponamus verum esse totum Systema VVolfianum & Leubnizianum; animam esse quendam mundum, in quo evolvantur rerum & cognitionum series, quin anima aliquid agat in corpus aut aliquid patiatur à corpore; certum tamen est, animas omnium hominum, usque dum veniret Leubnizius & VVolfius, ignorasse has suas perfectiones & evolutiones, non igitur anima omnia scit, quæ in se contingunt. Dein alterum falsum est,

quòd

quòd experientia conſtet, hominem inter beſtias educatum uſu rationis non pollere. Ad experientiam & ad univerſalem propoſitionem requiritur, ut conſtanti obſervatione, per multos caſus, in plurimis locis, in diverſiſſimis circumſtantiis res obſervata ſit. Has enim leges ipſe præſcribit VVolfius. Quot autem caſus, VVulfius proferre poterit pro illa propoſitione? fortè unum? aut etiam alterum? plures certè non: & illos ipſos duos non hauſit propria experientia; non ipſemet ſuis uſurpavit oculis, nec examinavit circumſtantias. Tertium peccarum VVolfii eſt, quòd principio totius Philoſophiæ, quod deberet eſſe omnium certiſſimum, & conceſſum ab omnibus, prout præſcribit ipſe de Methodo, hic immiſceat ea, quæ ſunt dubia, aut certè controverſa. Nihil itaque accurati nobis promittit VVolfius in aditu ſui operis. Pergamus ad certiora.

3. Cognitio eorum, quæ ſunt atque fiunt, ſive in mundo materiali, ſive in ſubſtantiis immaterialibus accidant, *Hiſtorica* à nobis appellatur.

4. Ea, quæ ſunt vel fiunt, ſua non deſtituuntur ratione, undè intelligitur, cur ſint vel fiant.

Criſis. NB. Potuiſſet VVolfius dicere, *non deſtituuntur ſua cauſa*, ſed, quia ex Syſtemate Leubniziano ſupponitur omnia vivere, ſentire, & intelligere, noluit præjudicare hic ſententiæ, ſed potiùs uti termino æquivoco, dicendo, *non deſtituuntur ratione*. Uti verò terminis æquivocis in ipſis ſcientiarum principiis, eſt contra Methodum.

6. Cognitio rationis eorum quæ ſunt vel fiunt, Philoſophica dicitur.

7. Differt cognitio Philoſophica ab Hiſtorica.

8. Qui novit, quam facti rationem alleget alter; is Hiſtoricam habet cognitionem cognitionis Philoſophicæ alterius.

9. Siquis demonſtrare non noverit, rationem facti ab altero allegatam eſſe ejus rationem, iis cognitione Philoſophica ejuſdem facti deſtituitur.

10. Si per experientiam ſtabiliuntur ea, ex quibus aliorum, quæ ſunt atque fiunt, vel fieri poſſunt, ratio reddi poteſt, cognitio Hiſtorica Philoſophicæ fundamentum præbet.

11. Apparet adeò, cognitionem Hiſtoricam non eſſe negligendam ei, qui ad philoſophiam aſpirat, ſed eidem potiùs præmitti, imò cum ea conſtanter conjungi debere.

13. Quidquid finitum eſt, ſua determinata gaudet quantitate.

Criſis. NB. Hìc peſſimè errat V. Volfius, aut certè ſupponit aliquid pro principio, quod plerumque negatur, aut controvertitur. Datur quantitas molis, & quantitas virtutis, ut loquitur D. Auguſtinus in libro de *quantitate animæ*, ubi quærit, utrùm anima habeat quantitatem? Quòd verò anima, & alii ſpiritus non habeant quantitatem molis ſeu extenſionis, de qua ſola V. Volfius loquitur, docent alii Philoſophi communiter. Verum quidem eſt, quòd V. Volfius cuidam ſuarum opinionum ignaro poſſit videri, quaſi loqueretur etiam de quantitate virtutis, dum loquitur de gradibus caloris, attentionis, virtutum, & vitiorum; ſed hæc omnia conſtituit in re quanta, ut ex ejus hypotheſi liquet.

14. Cognitio quantitatis rerum eſt ea, quam *Mathematicam* appellamus.

Criſis. NB. Matheſis tantùm conſiderat quantitatem diſcretam. quæ eſt in numeris, & continuam, quæ eſt molis. Si aliud Matheſ-

obje-

objectum constituit, eoipso sumit terminum jam receptum in alia significatione, quàm sumunt omnes alii, quod est contra Methodum, quia sic omnia confunduntur & aperitur janua æquivocationibus. Si verò hic *Mathematicam* sumit in ea significatione in qua sumitur ab aliis, eoipso per quantitatem hìc non intelligit quantitatem virtutis; ergo etiam in præcedenti numero non potuit convenienter per quantitatem intelligere quantitatem virtutis; aliàs sumeret eundem terminum aliter inpræmissis, aliter in consequente, quod non licet. Nihil igitur accurati est in his præliminaribus.

15. Qui novit quantitatem rei ab altero assignatam, is Historicam habet cognitionem cognitionis Mathematicæ alterius.

16. Si quis quantitatem rei ab altero assignatam demonstrare valet, is ejusdem cognitionem Mathematicam perinde ac alter habet.

17. Differt autem utique cognitio Mathematica cùm ab Historica tum à Philosophica.

18. Nonnunquam Historica cognitio fundamentum præbet cognitioni Mathematicæ, nonnunquam Philosophica.

19. Veritatum Mathematicorum datur etiam Historica cognitio.

20. Facta naturæ latent subinde, ut non se sponte offerant attendenti.

21. Historica cognitio communis infimis cognitionis humanæ gradus est.

22. Cognitio vulgi & ea, qua in vita utimur, plerumque nonnisi Historica est.

23. Cognitionem Historicam arcanam (de rebus naturæ arcanis) ad formam communis sæpius ars reducit.

25. Inde consequitur utile fore ad philoso-

phandum, ſi phœnomena in officinis artificum & alibi in arte obvia colligerentur, & accuratè deſcriberentur.

26. Si quis per rationem aliquid fieri poſſe cognovit, factoque experimento idem fieri obſervat, is cognitionem Philoſophicam Hiſtorica confirmat.

27. Si quantitas effectus viribus cauſæ proportionata demonſtratur, cognitio Philoſophica à Mathematica haurit omnimodam certitudinem.

Criſis. Hìc iterùm æquivocatur ſubdolè aut imperitè Vuolfius. ſi enim datur quantitas virtutis, v.g. virtus movendi corpora in Deo, Angelis, & animabus, aut virtus generativa in grano tritici, etiamſi commenſuretur effectui. non tamen ea cognitio à Mathematica demonſtratur. Innumeri dantur effectus in anima, quando v.g. quæritur, utrùm homini impoſſibile ſit ſervare omnia mandata, & tamen non demonſtrantur à Mathematica, ſed Theologia.

28. Inde conſequitur, quòd cognitio Mathematica cum Philoſophica conjungenda ſit, ubi ſummæ, quæ datur, certitudini ſtudueris.

Criſis. NB. Iterum nihil accurati aut veri decernit Vvolfius ponit propoſitionem & terminum indefinitum *cognitio Mathematica, conjungenda cum Philoſophia.* an omnis *cognitio?* an ſemper *conjungenda?* an cum omni *Philoſophica?* regulæ quidem Logicæ præcipiunt ut propſitiones, & termini in re dogmatica ac ſcientifica ſumantur univerſaliter; ſi hanc regulam ſequitur Vvolfius, errat, quia dantur cognitiones philoſophicæ circa objecta ſpiritualia v.g. circa animam, in quibus Mathematici non reperiunt quantitatem trinè menſurabilem. Itaque non infimus gradus neceſſariò eſt cognitio hiſtorica, poſ-

possumus enim & digniora objecta, & ad felicitatem humanam utiliora, & frequenter etiam certiùs cognoscere, dum credimus fide historica quæstiones facti, quæ ad certitudinem fidei præsupponuntur v.gr. quòd extiterit aliquis homo, qui vocabatur Jesus, quòd peracta sit promulgatio Evangelii &c. quæ omnia certiùs scimus, quàm mensuram, motum, magnitudinem, & distantiam syderum, aut alia objecta Matheseos, quarum notitia dependet ab observatione, experientia, ac mensuratione.

Cap. II.

De Philosophia in genere.

29. Philosophia est scientia possibilium, quatenus esse possunt.

Crisis. NB. Falsissimum hoc est; per Philosophiam enim non solùm cognoscimus, quæ sint possibilia, sed etiam quæ actu existunt.

31. In Philosophia reddenda est ratio, cur possibilia actum consequi possint.

32. Quòd si ergo plura fuerint, quorum unum æquè est possibile ac alterum, Philosophia docere debet, cur illud potiùs fieri debeat, quàm alterum.

Crisis. NB. Miserabile est hoc commentum. Ponamus enim possibile esse plures mundos, aut plures hypotheses. Inprimis fieri potest, quòd Deus non habeat majorem rationem assumendi potiùs hanc hypothesin quàm aliam, sed dependet determinatio à liberrima voluntate. Contraria Leubnizii & Wolfii suppositio, quòd Deus semper inveniat & teneatur sequi *rationem sufficientem*, ut vocat, seu rationem prędominantem, est impossibilis, & impia, impossibilis est, quia Deus

non cognoſcit collectivè infinitas hypotheſes poſſibiles, ſed tantùm diſtributivè; neque enim datur numerus infinitus, collectivus omnium. Igitur Deus non poterit comparare hypotheſin cum omnibus poſſibilibus collectivè ſumptis; adeoque nec poterit invenire rationem unquam ſufficientem, eo quòd data comparatione quacunque intra collectionem poſſibilium finitam, ſit poſſibilis alia collectio poſſibilium. Impia etiam eſt, quia ſi Deus tenetur ſequi rationem ſufficientem, cùm hæc in entibus poſſibilibus ſit immutabilis, Deus erit ens neceſſarium in agendo, omnia debebunt fieri, eo modo, quo eſt melius ea poſſibilia fieri; igitur omnia fiunt fato, ſeu ex neceſſitate prædominantis bonitatis in poſſibilitate entium; igitur nec datur Providentia, nec libertas humana, igitur & fruſtraneæ preces, & vana omnis Religio; quia ſi optimum ut veniam in ordinem Salvationis, debebit hoc fieri; ſi non eſt optimum, non poterit hoc fieri. En! quanta crimina in unica Philoſophiæ definitione, quòd ſit cognitio poſſibilium, quaſi poſſibilitas optima ſit ipſa exiſtendi neceſſitas. Dein poſito etiam, verum eſſe principium hoc atheiſticum, Deum teneri ſequi rationem ſufficientem in poſſibilibus, non erit propterea Philoſophiæ opus, in hanc ipſam rationem ſufficientem inquirere, cùm humana ratio finita infinitum poſſibilium pertranſire, adeoque optimum invenire non poſſit. Vanum ergo eſt fundamentum & ædificium totius Wolfianæ Philoſophiæ, nec aliud exigendum à Philoſopho, quàm ut per experientiam diſcat eas naturæ leges, quas Deus in hoc curſu rerum liberè poſuit. Omitto in hoc capite reliqua, quia ſunt ejuſdem farinæ.

Cap.

Cap. III.

De partibus Philosophiæ.

55. Entia, quæ cognoscimus, sunt Deus, animæ humanæ, ac corpora.

NB. Nulla hìc de Angelis mentio.

56. Tres hinc nascuntur Philosophiæ partes, quarum una de Deo, altera de anima humana, tertia de corporibus seu rebus materialibus agit. Dein Wolfius singulas partes philosophiæ enumerat. Nempe 1. Theologiam naturalem de Deo 2. *Psychologiam*, de anima. 3. *Physicam*, de corporibus. Ad animastica refert Ethicam, Politicam, *Technicam* seu *Technologiam*, seu artium notitiam. Dein *Ontologiam*, quæ agit de ente in genere, *Cosmologiam*, de mundi systemate, *Pneumatologiam*, de spiritibus, quos priùs in generali divisione oblitus erat, *Meteorologiam*, de phœnomenis in aere, *Oryctologiam* de fossilibus, *Hydrologiam*, de aqua, *Phytologiam* de vegetabilibus, *Physiologiam*, de corpore animato, *Anthropologiam* de homine, *Pathologiam* de corpore ægroto seu morbis, *Teleologiam* de finibus rerum.

Crisis. En! quanta habeamus subsidia à Wolfio, quòd nomina Græca ediderit rerum, quæ sub detrito latio pallio nimium vilescerent, quamvis hoc dolendum, quòd unius vel alteriùs talis feliciſſimæ denominationis non simul ediderit *rationem sufficientem*. Magnus Philosophus, fortè melius intelligeremus, quid sit *Pathologia*, & *Physiologia*.

Cap. IV.

De Methodo Philosophica.

116. In Philosophia non utendum est terminis nisi accurata definitione explicatis.

NB. Patere legem, quam tumet tulisti.

117. In Philosophia non utendum est principiis, nisi sufficienter probatis.

118. In Philosophia nulla admittenda est propositio, nisi quæ ex principiis sufficienter probatis legitimè deducuntur.

119. In Philosophia termini, qui ingrediuntur definitiones sequentes, explicari debent per antecedentes.

Reliqua hujus Capitis præcepta non sunt minus clara.

Cap. V.

De Stylo Philosophico.

142. In Philosophia à recepto verborum significatu non est recedendum, hoc est, verbis non res aliæ à nobis denotandæ sunt, quàm quæ iisdem vulgò significantur.

143. Ejusdem vocis idem constanter esse debet in Philosophia saltem in eadem ejus parte significatus.

NB. Hoc ipsum est, quod suprà ostendi non observasse Vvolfium. Reliqua hujus Capitis ad idem redeunt.

Cap. VI.

De Libertate Philosophandi.

153. Si quis Philosophiam Methodo Philosophica tradere debet, ei jugum servitutis in philosophando imponi nequit.

156. Si quis Philosophiam Methodo Philosophica tradere debet, is suo non aliorum debet stare judicio.

163. Si quis Methodo Philosophica philosophatur, is defendere nequit veritati revelatæ contraria.

164. Si quis Methodo Philosophica philosophatur, virtuti contraria docere nequit.

167. Si libertas philosophandi integra conceditur iis, qui Methodo Philosophica philosophantur, nullum hinc metuendum est religioni, virtuti, ac Reipublicæ periculum.

Critica. Hæc sanè sunt puerorum potiùs, quàm Philosophorum præcepta; omnia enim idem sonant, ac si dicerem: Si quis in Philosophia semper verum dicere debet, ei jugum servitutis in philosophando imponi nequit. Vel; Si philosophandi libertas integra conceditur iis, qui in Philosophia semper verum dicunt, nullum hinc religioni & virtuti immineat periculum. Hæc puerilia esse nemo non videt; ostendo igitur sensum Vvolfianorum illorum dictorum eundem esse. Ad Methodum Philosophicam Vvolfius §. 118. requirit, ut *in Philosophiam propositio nulla admittatur, nisi quæ ex principiis sufficienter probatis legitimè deducitur*. Quid est hoc, *sufficienter*, quid hoc *legitimè*; an idem, quod *probabiliter*, an verò idem quod *demonstrativè*? si priùs, ergo

sensus

ſenſus erit : *In Philoſophia nulla eſt admittenda propoſitio, niſi quæ ex principiis probabiliter probatis probabiliter deducitur*. Talis autem propoſitio haud dubiè, ut ipſe admittit Wolfius Part. 2. Sect. 1. C. 3. §. 585. tantùm probabilis, immò prout ego in Arte Critica part. 1. probavi, propoſitio ex alia probabili tantùm probabiliter deducta plerumque ne erit quidem probabilis. Itaque *qui ſequitur Methodum Philoſophicam*, id eſt, qui ponit propoſitionem probabilem, quæ poteſt eſſe falſa, imò quæ etiam eſt improbabilis, *nequit contradicere veritati*. Vide, quanta abſurditas! ſi autem hi termini idem ſignificant, quod *demonſtrativè*, tunc ſenſus erit : *In Philoſophia nulla eſt admittenda propoſitio, niſi quæ ex principiis demonſtrativè probatis demonſtrativè deducitur*. adeoque præcepti Wolfiani hìc ſenſus erit : *Qui ſequitur Methodum Philoſophicam*, id eſt, qui omnem propoſitionem ex principiis demonſtrativè probatis demonſtrativè deducit, *nequit contradicere veritati*. Quo nihil evidentius, ſed nihil etiam nugacius. nemo enim poteſt dubitare, quòd ille verum dicat, qui demonſtrat, ſed utrùm Philoſophus omnem propoſitionem vel intendat demonſtrare, aut ſi hoc intendit, revera demonſtret, hoc eſt cardo controverſiæ, in quo habemus ipſum Wolfium fatentem reum, aut ſi loquendum modeſtiùs, immemorem ſui. De Methodo enim Philoſophica C. 4. §. 125. ait : *Si quæ cognitu utilia demonſtrari nequeunt, eorum probabilitas conveniente ratione adſtruenda, ipſa autem probabilia à certis probè diſtinguenda*. Et §. 132. *In omni parte Philoſophiæ is tenendus eſt ordo, ut ea præmittantur, per quæ ſequentia intelliguntur, & demonſtrantur, vel minimum probabiliter*

aſtruun-

aſtruuntur. Dantur igitur & aſtruuntur aliqua probabiliter in Philoſophia, poſſunt igitur aliqua falſa eſſe in Philoſophia, etiam ſequendo Methodum Philoſophicam, poſſunt ergo aliqua in Philoſophia etiam ſequendo Methodum Philoſophicam contradicere veritati.

Sed fortiùs inſtemus, & verſemur undique Daretem. Sic argumentor: Vel poteſt errare qui ſequitur Methodum Philoſophicam, vel non poteſt errare? ſi poteſt errare, tunc poteſt errare in quavis parte Philoſophiæ, de Deo, de Anima, in Ethica, Politica, Oeconomica. Si verò in his omnibus errare poteſt, tunc in rebus graviſſimis, quæ præjudicant Religioni, & Reipublicæ errare poteſt; ſi autem in his errare poteſt ſecutus Methodum Philoſophicam, non poteſt ampliùs corrigi per rationem, eò quod jam ſecutus ſit omnem rectam viam rationis, ſeu Methodum Philoſophicam, ſolâ ergo authoritate vel à Deo revelante, vel à ſapientioribus ſemel conſtituta ac directa compeſci poterit, & debebit. ne pervertatur Religio, & Reſpublica perturbetur. Si verò dicas eum errare non poſſe, qui ſequitur Methodum Philoſophicam; quod debet dicere, quia dicit; eum, qui ſequitur Methodum Philoſophicam, *legitimè concludere, nil poſſe contrarium docère Religioni &c.* quæro, an de hoc ipſo ullus hominum, aut ſaltem communis Philoſophorum grex certus eſſe poſſit de eo, quòd ſecutus ſit in omnibus Methodum Philoſophicam? aut, num ipſe Wolfius certus ſit, ſe in omnibus ſecutum eſſe Methodum Philoſophicam? ſi nullus hominum de hoc certus eſt, manifeſtè ridicula eſt Wolfii regula; ſi enim de hoc nullus eſt certus, fieri poterit, ut ille, qui crediderit, ſe omnem ſervaſſe methodum,

dum, reipſa erret in rebus graviſſimis, quæ præjudicant Religioni & Reipublicæ, & cùm nec errans, nec quivis alius certus ſit, quis eorum ſequatur Methodum Philoſophicam, non poterit talis per rationem & methodum prohiberi à perverſione Religionis & ſubverſione Reipublicæ. Quid ergo ſupereſt? Deus ſupereſt. Si datur Deus, datur Providentia, ſi datur Providentia, tunc partim per revelationes externas, aut inſpirationes internas docet eorum animos, quos in unam ſaltem fidelium, ac verorum cultorum Dei ſocietatem ordinat; ſi autem aliquos ſaltem ex omni hominum genere per tales dicitur ſuæ ſapientiæ in populi fidelis publicam ſocietatem ordinat, eo ipſo datur à Deo conſtituta, & inſtructa authoritas, cui parere debeat fallibilis humana ratio. Si ſecundum dicatur, ut grex Philoſophorum non poſſit eſſe certus, an ſequatur Methodum Philoſophorum, adhuc pejor eſt Vvolfii regula, quia quo plures ſunt Doctores non adeò divino ingenio prædicti, ut in tam innumeris errorum periculis ſemper certi ſint, ſe juſtiſſimè applicaſſe rationis regulas; eò multiplicatur magis ſubvertendæ Religionis & Reipublicæ periculum, ſi cuivis liceat, ſuomet uti judicio. Nec corrigi poterit ſtultorum numerus ſapientum monitionibus; qui enim implicantur erroribus, non ſolent corrigi, vel quòd deſint ſapientes divini, qui poſſint moſtrare, in quo à Methodo diſceſſerint; vel quòd ſapientes, qui dantur, non habeant tempus, ordinatè perſequendi omnia erroris veſtigia, vel quòd errantes non poſſint explicare totum ſuum præjudiciorum, & effectuum, & illationum inenarrabile textum, ut poſſit longo tractu demoſtratio-

tionum diſſolvi. Si tertium dicatur, ut & ipſe Vvolfius, finis humani ingenii ac vertex videlicet, non ſit certus, ſe ſuam ſecutum Methodum, habet jam regula malorum cumulum. ſi enim non eſt certus, an ſecutus ſit Methodum Philoſophicam Philoſophorum Princeps, neque certus erit, an non poſuerit concluſiones contrarias Religioui, bonis moribus, & Reipublicæ. Si de hoc certus non eſt, ferat jugum gratiæ, ſuave & leve, quod Sapientia Dei conſtituendo authoritatem magiſtram impoſuit. Quòd ſi denique reſpondeat, homines certos eſſe poſſe, ſe in omnibus ſecutos eſſe Methodum Philoſophicam, haud dubiè Vvolfius & ſeipſum, & totum genus humanum ex integro ignorat. Vidimus enim hucusque, quoties jam à recta ratione, & à vero, adeoque etiam à Methodo receſſerit. Dicit ipſemet Part. 2. S. 1. C. 1. §. 544. *Propoſitio, quæ demonſtrari poteſt, vera eſt*: Si ergo non omnia Vvolfiana vera ſunt, ut vidimus: demonſtrationes, quæ ipſi tales videbantur, revera tales non erant. Quòd etiam genus humanum ex integro ignoret, ex eo confitio. Vel admittit Vvolfius, genus humanum hactenus habuiſſe veram Philoſophicam Methodum, vel id non admittit? ſi id non admittit? colendus eſt quidem nobis Vvolfius in ſemideorum numero, qui rem tam admirandam, criterium veri, inveneriti; ſed non debet irafci humano generi, orbique univerſo, quod jugo humanæ authoritatis ingenia Doctorum ſubjecerit, quamdiu tot ſæculis exſpectatum criterium veri in Vvolfianis ideis delituit, & nondum Philoſophica Methodus in hac nova lege gratiæ. ac ſeræ libertatis mundo illuxit. Si verò admittit, genus

huma-

humanum jam ſemper habuiſſe Philoſophicam Methodum, vel connatam felicioribus quibuſdam ingeniis, qualia in Platone & Socrate deprehendimus, vel per Logicam communem in Scholis traditam, evidens eſt, Philoſophicam Methodum id non præſtare, ut qui eam ſequi jubentur, aut profitentur, nequeant Reipublicæ & & Religioni docere contraria. Hiſtoriæ produnt optimorum etiam Philoſophorum Platonis, Ariſtotelis, & quorumvis aliorum in rebus graviſſimis impia dogmata, in quibus ſuo tantùm judicio res Religionis & morum ſubjicere, non judicium Religioni ſubmittere voluerunt. Ignorat ergo totum genus humanum, ignorat infinitudinem humanæ imbecillitatis per mille errorum occaſiones tractæ in pernitiem, ignorat leges contingentium, ex quibus evidens eſt, humanas operationes nunquam uno conſtanti rectitudinis tramite procedere uniformiter, ignorat denique incertitudinem ſcientiarum, ab Academicis, à Sexto Empyrico, à Daniele Huetio ſaltem in multis demonſtratam, qui orbe toto reclamante imaginari auſus eſt, homines certos eſſe poſſe, ſe in omnibus ſequi Methodum Philoſophicam, omnis veri magiſtram. Falſa ergo eſt & ridicula hæc doctrina Wolfii; ſed parum foret, niſi foveret majus impietatis venenum; tolerantiam videlicet Religionum omnium; ponamus enim jam fore aliquos, quibus ſecutis Methodum Philoſophicam in parte Philoſophiæ videatur evidenter impoſſibile myſterium Trinitatis, aut unio Verbi cum natura humana in unitate perſonæ, aut cui videatur certum, perfectiones divinas verb. gratia Ideas divinas, ut Poiretus docuit, realiter diſtingui à Deo, easque de novo

pro-

produci pro luſu Divinæ Omnipotentiæ ; ponamus talem Philoſophum cogitare emanationem talium divinarum idearum , tanquam Genealogiam antiquam triginta aut centum œonum , ut & ipſe Chriſtus tantùm virtus fuerit emanata à Deo , ponamus videri cuidam ſecundùm ſuam Philoſophiam tres perſonas in Deo tantùm habere unam naturam ſicut perſonas humanas per ſimilitudinem , prout docet Clericus ; vel ſit alius , qui ſapientiam Patris faciat creaturam , quæ migret ab uno orbe in alterum , prout Arriani , Origeniſtæ , & Vvhiſtonus ſentit in Anglia ; vel ponamus , qui credat , Deum ſe communicaſſe Chriſto tantùm per habitum infuſum ſapientiæ , aut per operationem in Chriſto , ut Verbum nihil aliud ſit , quàm ratio ipſa , prout ſentiunt tremulantes & Quakeriani in Anglia . Si , inquam hæc omnia videantur alicui evidentia ſecundùm Methodum Philoſophicam , ſecundùm Theologiam naturalem , ſecundùm Philoſophiam poſſibilium ; ſi talis dicat , ſe non poſſe contradicere veræ Religioni , eò quòd ſequatur Methodum Philoſophicam , nonne ſubverſa erunt omnia Religionum fundamenta , & migrare cogemur vecti talibus opinionum monſtris in Turciam , & extremam impietatis provinciam ? videat Vvolfius , ſurculus Vvhiſtonianus Germaniæ , non latere nos ſuæ Philoſophiæ conſilia . Aut ſi denique in ſecreto cordis ſui hanc ſibi ſumit ſolitariam de errore nemine applaudente gloriam , etiam hanc ipſi non per invidiam , ſed daturus reſipiſcentiæ locum eripio , dum expuncta Vvolfiana Philoſophica Methodo antiquum Syllogiſmum demonſtrativum Ariſtotelicum ſubſtituo . Hanc ſubſtitu-

ſtitutionem ipſe conceſſerit, dum Syllogiſmum illum pro criterio veritatis admittit. Pars. 2. S. 1. C. 1. §. 545. ſic ait: „ Ad verum à falſo diſcernendum „ regulæ Logicæ ſufficiunt; propoſitio „ enim cum vera ſit quæ demonſtrari poteſt, verum à falſo diſcernit. Quoniam „ atque demonſtratio conſtat ſyllogiſmorum concatenatione, quorum præmiſſæ „ ſunt definitiones, axiomata, experientiæ indubitatæ, & propoſitiones jam demonſtratæ, verum à falſo ut quis diſcernere poſſit, facultatem habere debet indicandi, num definitiones, quibus utimur in demonſtrandis propoſitionibus ſint genuinæ, num experientiæ, quas ſumimus, ſint indubitatæ; num axiomatis nomen mereantur propoſitiones quæ pro talibus venditantur; num forma ſyllogiſmorum ſit genuina; denique num ſyllogiſmi ritè inter ſe concatinentur: At hoc docet Logica; ergo, Regulæ Logicæ ſufficiunt ad verum à falſo diſcernendum. Suppono in Logica tres mentis operationes legitimè explicari, id quod jam factum eſt à Scholaſticis, niſi quòd diſtinctis notionibus fuerint deſtituti quem defectum nos ſupplevimus, undè & Leubnitius in Actis Eruditorum 1684. agnoſcit, non contemnenda veritatis enuntiationum criteria eſſe regulas communis Logicæ, quibus & Geometræ utuntur, ut ſcilicet nihil admittatur pro certo, niſi accurata experientia vel firma demonſtratione probat. Demonſtrationem autem firmam judicat, quæ præſcriptam à Logica formam, in ratiocinando nimirum, ſervat, ut argumentatio concludat vi formæ. Ego in formam demon-

„ monſtrationum veterum Geometrarum in-
„ quirens utilitatem Logicæ communis de-
„ prehendi , atque ita probavi judicium
„ Leubnitianum , à quo antea eram alie-
„ nus præjudicio ex Carteſii tractatu de
„ Methodo & Tſchirnhauſii Medicina men-
„ tis contracto . Hucusque Vvolfiius , in
„ hoc ſolo hallucinatus , quòd credat ,
ſe Scholaſticorum notiones reddidiſſe cla-
riores , quamvis enim in Scholaſticorum
innumeris ſcriptis , & in ipſis omnibus
Vvolfianis elucubrationibus , quas edidit ,
diligenter verſatus ſim , fateor tamen ,
me Scholaſticorum notiones diſtinctè &
facilè , Vvolfii verò in hac Logica notio-
nes nonniſi cum labore & majori quàm
aliàs ſoleo attentione intelligere . Sed ad
rem : ſic præcepta Vvolfiana per ſubſtitu-
tionem aliorum æquivalentium terminorum
ſonant :

153. Si quis Philoſophiam per ſyllogiſ-
mos demonſtrativos tradere debet , ei ju-
gum ſervitutis in philoſophando imponi ne-
quit .

156. Si quis Philoſophiam per Syllogiſ-
mos demonſtrativos tradere debet , is ſuo
non aliorum debet ſtare judicio .

163. Si quis per Syllogiſmos demonſtra-
tivos philoſophatur , is defendere nequit
revelatæ veritati contraria . Jam verò Scho-
laſtici debent tradere Philoſophiam per Syl-
logiſmos demonſtrativos ; ſunt eorum innu-
meri exercitus , jurati ad omnes Logicæ
communis apices , detriti toto vitæ tempo-
re in forma & concatenatione ſyllogiſtica ,
ſunt liberi à curis domeſticis uxoris , li-
berorum , & familiæ , ſunt addictiſſimi
perpetuæ familiaritati cum Deo per quoti-
dianas meditationes vitæ ac doctrinæ Chriſti

& per preces ac laudes divinas, quomodo ergo hi poſſunt defendere revelatæ veritati contraria? docent, in Philoſophia poſſibilium etiam comprehendi Chriſtum Euchariſticum, dum exuendo unam ac alteram proprietatem corporis, induit ſtatum illum ideæ humani corporis ſimillimum. docent, Deum in ſua poteſtate habere mundum iſtum corporeum, ac corpora, ſicut nos habemus in poteſtate ideas corporum, eas ſuſcitando, deſtruendo, unam in locum alterius ſubſtituendo, eas in anima non magna extendendo, vel contrahendo, vel ſinè ſoliditate & locorum diſtantia commiſcendo, ut planè omnis evaneſcat difficultas myſterii. Docent præterea, in Philoſophia poſſibilium contineri decenter, ut Deus gratum ſibi habeat cultum ſuis amicis exhibitum, talibuſque cultoribus aulicorum ſuorum magna exhibeat beneficia; agnoſcunt in Philoſophia poſſibilium contineri, ut Chriſtus luſu amoris ineffabili & terribili ſe quotidie faciat offerri Patri in Sacrificio Miſſæ, quo nihil eſt nobis divinius & jucundius. Hæc, inquam, docent, qui ſequuntur, ipſa confeſſione Vvolfii, Methodum Philoſophicam. Si ergo hi poſſunt docere Religioni contraria, errat Vvolfius in ſua Logica, & oſtendit, in Proteſtantium Philoſophia rationali peccari in principiis ingenti cauſæ jam aliàs profligatæ incommodo. Si verò hi Scholaſtici, qui & ipſi jubentur tradere Philoſophiam ſecundùm formam ſyllogiſticam, ac methodum, docere non poſſunt Religioni contraria, ſectetur eorum fidem, & humili ſubmiſſione adoret in noſtra Eccleſia ſecretè operantem Dei providentiam.

Quod

Quòd ſi verò uberiorem Logicæ Scholaſticæ notitiam poſcit, legat dialecticam Ekii & Zabarellæ, qui ubi agunt de Methodo prorſus eadem; quæ Vvolfius ſe inveniſſe ac primùm obſervaſſe autumat, longe accuratius nobis tradiderunt. Hæc de Logica Vvolfii ſufficiant. Nec enim finem principio meliorem reperies.

PRIN.

PRINCIPIA
ARTIS CRITICÆ
EXPLICATA, AC DEMONSTRATA.

Pars. I. De Probabilitate, ac certitudine Propoſitionum.
Pars. II. De Authoritate.
Pars. III. De Interpretatione.
Pars. IV. Regulæ Criticæ ex Authoribus Modernis.
Pars. V. Regulæ Criticæ ex SS. Patribus.
Pars. VI. Principia artis Criticæ demonſtrata.
Pars. VII. De Stylo Authorum, eorumque genuinis opuſculis ex ſtylo dignoſcendis.

REGULÆ
ARTIS CRITICÆ.
PARS I.

De Probabilitate, ac Certitudine Propoſitionum.

§ I.

De Gradibus probabilitatis, & certitudinis.

1. PRopoſitionem *probabilem* aut certam voco, cujus principia, ſeu motiva probabilia aut certa ſunt, Principia autem

tem propositionis sunt Ratio, vel Authoritas.

2. Propositionem *Methaphisicè certam* voco, cujus principia absolutè nunquam possunt fallere, verb. grat. bis duo sunt quatuor. Idem non potest simul esse & non esse. Principium enim harum propositionum, est evidentia terminorum; quæ nunquam potest fallere.

3. Propositionem *Physicè certam* voco, cujus principia nunquam fallunt secundùm cursum ordinarium naturæ. verb. grat. ignis urit.

4. Propositionem *Moraliter certam voco*, cujus principia rarissimè fallunt. v. g. qualis vita, finis ita.

5. Propositionem *probabilem* voco, cujus principia sæpius ac plerumque non fallunt. v. g. fortes gignuntur à fortibus.

6. Propositionem *dubiam* voco, cujus principia æquè toties fallunt, quàm non fallunt. verb. grat. si quis in jactu aleæ spondeat pro numero pari, aut pro impari determinatè.

7. Propositionem *improbabilem* voco, cujus principia sæpius fallunt, quàm non fallunt. verb. gratia si quis in jactu aleæ determinatè spondeat pro numero senario.

8. Itaque Propositionis probabilitas cognosci poterit, si tria observentur. 1. Notum sit, quoties principia propositionis nos intra determinatam casuum consimilium collectionem fallant vel non fallant. v. g. dicit aliquis; Plinius testatur dari Phœnicem, ergo datur. Quærendum est, quoties Plinius in similibus fallatur & fallat. Ponamus in mille Plinii relationibus reperiri decem falsas. Tunc 2. Veritas hujus propositio-

nis sic erit scribenda $\frac{990}{1000}$ idest, Plinius in mille consimilibus casibus nongenties nonagies verum dicit: sic ut veritas principiotum scribatur loco Numeratoris; numerus autem omnium casuum similium loco denominatoris. 3. Fiat fractionis ad minores terminos reductio, & ad rationem decimalem approximatio hoc modo $\frac{99}{100}$ seu $\frac{9}{10}$.

9. Erit hoc proin Schema Rationis decimalis probabilisticæ. $\frac{0\ 1\ 2\ 3\ 4\ 5\ 6}{10.10.10.10.10.10.10.}$

$\frac{7\ 8\ 9\ 10}{10.10.10.10.}$

10. Propositionem Metaphysicè aut *Physicè certam* voco, quando veritas principiorum ad numerum casuum consimilium se habet, ut $\frac{10}{10}$ id est, quando intra decem casus decies, adeoque semper verum dicit.

11. Propositionem *moraliter certam* voco, quando veritas principiorum ad numerum casuum consimilium se habet, ut $\frac{9}{10.}$ id est, quando intra decem casus possibiles novies verum dicit. Sic decies manè rubente polo ad minimum novies continget pluvia.

12. Propositionem *probabilem* voco, quando veritas principiorum ad numerum casuum consimilius se habet, ut $\frac{8\ 7\ 6}{0.\ 10.10.}$ id est,

quando

quando intra decem casus possibiles ad minimum octies, aut septies, aut sexies verum dicet. v. g. si decies observemus, Barometrum ascendisse supra altitudinem mediam, ad minimum septies deprehendemus fuisse serenam tempestatem.

13. Propositionem dubiam voco, quando veritas principiorum ad numerum casuum possibilium se habet, ut $\frac{5}{10}$. sic in jactu aleę intra decem jactus verosimile est quinquies proditurum numerum parem, quinquies imparem.

14. Propositionem *improbabilem* voco, quando veritas principiorum ad numerum casuum consimilium se habet, ut $\frac{4}{10}.\frac{3}{1}.\frac{2}{10}.\frac{1}{10}.\frac{1}{10}$. id est, quando intra decem casus tantùm quater, aut ter, aut bis, aut semel contingit verum. Sic Barometro descendente infra medium vix intra decem casus bis aut semel continget serena tempestas.

§ II.

Quomodo possint mensurari Gradus Probabilitatis.

EX dictis patet, probabilitatem ex eo desumi, quid plerumque soleat contingere. Quid verò soleat contingere, cognosci potest duplici medio. 1. Per inductionem casuum consimilium, qui actu contigerunt, qui modus cognoscendi vocatur à posteriori 2. Per Leges Contingentium à Priori, id est ex eo, quid promtum sit contingere.

Leges Contingentium ſunt ſequentes.

1. *Contingentia non procedunt uniformiter.* ſic certum eſt, in jactu aleæ non ſemper proditurum numerum parem; nec in electionibus plurimorum hominum omnimodùm conſenſum ad idem.

2. *Quod poteſt fieri & non fieri, in innumeris circumſtantiis aut occaſionibus actu poſitis aliquando fit & aliquando non fit.* Quia Contingentia non procedunt uniformiter. verb. grat. in innumeris jactibus aleæ evidenter aliquando exit numerum par, & aliquando numerus impar. & homines in innumeris circumſtantiis poſiti, ac ſibi relicti evidenter aliquando eligent bonum, aliquando malum.

3. *Quod in innumeris circumſtantiis aut occaſionibus nunquam fit, non eſt aliquid contingens, ſed impoſſibile relatè ad illas circumſtantias.* verb. gr. quia nullus unquam hominum (excepta B Virgine) fuit ſinè omni peccato, dicimus hoc eſſe impoſſibile, relatè ad ſtatum naturæ corruptæ.

4. *Effectus contingentes regulariter ſequuntur diſpoſitionem cauſarum.* v. grat. in jactu aleæ, & in electionibus hominum plerumque ſequuntur illæ ſortes, vel illæ electiones, ad quas major datur elearum, aut volontatum humanarum diſpoſitio, in bello plerumque ille vincit, qui eſt fortior, & exercitatior, adeoque magis diſpoſitus ad victoriam.

5. *Quando effectus æquè poteſt fieri ac non fieri, toties regulariter fit, quotiès non fit.* verb. gratia in jactu aleæ æquè poteſt exire numerus per ac impar: tunc intra ſeriem verb. gratia. mille jactuum propemodum toties exibit numerus par, ac impar.

6. *Quando*

6. *Quando in cauſis reperitur ad plures effectus contingentes æqualis diſpoſitio, neuter effectuum fit frequentiùs altero*; ſed quilibet regulariter toties recurrit, quoties recurrit alter. v. g. in jactu unius aleæ datur æqualis diſpoſitio ad 1. 2. 3. 4. 5. 6. igitur intra ſeriem v.g. mille jactuum præſumitur toties exire numerus 1. 2. 3. aut 4. quoties erit 5. aut 6.

7. *Quando in cauſis reperitur ad plures effectus contingentes æqualis diſpoſitio, præſumptio pro uno effectu determinato ſe habet, ſicus unitas ad numerum reliquorum effectuum poſſibilium*. verb. grat. in jactu unius aleæ ſunt ſex effectus æqualiter poſſibiles, nempe jactus 1. 2. 3. 4. 5. 6. itaque ſi velim determinatè ſpondere pro numero verb. grat. 5. vel 4. probabilitas hujus determinati numeri ſe habebit, ut $\frac{1}{6}$.

8. *Quando in cauſis reperitur ad plures effectus contingentes æqualis diſpoſitio; ille effectus cæteris ſæpius occurrit, cujus principia ac diſpoſitiones ſæpius recurrunt. & quidem ille effectus tantò ſæpius incurrit, quanto ſæpius recurrunt ejus diſpoſitiones*. verb. grat. in homine datur æqualis pronitas ac diſpoſitio ad plura vitiorum genera v. gr. ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ; ſed intra ſeriem mille dierum ſæpius in illud vitii genus impinget, ad quod ſæpius recurrunt diſpoſitiones; & quidem ſi v. g. diſpoſitiones ad gulam recurrant centies, ad luxuriam ſexcenties, ad ſuperbiam ſeptingenties, horum vitiorum probabilitas ſe habebit ut $\frac{200}{1000}$. $\frac{600}{1000}$. $\frac{700}{1000}$. ſeu ut $\frac{2}{10}$. $\frac{6}{10}$. $\frac{7}{10}$.

9. *Ubi datur propinqua diſpoſitio, regulariter ſequitur effectus.* verb. grat. ramum viridem ovi oſtendis, puero nuces, trahuntur plerumque.

10. *Quod pronum eſt fieri regulariter fit. ſeu* effectus regulariter ſequitur inclinationem principii, & diſpoſitionem cauſæ, verb. grat. pronum eſt ex vitio gulæ progredi ad luxuriam, continget ergo regulariter, deditum gulæ etiam deditum eſſe luxuriæ.

11. *Effectus contingens tanto frequentius fit quanto plures & propinquiores concurrunt diſpoſitiones, ac principia adminiculantia.* verb. gratia tantò frequentiùs continget ebrium ſuſcitare lites, quo plures fuerint occaſiones litis, & quo major erit in tali homine proclivitas ad litigandum, & quo majora fuerint motiva litis. Sint enim intra ſeriem decem ebrietatum ſeptem occaſiones litis; ſi proclivitas hominis ad litigandum tanta, ut intra decem occaſiones vix ſemel ſe con-

$\frac{9}{10}$

ſineat, adeoque ut —. Sint etiam motiva litis valde magna, ſic ut poſitis ſimilibus motivis intra decem caſus propemodum octies ſequantur lites, erit probabilitas litis ut $\frac{9}{10}$. aucta per $\frac{8}{10}$. & per $\frac{7}{10}$. multiplicata. Scribatur ſic $9t\frac{8}{10}.\frac{7}{10}$ ſeu $\frac{98}{100}.\frac{7}{10}$. ſeu $\frac{686}{1000}$.

12. *Quando probabilitas deſumenda eſt ab inductione caſuum conſimilium, ſumenda eſt tanta caſuum conſimilium collectio, intra quam comprehenduntur propemodum omnes circumſtantiæ poſſibiles, caſum diverſificantes.* v. g. ſi velim ſcire, qualis ſoleat plerumque fieri tempeſtas

Baro-

Barometro ultra mediam altitudinem aſcendente, non ſufficit una, vel altera, aut tertia obſervatio, ſed debent aſſumi obſervationes plurimæ per plures annos, quovis anni tempore, pro quavis circumſtantia ventorum, caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, aut poſitione Lunæ ad Solem & à terra diſtantia continuatæ. Tunc enim ſumi poterit regula verb. grat. Barometro in his circumſtantiis aſcendente intra centum caſus nonagies contigit ſerena tempeſtas, ergo probabilitas talis tempeſtatis erit ut $\frac{90}{100}$ $\frac{9}{10}$.

§. III.

De probabilitate propoſitionis, pro qua vel contra quam plura militant argumenta probabilia.

1. *Propoſitio, pro qua & contra quam militant argumenta æquè probabilia, non manet probabilis.* quia in tali caſu homo poterit æquè falli ac non falli. verb. grat. accuſatus ſit Clodius de homicidio. Sint pro ejus innocentia argumenta probabilia ut $\frac{7}{10}$. Sint autem ex aliis indiciis contra Clodium argumenta probabilia ut $\frac{7}{10}$. Fiet ergo probabilitas homicidii ut $\frac{5}{10}$. id eſt, nulla, ſed reliquetur merum dubium.

2. *Propositio, pro qua stat argumentum probabilius argumento opposito manet probabilis, sed minuitur uno probabilitatis gradu.* quia propositiones, quæ contra se habent argumenta probabilia, non solent tam frequenter esse veræ, quàm sunt veræ aliæ propositiones probabiles, quæ non habent contra se argumenta probabilia, v. g. in casu posito, sint pro innocentia Clodii argumenta probabilia ut $\frac{8}{10}$. contra innocentiam Clodii argumenta probabilia ut $\frac{7}{10}$. erit ergo probabilitas pro innocentia Clodii tantùm ut $\frac{7}{10}$.

3. *Propositio, quæ ex alia propositione probabili tantùm probabiliter deducitur, plerumque non manet probabilis.* Adeoque Conclusio, quæ deducitur ex duabus præmissis tantùm probabilibus, plerumque non manet probabilis. verb. grat. Aristoteles dixit, quatuor elementa manere formaliter in mixtis; ergo manent formaliter. Vel sic: Quod Aristoteles dicit, verum est: Sed Aristoteles dixit, elementa manere formaliter in mixtis; ergo id verum est. In hoc Syllogismo Major & Minor est tantùm probabilis; conclusio verò vi hujus argumenti non est amplius probabilis sed dubia, sit enim Major probabilis ut $\frac{7}{10}$. Minor ut $\frac{6}{10}$. clarum est ad fallibilitatem Majoris accedere fallibilitatem Minoris, Cùm igitur fallibilitas majoris fuerit $\frac{3}{10}$. Minoris $\frac{4}{10}$. clarum est, fal-

fallibililatem fore, ut $\frac{7}{10}$. adeoque proba-

bilitatem tantùm ut $\frac{3}{10}$.

4. *Propoſitio, quæ ex alia propoſitione moraliter certa probabiliter deducitur, adhuc manet probabilis, niſi hæc probabilitas jam ſit in infimo probabilitatis gradu.* Sit hæc propoſitio moraliter certa; Ariſtoteles admiſit materiam primam, quæ nullam habeat determinatam figuram; ex hoc inferat quis; ergo datur talis materia. Illatio eſt tantùm probabilis; non enim omne illud, quod Ariſtoteles dicit, eoipſo verum eſt. ſit antecedens ut $\frac{9}{10}$. illatio, ut $\frac{7}{10}$. erit conſequens ut $\frac{6}{10}$. Vel ſic: quod Ariſtoteles dicit, verum eſt; Sed Ariſtoteles dicit, dari talem materiam; ergo datur. ſit Major ut $\frac{6}{10}$. Minor ut $\frac{9}{10}$. concluſio erit ut $\frac{5}{10}$. Adeoque non erit ampliùs probabilis.

5. *Authoritas addita rationi, aut Ratio addita authoritati non auget gradum probabilitatis, ſed eundem gradum probabilitatis, in quo ambæ conveniunt, confirmat.* v. g. ſtent pro hac propoſitione; *Datur materia prima Ariſtotelica*, mille authores, quorum omnium authoritas ſimul ſumpta ſit ut $\frac{8}{10}$. ſtet etiam pro-

illa propoſitione pondus rationum, quarum omnium probabilitas ſit, ut $\frac{7}{10}$ dico, probabilitatem propoſitionis tantùm futuram ut $\frac{8}{10}$ quia Ratio addita authoritati non facit, ut authoritas minùs frequenter fallat; ſed tantùm facit authoritatem ſecuram, ne fortè in hoc caſu per contrarias rationes enervetur; quod nihil aliud eſt, quàm facere, ut authoritas in ſuo probabilitatis gradu ſecurè quieſcat, abſque metu enervationis.

6. *Authoritas addita authoritati ſemper auget gradum probabilitatis*; quia ex pluribus teſtibus ſemper conflatur argumentum, quod minus frequenter fallit. v. gr. dari unum ſupremum Deum dicunt Chriſtiani, Turcæ, Judæi, gentiles; ergo datur. Concurſus totſectarum in unum dogma neo poteſt, nec ſolet fallere tam facilè.

7. *Ratio addita Rationi non auget gradum probabilitatis, niſi quando ex pluribus rationibus poteſt conflari unum argumentum.* Hoc autem fieri poteſt, quando plures rationes ſimul ſumptæ manifeſtant plures proprietates, circumſtantias & adjuncta rei. v. gr. dicat aliquis: Milo occidit Clodium. Rationes ſint: 1. Quia Milo priùs habuit inimicitias cum Clodio. 2. Quia eidem minatus eſt mortem. 3. Quia viſus eſt parare arma. 4. Quia viſus eſt fugere poſt cædem. 5. Quia veſtes repertæ ſunt tinctæ ſanguine. 6. Quia interrogatus de cæde expalluit. Hæ rationes omnes ſimul ſumptæ conflant unum argumentum deſumptum ex adjunctis, quæ ferè ſemper nulli conveniunt homini, niſi homicidæ, ut faciant, argumentum aut moraliter certum ut $\frac{9}{10}$ aut probabile

ſe ut $\frac{8}{10}$ — Sit verò alius, qui dicat: Dantur elementa Carteſiana. Ratio ſit. 1. Quia ſic omnia poſſunt facillimè explicari. 2. Quia experientiæ favent huic Hypotheſi. Sit ratio prima probabilis, ut $\frac{6}{10}$ — altera ut $\frac{2}{10}$ — Dico, non majorem futuram probabilitatem, quàm $\frac{7}{10}$ — quia una ratio in hoc caſu non facit, ut altera minùs frequenter fallat, ſed tantùm facit, ut minus ſit periculum, eam rationem enervari ex aliis argumentorum fontibus.

§. 41.

De obſervandis in praxi circa probabilitatem propoſitionum.

1. NUlla *propoſitio, quin prius determinet ur gradus ſuæ probabilitatis, admitti debet.* v. g. dicit aliquis; Ego ſequor Ariſtotelem: alter dicit; ego nullum hominum in Philoſophicis ſequor. Si hi duo nolint litigare inaniter; Prior prius determinet, an ſequatur Ariſtotelem tanquam regulam in Philoſophicis certam, an verò præcisè tanquam regulam probabilem, ut $\frac{6}{10}$, quæ in ſpeculativis plerumque non erret. ſic enim ex inductione errorum Ariſtotelis oſtendi poterit, utrùm prudenter aſſumatur pro tali regula vel non. Alter verò dicere debet: utrùm omne aliorum Philoſophorum judicium rejiciat tanquam regulam certam, an verò tanquam regulam probabilem: ſic enim cõvinci poterit ex inductione, utrùm

prudenter omnem authoritatem humanam respuat, an non?

2. *Quando pro aliqua propositione certus ac determinatus gradus probabilitatis assignari non potest, recipiendus est gradus vel ex hypothesi, vel proximè minor.* v. g. dicit aliquis; Aristoteles hoc dicit: conveniendum nobis priùs est de authoritate Aristotelis, sub quo gradu ab omnibus recipi possit. Vel argumentandum est ex hypothesi, suppositio videlicet, quòd Aristotele, tanti valeat.

3. *Hinc omnis probatio à communiter contingentibus debet.* quia nihil nisi ad minimùm ut probabile probandum est. v. g. si probatur aliqua conclusio ex authoritate, debet probari, illiam authoritatem plerumque verum dicere. Aut si probatur conclusio ex aliquo textu cujusdam Doctoris controverso, probandum est, textum illum plerumque accipi in sensu pro conclusione intento. Aut si probatur propositio ex ratione, probandum est, posita tali ratione plerumque consequi alterum, quod intenditur. v. g. dicit aliquis hodie venturam pluviam, quia manè polus rubuit. Ostendendum est, manè rubente polo plerumque consequi pluviam.

4. *Hinc omne argumentum, etiam à pari, vel à simili, vel à contrario, vel argumentum negativum in aliqua præsumptione, quæ à communiter contingentibus ducitur, fundari debet.* v. g. argumentatur aliquis à pari, dicens: Licuit hoc Themistocli, licebit & Epaminundæ. Prius probandum aut præsumendum est, Themistoclem & Epaminundam plerumque habere æqualia jura. Vel dicit aliquis: melius esse regimen Monarchicum, quia & unus Deus in mundo, unus Sol in cœlo. Ostendendum priùs est, vel præsupponendum, esse similitudinem inter regimen Monarchiæ, &

inter

inter actiones Solis. Vel dicit aliquis à sensu contrario; virtus est honoranda; ergo vitium est odio habendum. Ostendendum est priùs, virtutem & vitium plerumque sibi opponi in ipsa materia laudum. Vel dicit aliquis ab argumento negativo. Veteres Scriptores nullam fecerunt mentionem de Epistola Christi ab Abgarum Regem; ergo est suppositia. Ostendendum priús est, non fuisse probabile Authorum silentium de tali Epistola, si fuisset data aut aguita.

5. *Hinc Argumentum negativum non procedit in materia necessaria, sed tantùm in materia contingente.* quia in materia necessaria non proceditur per præsumptiones, sed per demonstrationes, v. g. dicit aliquis: Nulla est necessitas distinctionis inter modos, & rem modificatam, inter relationem & rem relatam; inter gradus Metaphysicos &c. Hi modi argumentandi non sunt boni. quia in materia necessaria illud ipsum est necessariam, quod est possibile; nec pro alterutra contradictionis parte ulla stat præsumptio, ut in partem adversam onus probandi rejicere possit.

6. *Hinc & argumenta à pari vel simili, quia nullam præsupponunt paritatem. aut similitudinem in prędicatis non controversis, connexis cum prędicato controverso, rejici debent.* v. gr. dicit aliquis. Judas est damnatus; ergo & Petrus. Hìc controversum prædicatum est damnatio utriusque. Si non priùs fuerit in utroque ostensum aliquod prædicatum, connexum cum subsequente damnatione, nulla est omnino paritas. Deberet ergo priùs ostendi, in utroque reperiri impietatem, tunc licuisset argumentari ad similem effectum.

7. *Sola convenientia objecti non parit probabilitatem.* v. g. dicit quis: Conveniens fuis-

sets,

ſet, Chriſtum venire in mundum, Adamo non peccante. Hoc ſolùm nondum probat, Chriſtum fuiſſe venturum; quia plurimæ poſſent convenienter fieri, quæ tamen non fiunt. Tunc verò ſolùm convenientia parit probabilitatem, quando eſt tanta, ut communiter ac plerumque ſoleat attendi. v. g. dubitat aliquis, an Rex ſit ſervaturus promiſſum ſuum? dico, illud eſſe probabile, quia ſic eſt conveniens, & quia Rex ſolet attendere ad honeſtatem publicam.

8. *Neque etiam ſola poſſibilitas objecti parit probabilitatem.* quia multa ſunt poſſibilia, quæ non fiunt. v. g. dicit aliquis. Per hypotheſin Carteſii, aut per atomos Gaſſendi poſſunt omnia explicari in natura; ergo eſt vera. Hoc non ſequitur, quia Deus habet innumeros modos poſſibiles, quorum quolibet poteſt producere eosdem effectus.

9. *Argumenta, quibus dicitur ſuaderi veritas, nullam pariunt probabilitatem.* Quia ſuaſio tantùm pertinet ad voluntatem circa eligibilia; voluntas autem tantùm eligit, quod eſt illi melius, non quod eſt intellectui verius. Talia argumenta ſuaſoria ſunt, quando. 1. objectum dicitur poſſibile. 2. Quando multæ afferuntur congruentiæ. 3. Quando una ſententia dicitur facilis explicatu, econtrà oppoſita difficilis. 4. Quando una ſententia dicitur ſubjecta eſſe minoribus difficultatibus, quàm oppoſita. 5. Quando in una ſententia dicitur ſervari major principiorum uniformitas, aut major doctrinæ conſequentia. 6. Aut quando in una ſententia dicitur dari facilior objectionum ſolutio. Hæc omnia, inquantum non permiſcentur puris motivis voluntatis, utiliter quidem afferuntur, inquantum intellectum vel liberant à præjudiciis contra adverſam

ſen-

ſententiam; vel inquantum liberant à metu difficultatum oppoſitarum; vel inquantum faciunt intellectum tranquilliùs aſſentiri objecto; non tamen ſunt poſitiva argumenta veritatis.

10. *Authoritati vel Rationi non rectè præfertur alia authoritas vel ratio, niſi quæ rariùs fallit.*

11. *Argumentum probabile non rectè diſſolvitur exceptione particulari.* v.g. dicat aliquis: hodie erit pluvia, quia mane rubuit cœlum. Si alter dicat; hoc non eſſe conſequens, eò quòd jam aliquoties manè rubente polo non venerit pluvia; hæc erit imperita reſponſio; quia prior propoſitio ex ſua materia tantùm erat probabilis, adeoque ſenſus tacitè erat: Hodie probabiliter veniet pluvia, quia plerumque ſic accidit. Hoc autem manet verum, quamvis interdum contrarium acciderit. Vel probet Eccleſia præſentiam Chriſti in Euchariſtia ex verbis Chriſti: Hoc eſt corpus meum. Si hæreticus reſpondeat; hoc non eſſe conſequens; eo quòd hic modus loquendi una vel altera vice habeat ſenſum tropicum, erit planè imperita reſponſio, quia ſenſus verborum non ille præſumitur, qui ratò, ſed qui plerumque verbis convenit. Contra hanc regulam plurimi Authores peccant, qui putant, ſe rem magnam præſtitiſſe, ſi oſtenderint, argumenta ſuorum adverſariorum vel textus non univerſaliter procedere.

12. *Ob probabilitatem ſuæ ſententiæ non licet rejicere probabilitatem alterius ſententiæ.* Quia poteſt contingere, quòd pro utraque contradictionis parte dentur præſumptiones. verb. grat. poteſt pro Milonis innocentia dári præſumptio ex honeſtate præteritæ vitæ; & poteſt ſimul contra ejus innocentiam dári præſumptio ex circumſtantiis facti ſeu homi-

homicidii. Hinc absurda est quorundam improbabilibus responsio; Argumenta adversariorum non esse convincentia; suam verò sententiam jam sufficienter probatam esse. In tali enim casu, quo pro utraque parte dantur argumenta probabilia, neutri parti assentiendum est.

13. *Ubi manifesta est veritas, vana est omnis in contrarium probabilitas.* Ad quid enim juvat, conglomerare adversus veritatem argumenta probabilia, nisi ad perturbandum intellectum, ut amittatur veritas. Sic faciunt hæretici afferendo innumeras præsumptiones adversus veram Ecclesiam; ad quid enim illæ juvent, nisi ad hoc, ut intellectus tot præsumptionibus perturbatus non videat in Ecclesia moderatricem omnium Providentiam divinam, aliundè certissimam, quæ inter mille humanorum ingeniorum ludibria novit educere veritatem, & constituere in imperio.

14. *Hinc est Ratio probabilis autoritati infallibili, & autoritas probabilis rationi certæ cedere debet.*

15. *Autoritas tantùm fallibilis non tollit obligationem examinandi rationes probabiles in oppositum.* v.g. dicit aliquis: Sententia Cartesii non est probabilis, quia est contra sensum Doctorum, contra sensum communem, contra judicium prudentum. si enim per talem exceptionem rationes oppositæ possent rejici tanquam indignæ, quæ audiantur, aut examinentur, tunc opinio semel probabilis per communem sensum Doctorum redderetur inexpugnabilis, eo quòd nunquam illi posset objici ratio probabilis, quæ non statim ob communem sensum Doctorum rejiceretur.

16. *Quando veritas propositionis dependet à multis suppositis tantùm probabilibus, non ma-*

net.

net probabilis. quia ſicut ex duabus præmiſſis ſolùm probabilibus plerumque non ſequitur concluſio probabilis, ita etiam ex multis ſuppoſitis ſolùm probabilibus. v.g. ſi quis dicat: concludendam proximè futuram pacem inter Principes Chriſtianos; ſupponat autem 1. Conditiones pacis non eſſe magnæ difficultatis. 2. Principes inclinari ad pacem. 3. Vires principium bellicas jam eſſe exhauſtas &c. ſi hæc & ſimilia ſuppoſita ſolùm ſint probabilia, ex multis capitibus poterit falli, qui ſic prænuntiat.

17. *Hinc & Sorites plerumque non fundant probabilitatem*. quia plerumque progrediuntur per multas illationes ſolùm probabiles. v. g. ſi mercator dicat: Quando navis ex India redierit, augebo cenſum annuum. Aucto cenſu conducam duas treſve naves; his iterùm redeuntibus ex India emam comitatum, & ſic per incrementa fortunæ perpetua fiam Penſionarius Statuum Hollandiæ.

18. *Cùm omnis probabilitas dependeat vel ex inductione caſuum conſimilium, vel ex Legibus Contingentium, rariſſimè autem ſciri poſſit, utrùm ſufficiens facta ſit inductio*, vel utrùm omnia conſideranda ad æſtimandum effectum contingentem requiſita conſideraverimus, patet, modeſtè plerumque & ſentiendum & loquendum eſſe, donec omnia videamus in Deo.

§. V.

De Cenſuris Criticis.

1. PRopoſitio *hæretica* eſt, quæ in terminis contradicit verbo Dei vel ſcripto, vel tradito, vel inſpirato Eccleſiæ.

2. Pro-

2. Propositio *erronea* est, quæ in terminis contradicit veritati jam aliundè certæ.

3. Propositio *proxima hæresi* aut errori est, cujus sensum coincidere cum propositione hæretica aut erronea moraliter certum est.

4. Propositio *propinqua hæresi* aut errori est, cujus sensum coincidere cum propositione hæretica vel erronea probabilius est.

5. Propositio *favens hæresi* aut errori est, quæ semel admissa vel præparat mentem ad hæresin, vel enervat fundamenta veritatis, vel conciliat robur falsitati, & argumentis hæreticorum.

5. Propositio *respectivè hæretica* vel erronea est, quæ saltem in aliquo sensu, quamvis non primario, est hæretica & erronea.

7. Propositio *temeraria* est, quæ sine efficacibus argumentis contradicit veritatibus universim receptis.

8. Propositio *scandalosa*, aut piarum aurium offensiva est, quæ multis hominibus probabiliter futura est causa erroris aut peccati; non enim illa propositio statim pro scandalosa haberi debet, quæ, tantùm uni vel alteri ex tota multitudine scandalum generat; quia id præsumitur accidere non ex natura propositionis, sed ex indispositione accipientis.

9. Propositio *pernitiosa*, *periculosa*, aut *seditiosa* est, quæ probabiliter disponet animos ad aliquod malum, vel ad seditiones; v. g. excitando eas cogitationes, aut passiones, ex quibus pronum est devolvi ad malum, vel seditionem.

10. Propositio *impudens* aut *insolens* est, quæ præsefert vel enormem superbiam & contemptum aliorum; vel peccat contra reverentiam aliis debitam.

11. Propositio *incredibilis* est, quæ asserit

rem

rem extraordinariam, cujus vel nullum habetur exemplum, vel nulla clara idea, idque sine sufficienti fundamento. nihil enim incredibile, quod testem habet idoneum.

12. Propositio *absurda* est, quæ contradicit aut æstimationi omnium hominum, aut exspectationi seriæ prudentum.

13. Propositio *nugatoria*, est, quæ in docendo, vel probando, vel respondendo non attingit punctum controversiæ, idque manifestè, ut à quovis facilè adverti possit.

14. Propositio *impertinens* est, quæ nec auget concessa, nec minuit negata probabilitatem quæstionis.

15. Propositio *captiosa* est, quæ, dum menti ingenerat varios sensus, videtur præferre sensum bonum, reipsa autem disponit ad erroneum.

16. Propositio *improbabilis* est, quæ comparativè spectata ad argumenta opposita non habet majorem verisimilitudinem opposito.

PARS II.

De Authoritate.

§. 1.

De Authoritate in genere.

1 IN *tantum quævis dicentis authoritas fundat probabilitatem, inquantum agit officium idonei testis, aut idonei judicis.* qui enim suam interponit authoritatem, vel debet scire rem esse veram, quod fieri potest vel per experientiam sensuum, vel per famam, vel per documenta, vel per traditionem.

nem. Et ſic aget officium idonei teſtis. v.g. ſiquis dicat: Ego hoc vidi, ego hoc accepi ex documentis; ego hoc audivi à meis majoribus. Si verò rem non ſciat veram eſſe ex propria experientia ſenſuum, aut ex traditione, aut documentis &c. tunc ſolùm poterit dicere: Ego v.g. non quidem vidi homicidium Miloni, judico tamen ex actis & relatis, eum potiùs innocentem eſſe, vel: Ego quidem non vidi cœlos, judico tamen ex argumentis hinc indè agitatis, illos potiùs liquidos eſſe. Sic ergo aget officium judicis; & ſi habeat qualitatem idonei judicis, ac diſpoſitionem mentis ad probabiliter dijudicandum verum, intantum habet probabilitatem authoritas.

2. *Author, qui non potuit pro ſua aſſertione fundari in experientia ſenſuum, fama, documentis, traditione; tantùm agit officium judicis, non vero officium teſtis.* teſtis enim refert, quod ipſe vidit, audivit &c. judex verò aliena documenta dijudicat, quid, quantumve ad probandum valeant. Quòd ſi idem & experientiam propriam affert, & ſuum exindè ſimul interponit judicium, ſimul agit officium teſtis & judicis.

3. *Quando pro utraque contradictionis parte ſtat æqualis authoritas, nulla exindè pro neutra parte exurgit probabilitas.* v.g. ſint pro una ſententia 10. authores: pro oppoſita totidem.

Erit probabilitas, ut $\frac{5}{10}$ id eſt, nulla.

4. *Quando non conſtat certò de ſenſu authoris, & ejus authoritas tantùm eſt probabilis, tunc nulla exindè fit probabilitas.* v.g. dicat Ariſtoteles: Mixta reſolvi in elementa. non autem certum ſit, utrùm loquatur de reſolutione Mechanica, nempe de ſeparatione; an verò de reſolutione Phyſica, nempe de

de generatione. Dico: ex tali textu nihil probabiliter concludi poſſe. quia ſic deberet formari argumentum. Quod Ariſtoteles dicit, eſt verum: Sed Ariſtoteles dicit, mixta reſolvi reſolutione Mechanica in elementa; ergo hìc Major & Minor eſt tantùm probabilis; adeoque concluſio non debet ampliùs haberi pro probabili.

5. *Quando probationes aut ſuppoſitiones omnes authoris nullæ ſunt & inefficaces, nulla eſt talis authoritatis probabilitas.* quia nullus authorum adeò inſolens eſt, ut plus ſibi credi velit, quàm omnibus ſuis probationibus.

6. *Quando pro una ſententia concurrunt multi authores, ad hoc ſolùm attendi debet, an facilè ſit in tali materia concurrere multos authores.* Si id facilè fuerit, etiam plurimorum authorum ſimul ſumptorum authoritas tantùm exiguam habet probabilitatem. Si verò id difficilè fuerit, ſumma eò tot authoribus conflatur probabilitas, aut certitudo. Adeoque non ſemper attendi debet ad numerum teſtium vel authorum. Aliquando enim difficilè eſt, etiam duos & tres convenire, ſi nec educatione, nec præjudiciis, nec communi paſſionum animi vinculo conjuncti fuerint, in aliis verò materiis facile eſt, etiam centum, aut mille conſpirare in unam ſententiam, ubi nempe communis educatio, communia ſtudia, & communia motiva mentem ad ſimilem ſententiam diſponunt.

7. *Quando pro eadem ſententia concurrant innumeri authores & homines, nullo communi colligati vinculo, ea ſententia moraliter certa eſt,* quia, cùm contingentia non procedant uniformiter, non potuit fieri, ut contingenter tot homines conſpirent in unam ſententiam, niſi fuiſſent rapti evidentia rei.

8. *Per-*

8. *Perſuaſio hominum, ſenſus communis, & quævis dicentis authoritas tantùm fundat præſumptionem circa objecta ſibi familiaria.* ſicut enim ſutor non feret rectum judicium de pictura ultra crepidam, ſic nec multitudo Doctorum, nec populi rectè ſentient, niſi circa illa objecta, quorum habere rectam notitiam ipſorum intereſt.

9. *Cæteris paribus authoritas clara authoritati obſcuræ præferri debet.* quia ſi textus authoris eſt obſcurus, non ſatis conſtat de ſenſu authoris, & ſic minuitur probabilitas argumenti.

§. II.

De idoneo controverſiarum judice.

1 NUllus *authorum pro idoneo controverſiarum judice haberi debet, niſi probetur.* quia qualitas idonei judicis, qua aptè diſcernitur verum à falſo in rebus dubiis, non ineſt hominibus à natura, ſed poſitivè probari debet. Adeoque non indiſcrimatim pro argumento adhiberi debet cujuslibet authoris aſſertio, ſed priùs nota eſſe debet authoris ſcientia.

2. *Idoneus author haberi non debet, niſi habeat ſequentes conditiones.*

Primò: *Aſſerat, quæ ſibi videntur*, non, quæ tantùm aliis videntur, quia ſi author tantùm occupatur in recenſendis aliorum opinionibus; ſi tantùm laborat, ut adducat ſententias probabiles, talis non ſuam interponit authoritatem, ſed inſtar oviculæ ſequitur alienam.

Secundò: *Aſſerat ſuas concluſiones categoricè* & confidenter. Si enim ipſemet author de ſuis aſſertionibus dubitet, non poterit firma adhiberi fides. Adeoque; ſi author dicat: *ſic videtur*: *probabiliter dico*, nulla eſt ex tali autho-

thoritate probabilitas. quia ex authoritate probabili tantùm probabiliter poſſet inferri concluſio.

Tertiò: *Sit liber à præjudiciis* - quia, ubi reperiuntur præjudicia, quæ habent connexionem cum quæſtione controverſa, pronum eſt errare. Rarò autem ab hominibus deſunt præjudicia, niſi adſit. 1. Promptum ingenium. 2. Eruditio. 3 Libertas animi intrepida in inquirendo & aſſerendo. 4. Exercitatum ſtudium in authoribus utriuſque ſententiæ. 5. Moderatio paſſionum. 6. Modeſtia in audiendo & loquendo erga adverſarios. Hæc autem omnia non præſumuntur in authore exiſtere, niſi horum omnium affert ac det ſpecimina.

Quartò: *Non adſtringatur motivo aut affectione particulari* ad ſuam ſententiam. quia talia motiva facillimè pervertunt judicium. Ut autem ſciamus, utrùm author tali motivo afficiatur, non ſufficit, ſi præcisè attendamus ad proteſtationes authorum; plurimi enim authores ab initio operis proteſtantur, ſe nulla paſſione, aut affectione particulari pertractos eſſe in ſuam ſententiam, in quibus tamen contraria eſt proteſtatio facto. Adeoque attendere debemus ad ipſa opuſcula authorum, utrùm nempe in iis occurrant tales modi tendendi, qui aliàs non ſolent procedere ex animis ab affectu liberis. Quòd ſi unus tantùm vel alter talis actus occurrat, nondum probat vitioſum pravæ affectionis habitum. Si verò plures occurrant, jam certum eſt, in authore dari particularis affectionis habitum. aliqui volunt, ut ex ſcriptis authorum maximè in Hiſtoricis nec eorum patria, nec familia, nec ſtatus conditio, nec religio appareat. Verùm hoc neceſſe non eſt; poſſunt apparere patria, religio; modò in ſcriptis non dominetur affectus, ſed ratio.

Quin-

Quintò: *Reluceat in authore Ars Critica*. quamvis enim hæc ars ſcripta non fuerit, omnium tamen mentibus ex ipſo lumine naturali inſculpta eſt. cùm enim regulæ criticæ per ſe ritè diſpoſito intellectui manifeſtæ ſint, fieri non poteſt, ut author bonus, qui ſequitur dictamina luminis naturalis, has regulas frequenter tranſiliat. Fieri quidem poteſt, ut etiam author bonus una vel altera vice ex defectu attentionis & ſufficientis reflexionis aberret à regulis criticis, ſed qui frequenter recedit, habitum animi gerit à veritate remotiſſimum.

Sextò: *Reluceat in authore habitus logicus*. qui enim frequenter impingeret in regulas rectæ ratiocinationis, oſtenderet, ſe habere diſpoſitionem animi ad errores pronam.

Septimò: *Reluceat in authore claritas, ordo, & exactitudo*. quia iſta regulariter concomitari ſolent ingenia ad veritatem diſpoſita.

Octavò: *Reluceat in authore attentio, exercitatio, & eruditio*. quia ſinè his facilè eſt errare. Attentio ſolet deeſſe in illis authoribus, qui ſe tantùm exiguo tempore applicarunt ad ſuum objectum, ad quod aliàs etiam capacia ingenia indigent longo tempore. Vel in iis, qui nimis multos libros ſcribunt exiguo tempore, vel in ætate præmatura. Vel in iis, quos conſtat occupari circa alia objecta impertinentia.

Nonò: *Reluceat in authore prudentia docendi*. Prudentiæ autem eſt, ſic tractare controverſias, ut intellectus facillimè convincatur; removere omnia objecta, quæ intellectum impediunt à comprehendenda veritate; non excitare in animis lectorum vel audientium eas paſſiones, quibus odioſa redditur veritas; reſecare inutilia, quæ ad

ſco-

ſcopum non pertinent; evitare prolixitatem, cùm mens tam multa comprehendere nequeat; omittere propoſitiones incidentes, quæ turbant ſenſum; vitare exaggerationes, quæ ſuſpectam reddunt totam doctrinam. Totam doctrinam reſolvere in definitiones, axiomata, poſtulata, concluſiones, probationes, explicationes, utiles animadverſiones, conſectaria, & dubiorum ſolutiones. Obvia ſit menti ubique totius doctrinæ, & dicendorum connexio. Scopus operis ubique ſit præ oculis. Pauca ſint principia ac uniformia, quæ in omnes partes doctrinæ influant. Leves objectiones, quarum ſolutio cuivis obvia, omittantur, & quæcunque alia in Logica de Methodo docendi dicta ſunt, obſerventur.

Decimò: *Sit author liber à paſſionibus potentiæ intellectivæ.* Sunt autem vitia humani intellectus. 1. Præcipitantia judicii, dum quis conſuevit in quavis re etiam non bene diſcuſſa, aut in rebus dubiis, in rebus inutilibus, aut in rebus non pertinentibus ad quæſtionem, ſuum interponere judicium, maximè ſi ſe immiſceat controverſiis, quæ ſine aliorum offenſione difficulter tractari poſſunt. 2. Curioſitas, quæ eſt cognitio rerum inutilium; rarò enim ſunt ſolidi judicii, qui libenter tractant curioſa & inutilia. 3. Nugacitas, quæ eſt inclinatio ab objecta jocoſa. Rarò enim reperitur eruditio ad ſolidam ſcientam requiſita in hominibus amantibus jocos. 4. Voluntaria ad libros, & ſocios, & alia objecta, in quibus contagionis periculum, adhæſio. Quod quis enim amat & æſtimat, hoc profundè imbibit, ſive bonum, ſive malum. 5. Sollicitudo temporalium. Difficilè enim eſt, ſervare mentem ad ſcientias ſerenam, ſi occupatur perpetuis curis rerum ac negotiorum temporalium.

Undecimò: *Sit author liber, non adstrictus ad verba Magistri.* Ut enim rectè Ptolomæus in sua Logica advertit, mille authores, qui tenentur jurare in verba magistri, tantùm valent pro uno authore, quem sequuntur, & quem repræsentant. Itaque illis Doctoribus, quibus semel decretum est, sequi ducem, liceat pugnare argumentis, non verò authoritate sui similium.

Duodec.: *Careat author acuta dictione & puerili eloquentia.* Rarò enim quis inveniet amantem argutam eloquentiam, & solidè discurrentem. Legatur Tertullianus, & Seneca & videbitur, quàm multæ argutæ sententiæ careant solido judicio, & veritatis accurato criterio. v. g. dum Seneca Tract. Quòd in Sapientem injuria cædere non possit. c. 5. ait:

„ Non refert, quàm multa in illum telà conji-
„ ciantur, cùm sit nulli penetrabilis; quomo-
„ do quorundam lapidum ferro inexpugnabi-
„ lis duritia est, nec secari adamas, aut cædi,
„ vel teri potest, sed incurrentia ultro retun-
„ dit. Quemadmodum projecti in altum sco-
„ puli mare frangunt, nec ipsi ulla sævitiæ ve-
„ stigia tot verberati sæculis ostentant. Ita sa-
„ pientis animus solidus est, & id roboris col-
„ legit, ut tam tutus sit ab injuria, quàm il-
„ la, quæ extuli. Adsum hoc vobis probatu-
„ rus. Videbis munimenta incursu arietis la-
„ befieri, & turrium altitudines cuniculis ac
„ latentibus fossis repente residere, & æqua-
„ turum editissimas arces aggerem crescere;
„ at nulla machinamenta posse reperiri quæ
„ bene fundatum animum agitent. Non Ba-
„ bylonis muros illi contuleris, quos Alexan-
„ der intravit, non Carthaginis aut Numan-
„ tiæ mœnia una manu capta, non Capitoli-
„ um, arcemve; habent ista hostile vestigium.
„ Quid tu putas, cùm stolidus ille Rex multi-
„ tudine telorum diem obscurasset, ullam sa-

„ gittam

„ gittam in Solem incidisse? ut cœlestia hu-
„ manas manus effugiunt; & ab his qui tem-
„ pla diruunt, aut simulacra conflant, nihil
„ divinitati nocetur, ita quidquid fit in sapien-
„ tem, protervè petulanter, superbè, frustrà
„ tentatur. " Ita quidem Seneca. Aliter Sapiens Eccles. 7. *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.*

§. III.

De idoneo teste.

1. IN *quovis teste supponitur veracitas, quamdiu non probatur contrarium.* quia nemo præsumitur malus.

2. *In testibus non præsumitur sufficiens notitia, nisi positivè probetur.* quia licèt fallere non sit homini connaturale, falli tamen & errare, & ignorare homini est.

3. *Quando testis reddit rationem suæ scientiæ, v. g. se referendo ad famam, traditionem, ad documenta, ad experientiam sensuum, tanta est testimonii probabilitas, quanta est illius famæ, traditionis, documentorum, sensuum.*

4. *Quando testis non reddit rationem suæ scientiæ præsumendum est, eum non habuisse rationem valde extraordinariam, sed primò obviam.* quia semper illud præsumitur, quod pronum est fieri. v. g. scribit Livius de Romana historia, nec citat fontes, undè hauserit. Facillimè contingere potuit, quòd colligeret varia documenta scripta, & tradita. Scribunt etiam nostris temporibus multi historiam temporum; plerumque hoc fit ex novellis & relationibus publicis. Alia documenta authentica supponi non debet, nisi fortè constaret, authorem esse talem, qui non soleret acquiescere, nisi documentis certis.

5. *Itaque tota probabilitas testimonii dependet*

det à credulitate teſtis. inquantum nempe teſtem conſtat eſſe virum credulum aquieſcentem quibusvis relationibus. an verò ſit vir, qui non aquieſcat niſi certis.

6. *Hinc fieri poteſt, ut author Recentior majoris ſit fidei, quàm author coævus.* quia author coævus potuit eſſe credulus, adhibens fidem quibusvis relationibus, & ſic ſæpiſſimè erraret. Evidens enim eſt, in quibusvis urbibus quotidie ſpargi falſos rumores de rebus in eademurbe peractis. Econtrà author recentior poteſt habere melius judicium in diſcernendis antiquis documentis, vel circumſtantiis expendendis facti veteris.

7. *Teſtis coævus de viſu vel auditu prævalet mille teſtibus non coævis.*

8. *Multi teſtes coævi de fama faciunt moralem certitudinem.* quia non facilè fieri poteſt, ut fama imponat tot viris perſpicacibus.

9. *Cæteris paribus ſemper præferenda eſt pluralitas teſtium.* Si pro una aſſertione ſtent decem teſtes, pro altera tantùm ſex; haud dubiè prior præferenda eſt.

10. *Omnes convenientiæ aut conjecturæ cedere debent teſtimonio unius teſtis fide digni.* v. grat. teſtetur vir fide dignus, ſe vidiſſe in acie occumbentem maritum Barbaræ, nuntient alii contrarium ex fama, aut ex circumſtantiis, quæ probabilem faciant vitam. Hæ omnes conjecturæ cedere debent unius teſtimonio, quia hoc teſtimonium eſt moraliter certum; convenientiæ verò & conjecturæ tantùm faciunt probabilitatem.

11. *Teſtis ſemel mendax in nulla aſſertione meretur fidem.* quia mendacium, quantumvis unum tantùm, eſt ſignum internæ malitiæ, quæ eſt cauſa mendaciorum plurium.

12. *Facta*

12. *Facta antiqua per testes coævos, vel proximè coævos probari debent; aliàs inter dubia haberi debent.* sic enim conveniunt acstatuunt Eruditi. ratio est, quia nullus erit finis confusionis, qua innumera fabulosa historiis permixta sunt, nisi separemus per hanc regulam certa ab incertis.

12. *In factis antiquis non requiritur minor fidès testium, quàm in factis recentioribus.* Hæc regula est contra illos, qui dum loquuntur de antiquitatibus, interrogati de antiquis documentis respondent; in tam antiquis rebus non esse requirenda tam accurata documenta, sed contentos nos esse debere conjecturis, aut probabili traditione. v. g. agitur de antiquitate & Majoribus cujusdam illustris familiæ; ajunt illam descendere ab Ænea, Hercule, Romulo, Regibus Ægypti. Cur verò id potiùs credam sine teste coævo, quàm factum recentius?

13. *In factis antiquis, quæ probantur à sola traditione, inspiciendum est, an talis traditio facilè aliquando potuerit oriri, quin fundetur in testibus coævis, vel non?* si non potuit facilè oriri, nisi ex coævis testibus, habet probabilitatem suam. Si verò facilè potuit oriri ex aliis fontibus, illa facta pro dubiis relinqui debent; & utendum cujusdam Itali effato: *Ego hoc nec credo, nec detredo.* v. gr. agitur de serie Imperatorum, Pontificum, vel Episcoporum: non possunt amplius produci documenta coæva, sed tantùm Catalogi talium Episcoporum, Principum &c. scripti ante 500. vel 600. annos. quia tamen non est verosimile, rem adeò publicam, & notam omnibus, ac est series Principum, fuisse vel oblivione sepultam, vel fraude impostorum adulteratam, poterit credi talis traditio. Vel oritur quæstio de fundatione alicujus urbis, de fundatione alicujus Eccle-

fiæ, de celebri aliqua victoria; non ſuperſunt ampliùs coæva documenta: ſuperſunt tamen ſolemnitates publicæ inſtitutæ in memoriam facti veteris, vel ſuperſunt tituli, jura, privilegia, prærogativæ familiarum, quæ dicuntur conceſſa intuitu talis antiqui facti, pariter fidem meretur traditio; quia non facilè talia introducuntur, quin fundentur in documentis antiquioribus. Vel oritur v. g. quæſtio, an Crux Pollingana inventa ſit in venatione à Thaſſilone Duce Bavariæ octavo ſæculo? Quis non videat, neminem unquam fuiſſe inventurum fidem apud ſuos confratres, domeſticos, familiares, concives, vicinos, ſi repente voluiſſet proferre in publicum talem hiſtoriam, de qua nullus antea quidquam audiiſſet. Occultæ revelationes, occulta miracula haud dubiè ſolent confingi ab impoſtoribus: Sed actus publici adeò ſolemnes, qui non potuiſſent ignorari ab aliis, non finguntur ab impoſtoribus, reſponderent enim impoſtori omnes: *Si verum eſſet, quod tu nobis recenter affers, debuiſſemus & nos hujus rei habere notitiam; non potuiſſet nobis eſſe ignota tam illuſtris inventio.* Igitur ſi conſtat, tale aliquod factum celebre ac publicum non potuiſſe à majoribus credi ſine dementia, nec potuiſſe populis promulgari ſine inſigni integræ alicujus communitatis malitia, credendum eſt, illud eſſe verum, & acceptum à coævis teſtibus. In aliis verò actis antiquis, v. g. ubi agitur de miraculo occulto, vel authentia antiqui numiſmatis &c. in quibus deceptio potuit introduci ab uno impoſtore, eo quòd à multitudine credula non potuerit refutari ejus aſſertio in tali re occulta; dicam: *Ego nec credo, nec decredo*, niſi mihi proferantur documenta proximè coæva, vel aliàs authentica.

14. *In*

14. *In factis antiquis, in quibus traditio eſt dubia, licet traditionem proſequi.* v.g. agitur in Illuſtri aliqua familia quæſtio de Nobilitate. traditio habeat, eſſe nobiliſſimam familiam, cur non liceat tali famillæ commendare poſteris tradita, & uſurpare jura nobilitatis? vel eſt quæſtio de authentia SS. Reliquiarum, v. g. de Sudario, præputio, linteaminibus ſepulchri, quæ aſſervantur in pluribus locis, de corpore S. Benedicti, quod colitur Floriaci in Gallia, & in Italia, de corpore S. Marci quod colitur Venetiis & in Schonaugia, de corpore S. Dionyſii, quod aſſervatur Pariſiis & Ratisbonæ, & innumeris aliis. Cur non liceat populis referre traditionem, & illos excitare ad reverentiam, in ſimilibus ſemper tacitè ac implicitè conditionatam? ſi enim licet revereri Diploma Regis dubium, & honorare perſonam, quæ fingit perſonam principis; cur non ſimile liceat in cauſis Regis Regum & Principum? Venit ante aliquot annos, qui ſe dicebat eſſe de familia ac cognatione cujuſdam Miniſtri Electoris Bavariæ: honoravimus pro viribus. Reſcripſit Miniſter: id gratum ſe habuiſſe, ac ſi verè fuiſſet de ſua familia. Licèt ergo in ſimilibus modeſtum eſſe, ut quilibet in ſuo ſenſu abundet; ſapientis eſt, proferre modeſtè tradita; non vendere majorem certitudinem quam acceperit; non ſcrupulosè diſcernere merces ac monetas promiſcuas, ubi pietatis, & amicitiæ lucrum æquale eſt.

16. *Hiſtoricus, qui non citat fontes, ſed innititur frequenter documentis dubiis, non meretur fidem in factis hiſtoriæ controverſis.*

17. *Scriptor, qui ſtudioſè truncat textus aut ſupprimit documenta adverſus ſe facientia, nullibi meretur fidem. eſt enim* falſarius.

§. 4.

De Argumento negativo petito ex silentio Authorum.

1. *Factum antiquum, de quo nihil scribunt Authores, qui illud potuissent & debuissent annotare, pro fabula habendum est.* Sic conveniunt & statuunt Eruditi. Requiruntur ergo duo ad hoc, ut argumentum negativum ex silentio Authorum petitum bonum sit. 1. Requiritur, ut potuerit Author scribere & annotare rem gestam: ut nempe habuerit de re gesta notitiam certam, & ut habuerit occasionem facilè ea de re scribendi: non enim possunt convenienter annotari res gestæ, si aut tantùm habeatur notitia dubia vel si ea historia non conveniat scopo operis, quod sibi Scriptor proposuit. Sicut enim nostris temporibus multa à plurimis sciuntur, quæ possent scribi pro notitia posteritatis etiam memorabilia, & tamen non scribuntur, quia vel occupationes, vel status, vel scopus cujusvis viri docti non permittunt, ut de qualibet re memorabili scribat commentarium, sic nec antiquitus id fieri potuit. 2. Requiritur, ut Authores habuerint occasionem facilem de tali re gesta scribendi. Talis autem occasio adesse censentur, si aliàs scripserunt librum in eadem materia; si factum seu res gesta sit adeò memorabilis, ut non censeatur ex injuria vel oblivione omissum; si Author habuisset specialia motiva, inserendi mentionem de re taliter gesta.

2. *Consuetudines integri populi, aut sectæ, de quarum origine non testantur Scriptores coævi; pro antiquioribus haberi debent.* v. g. quæstio est de antiquitate Confessionis auricularis in Romana Ecclesia, aut de dogmate Eucha-

Eucharistiæ, volunt Hæretici, hæc omnia penitus de novo orta esse multis post Christum sæculis. Quis verò credat, hæc oriri potuisse in Ecclesia sine ingenti strepitu & commotione totius Ecclesiæ, aliquibus eam novitatem recipientibus, aliis recusantibus. Si ergo in Authoribus est altum silentium de tali strepitu ob novationes Ecclesiæ, signum est, tam enormes novationes nunquam contigisse; & cùm successivè introduci non potuerint, quin semel patere debuerit novationis recens enormitas, signum est, talia Sacramenta Ecclesiæ quoad substantiam semper fuisse in Ecclesia.

3. *Argumentum ex silentio Authorum circa res, quas periculosum eloqui, nullum est.* v. g. si Author nullam faciat mentionem de crimine illustris personæ, aut de veritate aliqua odiosa multitudini, qualis esset laus Tyranni, non propterea bona erit argumentatio: *Authores de hac re nullam faciunt mentionem, ergo non datur.* Adeoque in similibus silentium non potest haberi pro ignorantia, sicut & in odiosis non habetur pro consensu.

4. *Si quis Author ad probandam suam assertionem non utitur argumento omnium optimo, censetur illud non agnovisse.* verb. grat. si ad conclusionem suam probandam in Philosophia serviret aliquis clarus textus Aristotelis, aut celebris experientia, si Peripateticus his non utatur, censetur eorum nullam habere notitiam, aut actualem memoriam.

5. *Argumentum Hereticorum contra Sacramenta Ecclesiæ, petitum ex silentio Scriptorum primitivæ Ecclesiæ, nullum est.* quia licèt illis Scriptoribus permissū fuerit, generalibus terminis loqui ad populū de Sacramentis Ecclesiæ

non tamen fuit illis permissum explicare enucleatiùs in scriptis publicis ritus & mysteria illorum Sacramentorum, ne irriderentur à Gentilibus, & vilescerent coram impiis, prout fusè probat Schelstrate in libro. De Disciplina Arcani. Sic Tertullianus l. 1. contra Gentes c. 7. à Christianis sacris depellens suspicionem occultorum criminum ait: „ A quibus potuisset talis fama in to„ tum orbem dari? ab ipsis enim Christia„ nis non opinor, cùm vel ex forma ac le„ ge omnium mysteriorum silentii fides de„ beatur: quanto magis talium, quæ prodi„ ta non evitarent supplicium? si ergo non „ ipsi proditores sui; sequitur ut extra„ nei. Oro vos, extranei undè notia„ tia? cùm etiam justa & licita mysteria omnem extraneum caveant. Et „ Origines l. 1. contra Celsum, ait: Quòd „ in doctrina Christiana quædam insunt, „ quæ non annuntiantur quibusvis, id non „ solius doctrinæ Christianæ proprium est, „ verum etiam Philosophicæ. nam & illi „ exteriorem, & occultiorem doctrinam „ habebant, alii Pythagoram audiebant con„ tenti ipsius authoritate; alii secretè disce„ bant rationes non evulgandas in profanos „ nondumque purgatos. Sic occultanda es„ se mysteria Ecclesiæ cavent omnes SS. „ Patres, prout in Schelstrateno videri po„ test.

PARS III.

Hermeneutica, ſeu de Interpretatione.

§. I.

De vario verborum ſenſu.

1. *Senſus verborum proprius* eſt, quem uſus loquentium immediatè ac plerumque verbis ſubjicit. verb. gratia ſi Chriſtus dicit: *Hoc eſt Corpus meum*. Hic modus loquendi ſimilis eſt communi modo loquendi, quo dicimus: Hoc eſt lignum. Hoc eſt lapis &c. quibus loquendi formulis plerumque ac immediatè intelligitur corporalis rei demonſtratæ præſentia.

2. *Senſus verborum improprius* eſt, quem uſus loquentium aut rarò, aut tantùm mediatè verbis ſubjicit, verb. grat. ſi dico, *Prata rident*. Antequam intelligam, quid ſibi velit propoſitio, cogitandum mihi eſt de riſu hominis, ac dein primùm ſimilitudo transferenda ad agrum: itaque non immediatè, ſed mediatè devenio ad intelligendam fœcunditatem agri lætam hominibus.

3. *Senſus primarius* verborum eſt, quem verba ſecundùm ſe præferunt. *Senſus ſecundarius* eſt, quem verborum circumſtantiæ, aut modus tendendi ingenerant. verb. grat. ſi Herus famulo dicat: *Jam ades à laboribus?* Senſus obvius verborum præfert laudem famuli. Si verò ex circumſtantiis ſciam, famulum ferò veniſſe, ſignificant Ironiam. ſi

denique herus vehementia quadam & minaci vultu eadem verba proferat; significabunt iram Domini.

4. *Sensus verborum obvius* est, quem aut verba, aut manifestæ verborum circumstantiæ præferunt, verb. grat. si Lutherus dicat: *Sola fides ad salutem sufficit*. quis non in sensu obvio propositionem hæreticam clamet?

5. *Sensus ad Authore intentus* dicitur, qui verbis de se ad duplicem sensum indifferentibus per contextum ab Authore tribuitur. verb. grat. dum Quesnellus dicit; *Quem Deus vult salvare, infallibiliter salvatur* propositio potest intelligi de voluntate Dei efficaci, & inefficaci. quia verò per contextum, & alias propositiones simul damnatas, quibus sufficienter explicatur totum Systema Gratiæ Quesnellianæ, constat, Quesnellum loqui de quavis voluntate Dei, eumque non admittere voluntatē Dei inefficacem, rectè propositio in sensu ab Authore intento damnata est.

Cæterùm quid sit sensus verborum strictus, accommodus, distributivus, copulativus, collectivus, disjunctivus, disjunctus, reduplicativus, denominativus, concretivus, materialis, formalis, privativus, exclusivus &c. jam in Summulis dictum est.

§. II.

De Principiis interpretationis.

1. TRia sunt principia interpretandi sensum verborum. 1. *Usus loquendi*. 2. *Intentio loquentis*. 3. *Subjecta materia*, circa quam versatur propositio.

2. *Pro illo sensu stat præsumptio, quem verba communiter habent ex usu loquentium*. v. gr. si Christus dicit; Ego & Pater unum sumus:

Pater

Pater in me, & ego in patre. Si velimus invenire ſenſum horum verborum, ab initio inquirendum eſt, quem ſenſum ex communi uſu loquendi iſte modus verborum habeat; & videbimus, quòd ſola unitas voluntatum per affectionem in amicis non ſoleat ſimilibus verbis exprimi.

3. *Quando verba ex uſu loquentium ſunt indifferentia ad duplicem ſenſum, tunc reſpiciendum eſt ad intentionem loquentis.* Et ſic pro illo ſenſu ſtat præſumptio, ad quem intentio ac diſpoſitio loquentis pronior eſt, v.g. in priore exemplo, ſi verba Chriſti mihi viderentur indifferentia ad unitatem moralem per affectum amicitiæ, & unitatem phyſicam, inſpicerem intentionem Chriſti, aliundè notam; & viderem, Chriſtum velle inſinuare dignitatem omni humana majorem, quod non obtineret per unitatem moralem cum Deo.

4. *Quando nec uſus loquendi certum ſenſum determinat, nec intentio loquentis nota eſt, recurrendum eſt ad circumſtantias verborum, ad contextum, ad connexionem doctrinæ, ad totum diſcurſum, ideſt, ad ſubjectam materiam.* Et ſic pro illo ſenſu ſtat præſumptio, quem ſubjecta materia faciliùs ingenerat. v. g. ſi in priore exemplo non eſſet nota intentio Chriſti, attenderem ad explicationem Chriſti, & viderem, quòd Chriſtus ſibi tribuat eadem opera, quæ operatur Deus; & quòd teſtetur, ſe jam fuiſſe ante Abraham, & ſimilia, hæc omnia non conveniunt niſi illi, qui habuerit unam naturam cum Deo.

§. III.

De ſenſu verborum, inquantum deſumitur ex uſu loquentium.

1. *SEnſus verborum ex uſu illorum temporum, quo uſurpantur, æſtimari debet.* Contigit enim non rarò, quòd eadem verba ſucceſſu temporum diverſum ſenſum accipiant. v. g. τὸ ὁμοούσιον *conſubſtantialis* aliquando in Oriente non fuit admiſſum à D. Baſilio, quia ibi locorum, & eo tempore non retulerunt hoc nomen ad naturam, ſed ad perſonalitatem. Similiter D. Hieronymus aliquamdiu noluit admittere in Deo tres hypoſtaſes, quia eo adhuc tempore nondum habuit adhuc univerſalem uſum pro perſonalitate. Hinc ſi ſenſus verborum dubius eſt, rectè attenditur ad uſum temporum antecedentium & ſubſequentium ad propoſitionem controverſam. verb. gr. ſi velimus ſcire, qualem ſenſum in Novo Teſtamento habeat nomen *Eccleſia*, inſpiciamus, qualem habuerit ſenſum in Veteri Teſtamento, & qualem temporibus primitivæ Eccleſiæ. cùm enim ſignificatio verborum non mutetur tam ſubito, exindè colligemus, nomen Eccleſiæ ſumptum non eſſe tantùm pro collectione juſtorum. Idem dicendum, de nomine *pœnitentia*, utrùm ſumptum fuerit tantùm pro propoſito novæ vitæ, ut voluit Lutherus, an verò etiam pro, dolore ac deteſtatione vitæ præteritæ.

2. *Semper ſtat præſumptio pro ſenſu famoſiori.* v. g. dicit aliquis: SS. Patrum non negligendam eſſe confeſſionem. Hic terminus ſolet uſurpari de ea confeſſione, quæ fit Sacerdoti, & de illa, quæ fit Deo. quia tamen prior ſignificatio

catio famosior, & in populo tritior est, censendum est, Scriptorem loqui de confessione, quæ de gravibus criminibus fit Sacerdoti.

3. *Sensus verborum rectè desumitur à sensu verborum consimilium, correlativorum, aut analogorum*, v. g. Joan. 6. Christus dicit: *Qui credit in me, habet vitam æternam*. Sensum tamen non esse exclusivum aliarum obligationum, & bonorum operum ex aliis Christi verbis similibus intelligitur. Sic Marci 16. dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*.

4. *Sensus verborum intelligitur ex eorum operationibus*. verb. grat. dicit Christus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. particula demonstrativa *hanc* posset referri ad confessionem Petri, vel ad personam Petri; cùm verò videamus hanc promissionem Christi id operatum esse, ut posteà Petro commendaret oves suas, rogaretque pro eo, ne deficeret fides illius, ut confirmaret cæteros Apostolos, &c. non dubium, quin hæc verba Christus etiam retulerit ad personam Petri.

5. *Qualis olim fuit sensus verborum, etiam nunc idem præsumitur; & vicissim*, qualis nunc est verborum sensus, etiam antiquitus idem fuisse præsumitur; maximè in ea materia, in qua interest Divinæ Providentiæ cavere, ut maneat semper idem sensus verborum. v. g. Sacramentum est nomen usurpatum antiquitus in primitiva Ecclesia, & nunc. Nunc per Sacramentum intelligitur signum sensibile, quod significat simul, & simul confert gratiam; itaque in re tanti momenti censendum est, Divinam Providentiam sic disposuisse mentes fidelium & Doctorum, ut etiam antiquitus in nonnullis materiis v. g. in materia Baptismi idem per

nomen

nomen Sacramenti intellexerint. Ratio hujus regulæ est, quia licèt successu temporum mutetur quandoque significatio verborum, ea tamen mutatio non præsumitur, nisi in casibus, in quibus specialiter probatur.

§. IV.

De sensu verborum, inquantum desumitur ex intentione loquentis.

1. *INtentio loquentis præsumitur respicere ad illum sensum, ad quem aliundè est magis dispositus.* Disponuntur autem humana ingenia ad aliquam sententiam. 1. per educationem ac Magistrorum institutionem. 2. Per libros, quos legunt. 3. Per præjudicia, ac principia generalia semel recepta. 4. Per socios, familiares, amicos, cum quibus conversantur. 5. Per passiones & affectus animi. 6. Per Deum, vel dœmonem, à quibus diriguntur. 7. Per sylvam rerum, & apparatum cogitationum, quas mente volvunt; qui enim in mente gerit innumeras cogitationes de objectis luxuriæ, iræ, invidiæ, vindictæ, ad similes sensus animi pronior est. 8. Per habitum quendam mentis seu naturalem seu acquisitum, quo quis attentionem suam ad ea objecta referre consuevit, ex quibus pronum est ad talem conclusionem descendere. verb. grat. dicit Quesnellus propos. 2. JESU Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest. Si hæc verba secundùm se inspiciantur, possent admittere sensum bonum. Si verò inspiciatur intentio loquentis sufficienter expressa in contextu aliarum propositionum, continent errorem Luthe-

ri, quòd liberum arbitrium se habeat purè passivè. Inprimis enim Quesnellus per educationem apud Patres Oratorii, & per institutionem Magistrorum fuit imbutus principiis philosophicis Cartesii, Arnaldi sui Ducis, & Maignani, qui docuerunt, Deum solum agere omnia, & ipsum solùm movere omnia tam in entibus corporeis, quàm in entibus spiritualibus, sicut, quando movetur baculus à manu. Promum ergo erat Quesnello, per gratiam Jesu Christi intelligere eam motionem Dei, sine qua nec opus aliquod theologicè bonum, nec opus moraliter bonum, nec ullus alius effectus in toto mundo fieri potest; ob quod dicit: *Absque illa nihil fieri potest*. Hanc suam intentionem sufficienter etiam expressit in aliis propositionibus: v. g. Propos. 10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. Et propos. 11. Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet. Et Propos. 23. Deus ipse nobis ideam tradidit. Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

2. *Pro illo sensu stat præsumptio, qui facilius resultat ex principiis, ideis, documentis, aut objectis autoris familiaribus.* verb. gr. dicit Quesnellus propos. 71. *Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* Si quis consideret alia generalia Quesnelli principia, quòd Ecclesia sit sola collectio justorum; si quis consideret objecta Quesnello familiaria, nempe transgressiones legum Ecclesiæ, declamationes in Clerum Ecclesiæ, conversatio cum fœminis liberrima, quis non damnet hanc pro-

propoſitionem tanquam ſcandaloſam fidelibus?

3. *Pro illo ſenſu ſtat præſumptio, qui conformior eſt doctrinæ authoris alibi traditæ.* quivis enim Scriptorum cenſetur velle ſervare conſequentiam doctrinæ. Adeoque ille ſenſus, qui tribuit majorem connexionem, ordinem, claritatem, aut ſoliditatem toti Syſtemati doctrinæ, præferendus eſt. v. g. Chriſtus dicit: Pater major me eſt. Hoc poſſet intellgi vel de Chriſto ſecundùm naturam divinam, vel de Chriſto ſecundùm naturam humanam. Si intelligeretur ſecundùm naturam divinam, contradicere videretur Chriſtus ſibi ipſi. Si verò intelligatur ſecundùm naturam humanam, plana eſt doctrina Evangelii de perſona Chriſti, & mira claritate omnes textus ſibi invicem conſentiunt, ut ſecundùm naturam divinam inter Patrem & Filium intelligatur æqualitas, ſecundùm naturam verò humanam in filo minoritas.

4. *Textus authoris obſcurus per alium clariorem explicari debet.* v. g. ſi cui videretur obſcurum, dum Chriſtus dicit: Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Clarius hoc reddebatur, quando Chriſtus oſtendit modum comeſtionis, nempe ſub ſchemate panis, dicendo: Hoc eſt corpus meum. Et adhuc clarius, quando Chriſtus per os Pauli dixit: Qui indignè manducat, judicium ſibi manducat non dijudicans corpus Domini. Sic etiam propoſitio univerſalis per magis particularem explicanda eſt.

5. Semper pro illo ſenſu ſtat præſumptio, qui faciliùs authori occurrit. quia regulariter illud fit, quod pronum eſt fieri. v. gr. quando in Pſalmo dicitur: Dixit Dominus

Domi-

Domino meo. quæri poſſet, de quali Domino David loquatur? ſed quia apud Judæos famoſa erat Meſſiæ exſpectatio, nil facilius, quàm quòd Davidi cogitatio de Chriſto occurrerit. Et id verùm eſſe, teſtatur in Evangelio Chriſtus.

6. *Author præſumitur reſpicere ad illum finem, motivum, connotatum, objectum, quod illi facilius occurrit.* v. gr. dicit Chriſtus Apoſtolis: Mittam in vos ſpiritum veritatis. Si dubitarent Apoſtoli, an ille Spiritus ſit Angelus, vel aliquis homo; rectè concluderent, illum Spiritum alium non eſſe, quàm illum, de quo Scriptura & Chriſtus aliàs frequenter fecerunt mentionem. non enim cenſendum eſt, Chriſtum de alio loqui, quàm qui facillimè objicitur illius menti, dum loquitur: facillimè autem menti obverſatur illud objectum, de quo frequenter audimus, legimus, cogitamus, loquimur.

7. *Hinc pro illo ſenſu, qui non invenitur, niſi multis & difficilibus diſcurſibus, non ſtat præſumptio.* v. g. ſi hæc verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, non intelligeremus in ſenſu litterali, non ſine laborioſa interpretatione intelligeretur tropus. Si dixiſſet: corpus meum eſt panis; fortè poſſet intelligi faciliùs. At cùm dicit: Hoc eſt corpus meum, neſcimus quid voluiſſet dicere, ſine Commentario. Cùm igitur nemo cenſeatur verſari circa conceptus difficiles ſine neceſſitate, præſumendum eſt, ſenſum eſſe clarum.

8. *Hinc etiam non præſumitur verbis ſubeſſe aliqua notio prorſus recondita ac extraordinaria, quæ intelligi non poſſit ſine extraordinario magiſterio, ſubſidiis, vel attentione.* Ratio eſt, quia dum loquimur, ut intelligamur, loquimur. Hoc autem intelligendum eſt.

est de via ordinaria, in qua nulla suadet ratio, ut obtegatur veritas.

9. *In articulis fundamentalibus fidei censendum est, illum subesse sensum, qui est clarus & obvius.* Ratio est, quia necessaria ad salutem omnium clarissimè proponi debent. Hinc Lutherani & alii hæretici prorsus desipiunt, qui, dum universim jactant, Scripturam esse claram, non solùm articulis fundamentalibus tribuunt sensum prorsus quæsitum, sed & ad intelligendam Scripturam dicunt opus esse passim linguarum subsidio. v.g. est aliquis textus ac articulus fundamentalis: *Hoc est corpus meum.* Hunc ita explicant, ut sensus sit: *Sub hoc pane latebit sub comestione corpus meum.* Est alius articulus & textus fundamentalis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, illi sic explicat, ut sensus sit: quibus annuntiatis evangelium, illis per præteritum baptismum, & fidem suam remittuntur peccata, & quos non baptizatis, illis retenta sunt. Nemo hucusque hunc sensum ante Lutherum in verbis Christi reperit: Adeò nempe sensus erat obvius, & adeò clara est Scriptura.

10. *Pro illo sensu stat præsumptio, in quo verba intelliguntur ab audientibus, sine reprehensione.* v.g. ex eo, quòd Christus Judæos non reprehenderit, quando ejus verba sic intellexerunt, ut faceret seipsum Deum, rectè inferimus, quòd verba Christi revera habuerint hunc sensum. Similiter etiam quando Judæi & multi discipuli intellexerunt verba Christi de comestione corporis sui, tanquam de comestione reali, & Christus eos non reprehendit, nisi circa modum comestionis, rectè inferimus, quòd Christus revera locutus fuerit de comestione reali, sed tamen sub modo existendi spirituali in Eucharistia. semper

enim

enim author præsumitur intendere illum sensum verborum, quem prævidet ingenerandum fore auditoribus.

11. *Pro illo sensu stat præsumptio, per quem singulis verbis assignari potest congruum motivum, & congruus finis.* v.g. quando Christus Joannis 6. discursum de Eucharistia instituit, loquitur ab initio de figura illius, de Manna, quod Moyses dedit, & quod physicè comestum est, dein loquitur de natura utriusque, quòd utrumque de cœlo descenderit. dein loquitur de effectu, quòd hunc panem comedens comedat vitam. dein exaggerat modum comedendi, dicens: *Caro mea verè est cibus.* idem sæpiùs repetit. & cùm posset aliis verbis claris explicare mentem suam si vellet loqui de manducatione spirituali per fidem, id non facit, nec publicè, nec privatim coram discipulis. Planè horum omnium non potest assignari congruum motivum, nec congrua ratio, & finis, nisi dicatur, Christum voluisse omnibus modis indicare comestionem realem sui corporis. ut confunderetur futurorum hæreticorum perfidia.

12. *Pro illo sensu non stat præsumptio, qui virum prudentem dedecet.* talis autem sensus foret. 1. Ad quem Author devolveretur nulla priùs data per discursum occasione. 2. Si author in tali sensu nullum haberet finem prudenter intendibilem. 3. Si in tali sensu loqueretur prorsus impertinenter, aut inconvenienter ad finem intentum. 4. Si in tali sensu nullo modo satisfaceret exspectationi audientium, aut merito, & exigentiæ objecti. 5. Si author magno verborum apparatu occuparetur circa rem facilem, aut exigui momenti, aut nullius consequentiæ. 6. Aut si nudum diverberaret aerem. verb. gr. si in allato exemplo Christus dicere-

§. 4.

De Argumento negativo petito ex silentio Authorum.

1. *Factum antiquum, de quo nihil scribunt Authores, qui illud potuissent & debuissent annotare, pro fabula habendum est.* Sic conveniunt & statuunt Eruditi. Requiruntur ergo duo ad hoc, ut argumentum negativum ex silentio Authorum petitum bonum sit. 1. Requiritur, ut potuerit Author scribere & annotare rem gestam: ut nempe habuerit de re gesta notitiam certam, & ut habuerit occasionem facilè ea de re scribendi: non enim possunt convenienter annotari res gestæ, si aut tantùm habeatur notitia dubia, vel si ea historia non conveniat scopo operis, quod sibi Scriptor proposuit. Sicut enim nostris temporibus multa à plurimis sciuntur, quæ possent scribi pro notitia posteritatis etiam memorabilia, & tamen non scribuntur, quia vel occupationes, vel status, vel scopus cujusvis viri docti non permittunt, ut de qualibet re memorabili scribat commentarium, sic nec antiquitus id fieri potuit. 2. Requiritur, ut Authores habuerint occasionem facilem de tali re gesta scribendi. Talis autem occasio adesse censentur, si aliàs scripserant librum in eadem materia; si factum seu res gesta sit adeò memorabilis, ut non censeatur ex injuria vel oblivione omissum; si Author habuisset specialia motiva, inserendi mentionem de re taliter gesta.

2. *Consuetudines integri populi, aut sectæ, de quarum origine non testantur Scriptores coævi; pro antiquioribus haberi debent.* v. g. quæstio est de antiquitate Confessionis auricularis in Romana Ecclesia, aut de dogmate Eucha-

Eucharistiæ, volunt Hæretici, hæc omnia penitus de novo orta esse multis post Christum sæculis. Quis verò credat, hæc oriri potuisse in Ecclesia sine ingenti strepitu & commotione totius Ecclesiæ, aliquibus eam novitatem recipientibus, aliis recusantibus. Si ergo in Authoribus est altum silentium de tali strepitu ob novationes Ecclesiæ, signum est, tam enormes novationes nunquam contigisse; & cùm successivè introduci non potuerint, quin semel patere debuerit novationis recens enormitas, signum est, talia Sacramenta Ecclesiæ quoad substantiam semper fuisse in Ecclesia.

3. *Argumentum ex silentio Authorum circa res, quas periculosum eloqui, nullum est.* v. g. si Author nullam faciat mentionem de crimine illustris personæ, aut de veritate aliqua odiosa multitudini, qualis esset laus Tyranni, non propterea bona erit argumentatio: *Authores de hac re nullam faciunt mentionem, ergo non datur.* Adeoque in similibus silentium non potest haberi pro ignorantia, sicut & in odiosis non habetur pro consensu.

4. *Si quis Author ad probandum suam assertionem non utitur argumento omnium optimo, censetur illud non agnovisse.* verb. grat. si ad conclusionem suam probandam in Philosophia serviret aliquis clarus textus Aristotelis, aut celebris experientia, si Peripateticus his non utatur, censetur eorum nullam habere notitiam, aut actualem memoriam.

5. *Argumentum Hereticorum contra Sacramenta Ecclesiæ, petitum ex silentio Scriptorum primitivæ Ecclesiæ, nullum est.* quia licèt illis Scriptoribus permissũ fuerit, generalibus terminis loqui ad populũ de Sacramentis Ecclesiæ

non tamen fuit illis permiſſum explicare enucleatiùs in ſcriptis publicis ritus & myſteria illorum Sacramentorum, ne irriderentur à Gentilibus, & vilescerent coram impiis, prout fusè probat Schelſtrate in libro De Diſciplina Arcani. Sic Tertullianus l. 1. contra Gentes c. 7. à Chriſtianis ſacris depellens ſuſpicionem occultorum criminum ait: „ A quibus potuiſſet talis fama in to„ tum orbem dari? ab ipſis enim Chriſtia„ nis non opinor, cùm vel ex forma ac le„ ge omnium myſteriorum ſilentii fides de„ beatur: quanto magis talium, quæ prodi„ ta non evitarent ſupplicium? ſi ergo non „ ipſi proditores ſui; ſequitur ut extra„ nei. Oro vos, extranei undè notia„ tia? cùm etiam juſta & licita myſte„ ria omnem extraneum caveant. Et „ Origines l. 1. contra Celſum, ait: Quòd „ in doctrina Chriſtiana quædam inſunt, „ quæ non annuntiantur quibusvis, id non „ ſolius doctrinæ Chriſtianæ proprium eſt, „ verum etiam Philoſophicæ. nam & illi „ exteriorem, & occultiorem doctrinam „ habebant, alii Pythagoram audiebant con„ tenti ipſius authoritate; alii ſecretè diſce„ bant rationes non evulgandas in profanos „ nondumque purgatos. Sic occultanda eſ„ ſe myſteria Eccleſiæ cavent omnes SS. „ Patres, prout in Schelſtrateno videri po„ teſt.

PARS III.

Hermeneutica, ſeu de Interpretatione.

§. I.

De vario verborum ſenſu.

1. SEnſus *verborum proprius* eſt, quem uſus loquentium immediatè ac plerumque verbis ſubjicit. verb. gratia ſi Chriſtus dicit: *Hoc eſt Corpus meum*. Hic modus loquendi ſimilis eſt communi modo loquendi, quo dicimus: Hoc eſt lignum. Hoc eſt lapis &c. quibus loquendi formulis plerumque ac immediatè intelligitur corporalis rei demonſtratæ præſentia.

2. *Senſus verborum improprius* eſt, quem uſus loquentium aut rarò, aut tantùm mediatè verbis ſubjicit, verb. grat. ſi dico, *Prata rident*. Antequam intelligam, quid ſibi velit propoſitio, cogitandum mihi eſt de riſu hominis, ac dein primùm ſimilitudo transferenda ad agrum: itaque non immediatè, ſed mediatè devenio ad intelligendam fœcunditatem agri lætam hominibus.

3. *Senſus primarius* verborum eſt, quem verba ſecundùm ſe præferunt. *Senſus ſecundarius* eſt, quem verborum circumſtantiæ, aut modus tendendi ingenerant. verb. grat. ſi Herus famulo dicat: *Jam ades à laboribus?* Senſus obvius verborum præfert laudem famuli. Si verò ex circumſtantiis ſciam, famulum ferò veniſſe, ſignificant Ironiam. ſi

denique herus vehementia quadam & minaci vultu eadem verba proferat; significabunt iram Domini.

4. *Sensus verborum obvius* est, quem aut verba, aut manifestæ verborum circumstantiæ præferunt, verb. grat. si Lutherus dicat: *Sola fides ad salutem sufficit*. quis non in sensu obvio propositionem hæreticam clamet?

5. *Sensus ad Authore intentus* dicitur, qui verbis de se ad duplicem sensum indifferentibus per contextum ab Authore tribuitur. verb. grat. dum Quesnellus dicit; *Quem Deus vult salvare, infallibiliter salvatur* propositio potest intelligi de voluntate Dei efficaci, & inefficaci. quia verò per contextum, & alias propositiones simul damnatas, quibus sufficienter explicatur totum Systema Gratiæ Quesnellianę, constat, Quesnellum loqui de quavis voluntate Dei, eumque non admittere voluntatē Dei inefficacem, rectè propositio in sensu ab Authore intento damnata est.

Cæterùm quid sit sensus verborum strictus, accommodus, distributivus, copulativus, collectivus, disjunctivus, disjunctus, reduplicativus, denominativus, concretivus, materialis, formalis, privativus, exclusivus &c. jam in Summulis dictum est.

§. II.

De Principiis interpretationis.

1. TRia sunt principia interpretandi sensum verborum. 1. *Usus loquendi*. 2. *Intentio loquentis*. 3. *Subjecta materia*, circa quam versatur propositio.

2. *Pro illo sensu stat præsumptio, quem verba communiter habent ex usu loquentium*. v. gr. si Christus dicit; Ego & Pater unum sumus:

Pater

Pater in me, & ego in patre. Si velimus invenire ſenſum horum verborum, ab initio inquirendum eſt, quem ſenſum ex communi uſu loquendi iſte modus verborum habeat; & videbimus, quòd ſola unitas voluntatum per affectionem in amicis non ſoleat ſimilibus verbis exprimi.

3. *Quando verba ex uſu loquentium ſunt indifferentia ad duplicem ſenſum, tunc reſpiciendum eſt ad intentionem loquentis.* Et ſic pro illo ſenſu ſtat præſumptio, ad quem intentio ac diſpoſitio loquentis pronior eſt, v.g. in priore exemplo, ſi verba Chriſti mihi viderentur indifferentia ad unitatem moralem per affectum amicitiæ, & unitatem phyſicam, inſpicerem intentionem Chriſti, aliundè notam; & viderem, Chriſtum velle inſinuare dignitatem omni humana majorem, quod non obtineret per unitatem moralem cum Deo.

4. *Quando nec uſus loquendi certum ſenſum determinat, nec intentio loquentis nota eſt, recurrendum eſt ad circumſtantias verborum, ad contextum, ad connexionem doctrinæ, ad totum diſcurſum, ideſt, ad ſubjectam materiam.* Et ſic pro illo ſenſu ſtat præſumptio, quem ſubjecta materia faciliùs ingenerat. v. g. ſi in priore exemplo non eſſet nota intentio Chriſti, attenderem ad explicationem Chriſti, & viderem, quòd Chriſtus ſibi tribuat eadem opera, quæ operatur Deus; & quòd teſtetur, ſe jam fuiſſe ante Abraham, & ſimilia, hæc omnia non conveniunt niſi illi, qui habuerit unam naturam cum Deo.

§. III.

De ſenſu verborum, inquantum deſumitur ex uſu loquentium.

1. *SEnſus verborum ex uſu illorum temporum, quo uſurpantur, æſtimari debet.* Contigit enim non rarò, quòd eadem verba ſucceſſu temporum diverſum ſenſum accipiant. v. g. τὸ ὁμοούσιον *conſubſtantialis* aliquando in Oriente non fuit admiſſum à D. Baſilio, quia ibi locorum, & eo tempore non retulerunt hoc nomen ad naturam, ſed ad perſonalitatem. Similiter D. Hieronymus aliquamdiu noluit admittere in Deo tres hypoſtaſes, quia eo adhuc tempore nondum habuit adhuc univerſalem uſum pro perſonalitate. Hinc ſi ſenſus verborum dubius eſt, rectè attenditur ad uſum temporum antecedentium & ſubſequentium ad propoſitionem controverſam. verb. gr. ſi velimus ſcire, qualem ſenſum in Novo Teſtamento habeat nomen *Eccleſia*, inſpiciamus, qualem habuerit ſenſum in Veteri Teſtamento, & qualem temporibus primitivæ Eccleſiæ. cùm enim ſignificatio verborum non mutetur tam ſubito, exindè colligemus, nomen Eccleſiæ ſumptum non eſſe tantùm pro collectione juſtorum. Idem dicendum, de nomine *pœnitentia*, utrùm ſumptum fuerit tantùm pro propoſito novæ vitæ, ut voluit Lutherus, an verò etiam pro dolore ac deteſtatione vitæ præteritæ.

2. *Semper ſtat præſumptio pro ſenſu famoſiori.* v. g. dicit aliquis: SS. Patrum non negligendam eſſe confeſſionem. Hic terminus ſolet uſurpari de ea confeſſione, quæ fit Sacerdoti, & de illa, quæ fit Deo. quia tamen prior ſignificatio.

catio famosior, & in populo tritior est, censendum est, Scriptorem loqui de confessione, quæ de gravibus criminibus fit Sacerdoti.

3. *Sensus verborum rectè desumitur à sensu verborum consimilium, correlativorum, aut analogorum*, v. g. Joan. 6. Christus dicit: *Qui credit in me, habet vitam æternam*. Sensum tamen non esse exclusivum aliarum obligationum, & bonorum operum ex aliis Christi verbis similibus intelligitur. Sic Marci 16. dicit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*.

4. *Sensus verborum intelligitur ex eorum operationibus*. verb. grat. dicit Christus: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. particula demonstrativa *hanc* posset referri ad confessionem Petri, vel ad personam Petri; cùm verò videamus hanc promissionem Christi id operatum esse, ut posteà Petro commendaret oves suas, rogaretque pro eo, ne deficeret fides illius, ut confirmaret cæteros Apostolos, &c. non dubium, quin hæc verba Christus etiam retulerit ad personam Petri.

5. *Qualis olim fuit sensus verborum, etiam nunc idem præsumitur; & vicissim*, qualis nunc est verborum sensus, etiam antiquitus idem fuisse præsumitur; maximè in ea materia, in qua interest Divinæ Providentiæ cavere, ut maneat semper idem sensus verborum. v. g. Sacramentum est nomen usurpatum antiquitus in primitiva Ecclesia, & nunc. Nunc per Sacramentum intelligitur signum sensibile, quod significat simul, & simul confert gratiam; itaque in re tanti momenti censendum est, Divinam Providentiam sic disposuisse mentes fidelium & Doctorum, ut etiam antiquitus in nonnullis materiis v. g. in materia Baptismi idem per

nomen.

nomen Sacramenti intellexerint. Ratio hujus regulæ est, quia licèt successu temporum mutetur quandoque significatio verborum, ea tamen mutatio non præsumitur, nisi in casibus, in quibus specialiter probatur.

§. IV.

De sensu verborum, inquantum desumitur ex intentione loquentis.

1. *INtentio loquentis præsumitur respicere ad illum sensum, ad quem aliundè est magis dispositus.* Disponuntur autem humana ingenia ad aliquam sententiam. 1. per educationem ac Magistrorum institutionem. 2. Per libros, quos legunt. 3. Per præjudicia, ac principia generalia semel recepta. 4. Per socios, familiares, amicos, cum quibus conversantur. 5. Per passiones & affectus animi. 6. Per Deum, vel dœmonem, à quibus diriguntur. 7. Per sylvam rerum, & apparatum cogitationum, quas mente volvunt; qui enim in mente gerit innumeras cogitationes de objectis luxuriæ, iræ, invidiæ, vindictæ, ad similes sensus animi pronior est. 8. Per habitum quendam mentis seu naturalem seu acquisitum, quo quis attentionem suam ad ea objecta referre consuevit, ex quibus pronum est ad talem conclusionem descendere. verb. grat. dicit Quesnellus propos. 2. JESU Christi gratia, principium efficax boni cujuscunque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest. Si hæc verba secundùm se inspiciantur, possent admittere sensum bonum. Si verò inspiciatur intentio loquentis sufficienter expressa in contextu aliarum propositionum, continent errorem Luthe-

ri, quòd liberum arbitrium se habeat purè passivè. Inprimis enim Quesnellus per educationem apud Patres Oratorii, & per institutionem Magistrorum fuit imbutus principiis philosophicis Cartesii, Arnaldi sui Ducis, & Maignani, qui docuerunt, Deum solum agere omnia, & ipsum solùm movere omnia tam in entibus corporeis, quàm in entibus spiritualibus, sicut, quando movetur baculus à manu. Promum ergo erat Quesnello, per gratiam Jesu Christi intelligere eam motionem Dei, sine qua nec opus aliquod theologicè bonum, nec opus moraliter bonum, nec ullus alius effectus in toto mundo fieri potest; ob quod dicit: *Absque illa nihil fieri potest*. Hanc suam intentionem sufficienter etiam expressit in aliis propositionibus: v. g. Propos. 10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare. Et propos. 11. Gratia non est aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis quod jubet. Et Propos. 23. Deus ipse nobis ideam tradidit, Omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

2. *Pro illo sensu stat præsumptio, qui facilius resultat ex principiis, ideis, documentis, aut objectis authoris familiaribus.* verb. gr. dicit Quesnellus propos. 71. *Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.* Si quis consideret alia generalia Quesnelli principia, quòd Ecclesia sit sola collectio justorum; si quis consideret objecta Quesnello familiaria, nempe transgressiones legum Ecclesiæ, declamationes in Clerum Ecclesiæ, conversatio cum fœminis liberrima, quis non damnet hanc pro-

propoſitionem tanquam ſcandaloſam fidelibus?

3. *Pro illo ſenſu ſtat præſumptio, qui conformior eſt doctrinæ authoris alibi traditæ.* quivis enim Scriptorum cenſetur velle ſervare conſequentiam doctrinæ. Adeoque ille ſenſus, qui tribuit majorem connexionem, ordinem, claritatem, aut ſoliditatem toti Syſtemati doctrinæ, præferendus eſt. v. g. Chriſtus dicit: Pater major me eſt. Hoc poſſet intelligi vel de Chriſto ſecundùm naturam divinam, vel de Chriſto ſecundùm naturam humanam. Si intelligeretur ſecundùm naturam divinam, contradicere videretur Chriſtus ſibi ipſi. Si verò intelligatur ſecundùm naturam humanam, plana eſt doctrina Evangelii de perſona Chriſti, & mira claritate omnes textus ſibi invicem conſentiunt, ut ſecundùm naturam divinam inter Patrem & Filium intelligatur æqualitas, ſecundùm naturam verò humanam in filo minoritas.

4. *Textus authoris obſcurus per alium clariorem explicari debet.* v. g. ſi cui videretur obſcurum, dum Chriſtus dicit: Niſi manducaveritis carnem meam, & biberitis ſanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. Clarius hoc reddebatur, quando Chriſtus oſtendit modum comeſtionis, nempe ſub ſchemate panis, dicendo: Hoc eſt corpus meum. Et adhuc clarius, quando Chriſtus per os Pauli dixit: Qui indignè manducat, judicium ſibi manducat non dijudicans corpus Domini. Sic etiam propoſitio univerſalis per magis particularem explicanda eſt.

5. Semper pro illo ſenſu ſtat præſumptio, qui faciliùs authori occurrit. quia regulariter illud fit, quod pronum eſt fieri. v. gr. quando in Pſalmo dicitur: Dixit Dominus

Domi-

Domino meo. quæri poſſet, de quali Domino David loquatur? ſed quia apud Judæos famoſa erat Meſſiæ exſpectatio, nil facilius, quàm quòd Davidi cogitatio de Chriſto occurrerit. Et id verum eſſe, teſtatur in Evangelio Chriſtus.

6. *Author præſumitur reſpicere ad illum finem, motivum, connotatum, objectum, quod illi facilius occurrit.* v. gr. dicit Chriſtus Apoſtolis: Mittam in vos ſpiritum veritatis. Si dubitarent Apoſtoli, an ille Spiritus ſit Angelus, vel aliquis homo; rectè concluderent, illum Spiritum alium non eſſe, quàm illum, de quo Scriptura & Chriſtus aliàs frequenter fecerunt mentionem. non enim cenſendum eſt, Chriſtum de alio loqui, quàm qui facillimè objicitur illius menti, dum loquitur: facillimè autem menti obverſatur illud objectum, de quo frequenter audimus, legimus, cogitamus, loquimur.

7. *Hinc pro illo ſenſu, qui non invenitur, niſi multis & difficilibus diſcurſibus, non ſtat præſumptio.* v. g. ſi hæc verba Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, non intelligeremus in ſenſu litterali, non ſine laborioſa interpretatione intelligeretur tropus. Si dixiſſet: corpus meum eſt panis; fortè poſſet intelligi faciliùs. At cùm dicit: Hoc eſt corpus meum. neſcimus quid voluiſſet dicere, ſine Commentario. Cùm igitur nemo cenſeatur verſari circa conceptus difficiles ſine neceſſitate, præſumendum eſt, ſenſum eſſe clarum.

8. *Hinc etiam non præſumitur verbis ſubeſſe aliqua notio prorſus recondita ac extraordinaria, quæ intelligi non poſſit ſine extraordinario magiſterio, ſubſidiis, vel attentione.* Ratio eſt, quia dum loquimur, ut intelligamur, loquimur. Hoc autem intelligendum eſt.

enim author præsumitur intendere illum sensum verborum, quem prævidet ingenerandum fore auditoribus.

11. *Pro illo sensu stat præsumptio, per quem singulis verbis assignari potest congruum motivum, & congruus finis.* v.g. quando Christus Joannis 6. discursum de Eucharistia instituit, loquitur ab initio de figura illius, de Manna, quod Moyses dedit, & quod physicè comestum est, dein loquitur de natura utriusque, quòd utrumque de cœlo descenderit. dein loquitur de effectu, quòd hunc panem comedens comedat vitam. dein exaggerat modum comedendi, dicens: *Caro mea verè est cibus.* idem sæpiùs repetit. & cùm posset aliis verbis claris explicare mentem suam si vellet loqui de manducatione spirituali per fidem, id non facit, nec publicè, nec privatim coram discipulis. Planè horum omnium non potest assignari congruum motivum, nec congrua ratio, & finis, nisi dicatur, Christum voluisse omnibus modis indicare comestionem realem sui corporis. ut confunderetur futurorum hæreticorum perfidia.

12. *Pro illo sensu non stat præsumptio, qui virum prudentem dedecet.* talis autem sensus foret. 1. Ad quem Author devolveretur nulla priùs data per discursum occasione. 2. Si author in tali sensu nullum haberet finem prudenter intendibilem. 3. Si in tali sensu loqueretur prorsus impertinenter, aut inconvenienter ad finem intentum. 4. Si in tali sensu nullo modo satisfaceret exspectationi audientium, aut merito, & exigentiæ objecti. 5. Si author magno verborum apparatu occuparetur circa rem facilem, aut exigui momenti, aut nullius consequentiæ. 6. Aut si nudum diverberaret aerem. verb. gr. si in allato exemplo Christus dicere-

ceretur loqui de ſola manducatione ſpirituali per fidem ; ſenſus totius illius diſcurſus eſſet; Qui in me credit , habet vitam : Sed quæ fuiſſet tunc occaſio , quis finis loquendi cum tali verborum apparatu , & cum tanto ſcandalo de fide in Chriſtum? cur proponeret fidem per modum cibi? quæ neceſſitas aut ratio in hoc tantùm diſcurſu doctrinam , quam alibi ſemper Chriſtus tam clarè proponere conſuevit , nempe neceſſitatem fidei, involvendi tantis ambagibus . Non igitur prudenter Chriſtus feciſſet , ſi neceſſitatem fidei , quæ nil continet occultandi myſterii , ſub tantis involucris hac vice occultaſſet ; & ſic rectè concluditur , ſenſum eorum verborum non eſſe de manducatione ſpirituali tantùm , ſed etiam reali . Simili modo redargui poſſunt quidam Theologi & Concionatores, qui ex Scriptura & SS. Patribus nonnunquam graviter inculcant paucitatem electorum , ſeveritatem divinorum judiciorum , & obligationes ſanctiſſimas Chriſtianiſmi ; interim tamen per alia media facillima omnibus porta latiſſima aperiunt cœlum , & ſic ſuis generalibus exaggerationibus nudum aerem diverberant. hi moneri poſſent , ut Evangelium & SS. Patres valdè ſeveros ſic explicent , ne reddantur ridiculi .

§. 5.

De ſenſu verborum , inquantum deſumitur à ſubjecta materia .

1 PRo *illo ſenſu ſtat præſumptio , quem obvia objecti proprietates & circumſtantiæ facilius ingenerant .* v. g. dicit Evangelium : Verbum caro factum eſt . Si conſiderentur præcisè verba , poſſent intelligi de mutatione ſubſtantiali vel Divinitatis in carnem ,

nem, vel carnis in Divinitatem. Si autem conſiderentur obviæ proprietates & circumſtantiæ in Criſto, clarum erit, naturam dinam, & naturam humanam manſiſſe integram; adeoque ſenſum tantùm eſt: quòd Verbum aſſumpſerit naturam humanam.

2. *Propoſitio ſignificat rem in eo ſtatu, in quo omnibus occurrit & obvia eſt.* v.g. dicimus ad B. Virginem. *Vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalve.* Si verba inſpiciantur ſola, ſcandalizabitur profanus & hæreticus, dicens: ſolum Chriſtum ac Deum eſſe vitam noſtram. Si verò inſpiciat ſenſum horum verborum ex ſubjecta materia, videbit id ſignificari, quod in objecto obvium ac omnibus notum eſt; nempe quòd B. Virgo cauſaliter per maternitatem, & meritoriè per interceſſionem ſuam ſit vita noſtra. Verba enim eadem ſequuntur in ſignificando modum concipiendi; conceptus autem noſtri ſequuntur ſtatum objecti obvium.

3. *Omnis verborum ſignificatio ſequitur modum objecti obvium.* v.g. dicimus in Romana Eccleſia. *Adoramus ſanctiſſimam crucem.* Scandalizatur hæreticus, dicens, lignum non eſſe adorandum. Videamus ergo, qualis ſit ſenſus horum verborum? Sed priùs videamus, qualis ſit ſtatus obvius objecti. In objecto reperimus lignum, & repræſentationem Paſſionis Dominicæ. Actualem conſideratioẽ hujus veritatis poſſumus teſtari ſigno externo vel genuflexione erga crucem, vel capitis detectione, vel oſculo. Hæc externa ſigna poſſunt propterea dirigi in crucem, ut proteſtemur, crucem, & non aliam rem eſſe rememorativum dulcis paſſionis; poteſt etiam propterea hoc rememorativum eſſe objectum amoris, æſtimationis, & contemplationis fixiſſimæ, ſicut aliud amici memoriale. Si ergo hæc omnia intelligamus nomine

ado-

adorationis, & nomine cultus, non erramus; Sed errant Hæretici, qui non intelligunt, eadem nomina, & eadem ſigna externa eſſe ſigna diverſiſſimorum conceptuum pro diverſitate ſubjectæ materiæ; ſicut etiam in exercitio militari Gallico idem pulſus tympani eſt ſignum diverſiſſimarum actionum, primis quidem ut retrocedant, ſecundis ut ſuccedant; aliquibus ut ſclopetum onerent; aliis, ut illud purgent. Miſerrimi ingenii eſt, capere non poſſe, genuflexionem & adorationem poſſe eſſe ſigna diverſarum affectionum animi in ſpiritu & veritate.

3. *In omni quæſtione omnes concluſiones, probationes, objectiones, & ſolutiones intelligi debent in eo ſenſu, qui congruit meliùs ad ſubjectam materiam, & punctum controverſiæ.* quia prudens author ubique cenſetur reſpicere ad ſcopum & cardinem rei: v. gr. D. Paulus in quavis propemodum Epiſtola pro ſcopo habet celebrem aliquam controverſiam, in ordine ad quam plures difficiles textus explicari debent. Sic in Epiſtola contra judæos, qui gentibus volebant imponere jugum legis. in ordine ad hanc materiam dicit: *Judico hominem juſtificari ſine operibus legis per fidem.* quæ dum Lutherus intelligit generaliter de omnibus bonis operibus etiam Chriſtianæ legis, impiè cum ſuis errat.

4. *Omnis quæſtio præſumitur in eo ſenſu tractari, in quo conſuevit & debuit tractari.* v. gr. definit Concilium Tridentinum Seſſ. 4. Editionem Bibliæ Vulgatam pro authentica habendam: ſcandalizantur Hæretici, dicentes: Vulgatam à textu originali in multis recedere. hi verò, ut aliàs ſæpiſſimè errant, non intelligentes hunc terminum: *Authentica.* nec quæſtionis ſtatum. Non enim id ſignificat, quòd Vulgata in omnibus ſit conformis

textui originali : ſed quòd in uſu Eccleſiæ publicè adhiberi debeat, permiſſa Doctoribus & Concionatoribus licentia, Vulgatam ſemper explicandi juxta textum originalem, vel etiam annotandi diverſitatem textus originalis ; prout videri poteſt in Menchio. Itaque Hæretici deberent priùs intelligere ſtatum quæſtionis, ut intelligerent terminos Eccleſiæ, uſurpatos utique in eo ſenſu, qui reſpondet ad ſtatum quæſtionis communiter receptum.

5. *Nullus author præſumitur voluiſſe reſpicere ad illa objecta, quorum aliàs in natura nullum reperitur veſtigium.* ratio eſt, quia prudens ſcriptor non loquitur de rebus incognitis, niſi quarum aut tradat, aut ſupponat claram notionem. v. g. quæritur, an Ariſtoteles voluerit per ſuam materiam primam aliquid intelligere corporeum, quod nullas omnino habeat dimenſiones etiam interminatas? id verò ſupponendum non eſt, quia nec natura, nec Ariſtoteles talis rei uſpiam tradit claram notionem, nec etiam reperitur ejuſmodi rei uſpiam veſtigium, ut Ariſtoteles indè ideam ſumere potuiſſet, aut occaſionem cogitandi.

6. *Pro illo ſenſu ſtat præſumptio, in quo relucet omnium proprietatum ac circumſtantiarum in objecto obviarum ex reperibilibus connexio ad invicem.* v. g. in ſcripturis multa tribuuntur Deo, quæ debent explicari juxta naturam ſubjectæ materiæ aliundè notam. v.g. dicitur Deus videre, audire, odorare, ambulare, loqui, ſedere; indurare cor Pharaonis, omnia mala facere in civitate &c. hæc omnia haud dubiè ſic explicanda ſunt, ut optima perfectionum divinarum, quas aliundè nobis & authori Scripturæ notas fuiſſe ſupponimus, ad invicem appareat connexio, ut nempe nil immen-

ſitas deroget bonitati Dei ſe accommodantis humanæ exilitati, nec juſtitia quidquam, patiatur à miſericordia & ſapientia, aut ſanctitate Dei.

7. *Termini cujuslibet artis aut diſciplinæ in ſenſu intra peritos illius artis recepto intelligi debent.* verb. gr. dum dicimus, quòd Sacramenta cauſent gratiam ex *opere operato*, quòd *infundantur* habitus virtutum, quòd *imprimatur* character animæ &c. deberent Hæretici conſulere noſtros Theologos, non ſua lexica.

8. *Objecta, quæ recipiunt diverſas notiones, non præſumuntur in omnibus hominibus habere eaſdem notiones ſub iiſdem nominibus.* v. gr. dicitur Petrus eſſe vir doctus, prudens &c. quia autem doctrina & prudentia habent magnam latitudinem, quam ſuo quiſque pede dimetitur, non eſt præſumendum, quòd ii, qui hoc dicunt vel audiunt, omnes habeant eandem notionem. Itaque in ſimilibus reſpiciendum eſt ad circumſtantias objecti, ut intelligamus, qualem menſuram prudentiæ, vel doctrinæ nobis inſinuare voluerit propoſitio. Idem contingit in omnibus rebus, quæ augeri vel minui poſſunt, aut quæ habent multiplices partes.

§. VI.

De ſenſu axiomatum, definitionum, diviſionum, Inductionum, Enthymematum, integrorum Diſcurſuum, ac Syſtematum.

1 AXiomata *tantùm urgeri poſſunt in ſenſu aliundè evidenti.* Nullam autem habent vim probandi in ſenſu aliundè dubio, obſcuro, aut controverſo. ratio eſt, quia axiomata vocantur veritates univerſaliter receptæ;

ceptæ; non est autem verosimile, propositionem aliquam fuisse universaliter receptam in sensu aliundè obscuro, aut controverso. v.g. est Axioma. *Qualis est causa, talis est effectus*; & vicissim: *Qualis est effectus, talis est causa*. Hoc non obstante Thomistæ admittunt, substantiam posse produci ab accidentibus. Itaque Thomistis non est evidens; requiri æquales perfectiones & naturam univocam inter causam & effectum; ergo Thomistæ in hoc sensu non admittent axioma; adeoque nec erit in hoc sensu axioma; quia axioma est propositio universaliter recepta, quatenus est recepta.

2. *Definitiones rerum simplicium tantùm habendę sunt pro definitionibus nominis*. v. gr. definiatur lux, albedo, sonus, existentia, seu ratio entis. Hæc entia non sunt aliquod compositum ex pluribus partibus, seorsim cognitis, quale compositum est domus, homo, leo &c. in his enim, si quis seorsim cognovisset partes, per compositionem partium explicaretur & intelligeretur totum: Sed lux, albedo &c. non habent tales partes, adeoque vel per experientiam tota simul intelliguntur, vel omnino non intelliguntur, si per experientiam nota non sunt. Si cœco â nativitate mille faciam definitiones albedinis, frustra laboro. Itaque quando definio albedinem, & similia objecta simplicia, nil aliud facio, quàm recenseam illas circumstantias, in quibus experimur illud, quod vocamus albedinem. verb. gr. dicendo: Albedo est color disgregativus visus. id est, ille color, qui visum dissipat, vocatur albedo.

3. *Definitio, de qua non constat, quòd author eam vendere velit pro essentiali, tantùm habenda est pro descriptiva*. quia plerumque authoribus satis est, si rem defi-

nitam distinguant à rebus non definitis per unam aliquam proprietatem rei attentione dignam. verb. gr. definiuntur à Theologis Sacramenta, virtutes, vitia; à Juristis contractus & actiones, à Logico termini, à Philosopho corpora &c. qui contentiosi sunt, impugnant definitiones, quòd accuratæ non sint. hi Scire deberent, tales definitiones plerumque esse descriptivas; & unius rei dari posse plures definitiones circumscriptivas, quarum una non sit notabiliter melior altera. verb. gr. aliquis definit iram; *quòd sit inordinata appetitio injurias proprias ulciscendi*. Alius eam definit: Quòd sit inordinatus appetitus vindictæ. Alius iterùm: Quòd sit vehemens motus animi propulsandi mali. Denique. Quòd sit inordinata accensio sanguinis circa cor propter ea, quæ contra palatum nostrum eveniunt. Quis, nisi imperitus multùm litiget de præferibilitate unius harum definitionum suprà aliam, cùm quælibet harum possit servire ad authoris propositum præ alia?

4. *Divisiones, & inductiones non sunt urgendæ tanquam adæquatæ*. verb. gr. S. Paulus Coloss. 1. facit divisionem Angelorum, dicens: *Sive throni, sive principatus, sive dominationes, sive potestates*. Imperitus foret, qui diceret, tantùm dari quatuor choros Angelorum, eò quod hæc divisio sit adæquata, cùm in aliis locis Scripturæ recensentur alii adhuc ordines Angelorum. Idem Ephes. 3. enumerat distributiones donorum Spiritus Sancti, dicens: Dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Econtrà 1. Cor. 12. facit aliam divisionem, dicens: Posuit in Ecclesia primùm Apostolos,

los, secundò Prophetas; tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum; opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. si quis vellet has divisiones ambas habere pro adæquatis & accuratis, haud dubiè erraret. Itaque divisionibus eosque utimur, quousque serviunt ad scopum sermonis; easque solas recensere solemus partes, quarum distincta expressio servit pro materia discursus. Accuratæ verò divisiones & inductiones in solis scriptis Scholasticorum exigi, & quæri debent.

5. *Quando in aliquo authore inter se pugnare videntur principia, & conclusiones, quæ deducuntur ex principiis; præsumendum est, authorem potiùs velle insistere principiis, quàm conclusionibus.* quia principia plerumque creduntur certiora esse & firmiora conclusionibus. verb. gr. Origenes sic discurrit: Animæ in humanis corporibus non subjectæ forent tot miseriis, nisi in pœnam alicujus peccati; ergo jam peccarunt animæ humanæ ante ingressum in corpora humana. Hæc conclusio falsa est, antecedens verò & principium verum est. Itaque si Origeni alterutrum retractandum foret, præsumendum est, eum potiùs retractaturum consequens, quàm antecedens; & sic ex parte antecedentis pro dogmate Catholico in confirmationem adduci potest. Simile contingit, quando Cicero dicit: Datur libertas; ergo non datur Providentia. Vel quando Hæreticus dicit: Datur præmotio Dei & gratia ad omnes actus; ergo non datur libertas; omnis hi firmiùs censentur velle insistere suis principiis & antecedenti, quàm consequenti, & corollarii.

6. *Nullus author præſumitur intendere aliam ſuæ doctrinæ ſequelam, niſi quam actu exprimit.* Ratio eſt, quia ſi ſunt ſequelæ ordinariæ, obviæ, & levis momenti, non erat neceſſe, ut eas author doceret, aut docere intenderet. Si autem ſunt ſequelæ prorſus extraordinariæ, & difficiles, vel cogitavit author de talibus ſequelis, vel non? ſi cogitavit? tunc ſaltem eas inſinuaret, vel caveret, vel extenuaret. Si de iis non cogitavit, tunc nec eas intendit. verb. gr. ante aliquos annos Wolfius defendit in Univerſitate Hallenſi Syſtema Leubnizianum Harmoniæ præſtabilitæ, vi cujus Deus ex prævisione determinationum voluntatis liberarum per ſcientiam mediam ſic inſtruxit machinam mundi & humani corporis, ut omnes motus corporis conſequerentur, quos vult anima. Addidit Wolfius reliqua Syſtematis Leubniziani ſuppoſita. Reclamarunt reliqui Profeſſores Hallenſes, & imputarunt Wolfio, quòd duceret ad Atheiſmum, eumque intenderet. Hoc nimium erat; aliud enim erat, quod ex Syſtemate Leubniziano prona ſit ad Atheiſmum via. Aliud, quòd illud ſyſtema à peritioribus ſine Atheiſmo defendendi non poſſet, aut quòd omnino intenderetur à Wolfio. Illud probabile videtur, hoc verò non veroſimile.

7. *Nullus author præſumitur cogitare de aliis ſuæ doctrinę ſequelis, niſi ordinariis, & cuivis ſtatim primo aſpectu obviis.* Ratio eſt, quia nihil præſumitur, niſi quod facile ac pronum eſt fieri. v. gr. S. Auguſtinus ſcripſit de neceſſitate gratiæ ad omnes actus meritorios. Monachi Adrumetini inde concluſerunt, non eſſe ampliùs admonendos ac puniendos delinquentes;

ſed

sed eos reliquendos gratiæ ; idque crediderunt non solùm ex doctrina S. Augustini consequi , sed & ab eo intendi . Revera autem D. Augustinus hanc sequelam nec prævidit , aliàs præcavisset ; nec intendit , aliàs hos Monachos non increpasset . Sic etiam , quando S. Cyprianus insultat Stephano Romano Pontifici , videtur consequi , talem modum loquendi & insultandi non provenire ab ingenio agnoscente Romanum Pontificem pro Duce & Doctore Ecclesiæ : Sed ex aliis operibus S. Cypriani constat , eum hoc loco non cogitasse de hac sequela , multò minus intendisse . Itaque in similibus licet rejicere doctrinam Authorum , tanquam fontes errorum ; sed non licet malignè interpretari mentem Authorum , nisi jam aliàs probata fuerit eorum maligna intentio , & vitæ improbitas.

8. *Integra systemata per paucas propositiones , quæ omnes systematis partes exhauriunt , explicari debent.* verb. gr. quæritur , quale systema doctrinæ D. Paulus habuerit in Epistola ad Romanos , S. Augustinus de gratia , D. Thomas in Philosophia ? itaque conficienda est synopsis totius Epistolæ ; si ista synopsis planam , ac solidam reddit connexionem omnium versuum illius epistolæ , signum est , sensum totius Epistolæ per eam synopsin penitus exhaustum esse . Si verò per eam synopsin non redditur ratio , cur D. Paulus in hoc versu sic fuerit locutus de lege , cur alibi sic de fide , cur alibi sic de prædestinatione & gratia &c. signum est , me per eam synopsin nondum attigisse sensum genuinum D. Pauli . Hæreticus verb. gratia diceret , hoc esse Systema D. Pauli ; ut omnia dependeant bona , & mala ab absoluta prædestinatio-

ne vel reprobatione ; indè fieri, ut aliqui conſequantur gratiam , ſemper efficacem ; alii nullam ; gratiam nemini concedi , niſi credenti in Chriſtum : & hinc fidem eſſe primam gratiam ; reliqua omnia opera , etiam legis , eſſe peccata , ſi ſunt extra fidem ; fidem autem nunquam eſſe ſine charitate. Sic Lutherus explicaret Syſtema D. Pauli , ſic Queſnellus . At verò hæ paucæ propoſitiones non exhauriunt omnes partes Epiſtolæ Paulinæ. ſi enim verb. gratia fides eſt prima gratia , & nunquam ſine charitate , cur D. Paulus dicit Philoſophos inexcuſabiles , quòd , ubi Deum ex ductu luminis naturalis agnoverunt , eum non tanquam Deum glorificaverint ? cur dicit , etiam Gentibus inſcriptam eſſe legem naturæ ? cur dicit : Gloria & pax omni operanti bonum , Judæo primùm & Græco ? Cur dicit : Gentes , quæ legem non habent , naturaliter ea facere , quæ ſunt legis ? Similia in Epiſtola Paulina reperiuntur plurima , quæ per illam ſynopſin Lutheranam & Queſnellianam via plana explicari non poſſunt . Itaque in ea ſynopſi non attingitur nec exhauritur ſenſus Paulini Syſtematis.

9. *Quando quæritur , utràm duo Authores quoad ſenſum Doctrinæ conveniant , non ſolùm attendendum eſt ad concluſiones , ſed potiſſimùm ad principia , ad corollaria , ad objectiones & ſolutiones objectionum , ac denique ad principia extrinſeca , diſpoſitionem animi , & Providentiam Dei aſſiſtentem nonnullis Scriptoribus .* v.g. quæritur an Queſnellus reipſa idem doceat , quod Lutherus ; an nonnulli ex imperitioribus Thomiſtis quoad ſenſum verborum conveniant quoad prædeterminationem & gratiam cum Janſeniſtis , & Calvino , an primitiva Eccleſia

circa

circa Eucharistiam & Sacrificium Missæ conveniat cum moderna? in tali quęstione considerandum est qualia Quesnellus, Lutherus, Thomistæ tales, Jansenistæ, & Hæretici habeant principia, quales adhibeant responsiones, &c. si in omnibus conveniunt, quis dubitet eandem esse doctrinam? aut si fortè in conclusione & adjunctis quoad terminos disconveniunt, sed tamen altera comparationis pars absque præjudicio suæ doctrinæ uti posset iisdem terminis, cur non convenire dicendi sint? verb. grat. si & Jansenius & Calvinus potest sic loqui, dari libertatem à necessitate, & hominem stante præmotione Dei esse liberum ad oppositum in sensu diviso, non autem in sensu composito, cur non conveniant cum uno vel altero imperito Thomista, qui de reliquo eadem admittit principia, quæ Jansenius aut Calvinus? Similiter, si agnosco in Primativa & Moderna Ecclesia circa Eucharistiam eandem æstimationem, quòd sit vertex & res summa totius religionis nostrę, si video, quòd habitum pro incomprehensibili mysterio, si semper ingentis peccati rei agniti sunt, qui in statu peccati gravis ut aliàs irreverenter accesserunt, si denique agnosco eandem directricem Ecclesię Providentiam maximè circa præcipuum articulum fidei, quis dubitet sensum doctrinæ veteris in Patribus, & modernę in Scholasticis eundem esse?

§ VII.

De ſenſu proprio, primario, ec ſecundario propoſitionum.

1. *IN tantum ſenſus propoſitionis dicitur eſſe proprius, inquantum eſt uſitatus apud eos, ad quos propoſitio dirigitur.* v. g. in Scriptura multi continentur idiotiſmi, qui apud Judæos propriiſſimè ſignificant, in aliis linguis & Nationibus eſſent locutiones impropriæ; v. g. quando Hebræi volunt ponere ſuperlativum, ſæpe repetunt verbum; quale eſt: Morte morieris, vindicans vindicabo, currens cucurrit &c. id eſt, valde cucurrit, ſeverè vindicabo, certè morieris.

2. *Ille ſenſus, qui aliquando fuit proprius propoſitioni, præſumitur ſemper manere proprius.* v. g. τὸ *adorare*, aliquando Veteri Teſtamento propriè loquendo ſignificavit quemcunque cultum externum, ac reſpectivum. v. g. Gen. 49. adorabunt te filii patris tui. 1. Paralip. 21. adoravit eum pronus in terram. Cenſendum ergo eſt, hunc terminum eandem ſignificationem retinuiſſe in novo teſtamento, ſi aliquando diceremur adorare Sanctos, & Crucem Domini.

3. *Ille ſenſus propoſitioni eſt proprius, quem homines ſimilis cum authore conditionis communiter verbo ſubjiciunt.* v. g. ſolent Prophetæ uti his terminis: *Hęc dicit Dominus*. Apud alios homines qui diceret: *Hęc dicit Chriſtus*. Propriè ſenſus eſſet; Deum, ac Chriſtum vel ſcripto, vel manifeſta revelatione aliquid mandaſſe. Sed apud Prophetas plerumque etiam propriè ſolùm ſignificat inſpirationem internam. Similiter quando Philoſophus dicit: Calorem fornacis Babylonicæ fuiſſe in ſeptimo gradu; homo in populo

cogi-

cogitaret, non fuisse adeò magnum, cùm tamen apud Philosophos ille gradus septimus sit maximus.

4. *Ille sensus est propositioni proprius, quem Interpretes indifferentes communiter eidem subjiciunt.* quia præsumendum est, sic receptam fuisse à majori parte Interpretum propositionem, prout erat menti obvia. Hinc etiam observo, semper propositiones Scripturæ prævaluisse in Ecclesia in sensu obvio. verb. grat. propositio Christi instituentis Eucharistiam: Hoc est corpus meum, sine dubio in sensu obvio præfert realem præsentiam, indè factum, ut semper hic sensus tandem prævaluerit in Ecclesia, licèt ab uno vel altero alius sensus iisdem tributus sit. Quia autem hic sensus prævaluit, eoipso pro sensu proprio haberi debet; cùm immediatè significatio verborum ex voluntate hominum pendeat, quæ semper præsumitur fuisse eadem in avis & nepotibus.

5. *In illo sensu propriè accipienda est propositio, in quo illam prima fronte statim simpliciter concedit vel negat adversarius.* Hæc regula utilis est in disputationibus. in his enim textus Patrum vel Philosophorum, vel Scripturæ, ex quibus sumimus probationem, afferendi sunt sine ulla citatione, sic ut adversarius putare possit, eam propositionem esse nostram, ac nostra verba. Si dein adversarius eam propositionem simpliciter sine ulla distinctione neget, signum est, quòd propositio, adeoque etiam authoritas Patrum vel Scripturæ, in sensu obvio & proprio illi sit contraria, & sic jam habetur intentum; nempe, quòd textus faciat præsumptionem pro argumentante, cùm semper præsumptio sit pro sensu obvio & proprio. v. g. dicit aliquis, colores noctu diuque esse permanentes in objectis; ego autem vellem probare, quòd

colores non ſint aliquid permanens, ſed cum luce Solis primùm objecti adveniant. Tunc poſſem ſic argumentari: Quod abit & redit cum Sole, non eſt aliquid permanens: Sed color abit & redit cum Sole; ergo. *Si* adverſarius negat minorem, dicam: hanc propoſitionem eſſe propè in terminis propoſitionem Eccleſiæ, dum in Breviario canit: *Rebuſque jam color redit vultu nitentis ſyderis.* Si dein adverſarius primùm velit diſtinguere, ac contendere, alium eſſe ſenſum hujus propoſitionis, quæram, *an* alius ſenſus, quem conatur adſtruere, ſit obvius & proprius, vel non? Si dicit, non eſſe obvium & proprium; ergo jam pro me ſtat præſumptio ex ſenſu obvio & proprio propoſitionis. Si verò dicat; illum alium ſenſum eſſe propriùm: dicam: cur ergo negaverit ſimpliciter propoſitionem, quæ in illo ſuo ſenſu, ut jactat, obvio & proprio vera eſt?

6. *Ille ſenſus non poteſt eſſe proprius propoſitioni, quo ſtante adhuc propoſitioni affirmativæ poſſet ſubſtitui negativa, aut viciſſim.* Non enim poſſunt duæ contradictoriæ propoſitiones eſſe veræ in ſenſu proprio. verb. gr. dicunt Lutherani, ſenſum hujus propoſitionis Euchariſticæ. *Hoc eſt corpus meum*, eſſe iſtum: ſub hoc pane proximè ſub comeſtione latebit corpus meum: Vel alii Hæretici: hoc eſt figura mei corporis. Si autem hic, vel alius ſimilis erroneus ſenſus eſſe proprius ac obvius eorum verborum, potuiſſet etiam Chriſtus propriiſſimè dicere: *Hoc non eſt corpus meum*; ſicut poſſum propriiſſimè dicere, hedera non eſt vinum. dolium non eſt cereviſia, quæ continetur in dolio.

7. *Ille ſenſus propriè non convenit verbo, qui poteſt exprimi alio verbo proprio.* v. g. dicunt Lutherani, fidei nomen propriè ſignificare fiduciam in Deum; ſed hoc verum non

eſt,

eſt, quia licèt nonnunquam ſumatur pro actu fiduciæ, non tamen hoc ſignificat in rigore & propriè quia ille actus fiduciæ habet ſuum nomen proprium, τὸ *fiducia*.

8. *Ille ſenſus non convenit verbis in ſenſu proprio, qui potuiſſet exprimi verbis longè clarioribus, propriis, ac cuivis obviis.* v. g. dicunt Lutherani ſenſum verborum Chriſti: *Hoc eſt corpus meum*, eſſe hunc: *ſub hoc eſt corpus meum.* Sed hic ſenſus potuiſſet facillimè ſine ullo motivo retrahente claris verbis exprimi, dicendo: *Sub hoc pane latet corpus meum.* Hunc ergo ſenſum Chriſtus non intendit; quia nemo cenſetur ſtudiosè velle uti verbis obſcuris, dum poteſt uti clarìs.

9. *Nulla locutio in ſcripturis aut Patribus, aut aliis Doctoribus cenſeri debet tropica, niſi tropus ſit audienti per ſe ſenſibilis & manifeſtus.* v. g. ſi dicerem: *Prata rident*, omnes intelligunt me loqui metaphoricè, quia riſus non poteſt propriè convenire agris. Similitet quando dico: *Petra erat Chriſtus*; vel: *Leo de tribu Juda*. omnes intelligunt hoc metaphoricè dictum; quia mens auditorum nunquam fuit ſpecialiter vel per circumſtantias vel per alia verba revocata ad proprietatem verborum. Sed quando Chriſtus dicit: *Ego ſum verè cibus.* Quando dicitur: *Qui indignè manducat, judicium manducat.* Homines non poſſunt eſſe certi, quòd ſit locutio tropica. Similiter quando dicitur: *Tota urbs victori obviam venit.* Senſibilis eſt Auxeſis, & omnes intelligunt, quòd ſit ementiens ſuperjectio; quando verò dicitur: anguſtam eſſe viam ad cœlum, tantùm quaſi reliquias in vindemia ex Iſraele ſalvos fieri, ex nullo capite nobis conſtare poteſt, quòd ſit Tropus, & Auxeſis, ac

Exag-

Exaggeratio; igitur iſta in ſenſu proprio, prout jacent, intelligenda ſunt. & univerſim etiam in SS. Patribus nunquam dicendum eſt, quòd loquantur per Exaggerationem, ſi auditores ex circumſtantiis intelligere poſſint, hoc eſſe dictum per Exaggerationem. Omnis enim Tropus & Exaggeratio, quæ ſenſibilis non eſt, ſicut reſtrictio mentalis, mendacium eſt.

10. *Quando alia eſt ſignificatio verbi ex inſtitutione, alia ex conſuetudine hominum, ſtat præſumptio pro poſteriore.* v.g. Papa ex ſua inſtitutione ſignificat quemcunque Epiſcopum; nunc verò uſurpatur tantùm pro ſummo Pontifice; & in hoc ſenſu nunc uſurpatum à quovis præſumitur. Vel: *Præpoſitus*, ex ſua inſtitutione grammaticali ſignificat quemcunque, qui alteri proponitur vel rei vel perſonæ; nunc verò ex conſuetudine ſignificat hominem in dignitate: ſimile eſt de verbo, *Imperator*, quod ex ſua inſtitutione Belli Ducem ſignificat.

11. *Quando Author ſæpius ſumit verbum in ſenſu improprio, quàm proprio, præſumptio potiùs ſtat pro ſenſu improprio reſpectu illius Authoris.* v. g. S. Auguſtinus plerumque per nomen *charitatis* intelligit quemcunque actum voluntatis, inquantum tendit per appetitum in bonum. Quandoque ergo dicit, quòd ſine charitate Dei omnia ſint peccata, & quòd peccator non juſtificetur, quin habeat charitatem, præſumendum eſt, eum non loqui de alio actu charitatis, quàm eo, quo quis appetit Deum, tanquam ſuum bonum & beatitudinem, quod fit in omni propoſito ſerviendi Deo modis illi placitis, ut quis ſalvus fiat.

12. *Quando aliundè morali certitudine conſtat, verbum hic & nunc non poſſe ſumi in ſenſu proprio, ſtat potiùs præſumptio pro ſenſu improprio.* v.g. dicitur in Scriptura: *Vidit Deus*,

ambulavit Deus, sedit Deus, Christus est ad dexteram patris aliundè constat, Deo non convenire situm, & membra; ergo censendum est, hæc sumi in sensu improprio. Dixi autem, requiriri certitudinem moralem in oppositum. si enim sufficeret probabilitas, tunc per probabilitatem petitam ex ratione tolleretur probabilitas ac præsumptio pro proprietate verborum, quod non est conveniens, eo quòd proprietas verborum certior sit, quàm alia quævis probabilitas. Et supposito, quòd essent æqualis probabilitatis, tunc ad summum redderetur quæstio dubia ob utrinque æquales præsumptiones.

13. *Derivativa & etymologiæ non assequuntur sensum proprium etymologati primarii.* v. g. civis, civitas, civilis, derivativa sunt, nec tamen omnes cives civiles, nec omnis civis Romanus in urbe, nec quisquis in civitate est, eoipso civis est. Itaque derivatio nominum non est derivatio proprietatum; & bene distingui debet id, à quo significatio translata est, & id ad quod significandum translatum est. Homo ab humo dicitur; non tamen humum sed cœlum spectet, nec quæ terrena ac humilia sapiat, sed cœlestia petat.

14. *Propositiones Doctorum in alio sensu, quàm primario urgendæ non sunt, quando habent primarium.* Propositiones enim ab hominibus editæ non solent habere plures sensus, quàm unum, eo quòd homo ad plura intentus de facili esse non possit. Aliud est dicendum de Scriptura, in qua Spiritus Sanctus censetur prævidisse adeòque etiam intendisse omnes sensus possibiles tam litterales, quàm tropicos, & morales, qui textui tribui possunt ab humano ingenio. sed hoc de textibus Doctorum dici non debet, qui, si aliquando unum determinatum sensum receperint, ad alium extendi non debent. verb. gratia do-

cent SS. Patres, Incarnationem esse *incomprehensibile & ineffabile* mysterium. Primariò intendunt SS. Patres, quòd nec ejus natura perfectè comprehendi, nec ejus existentia ratione deprehendi possit. Qui autem plus volunt, ut nec probabiliter ejus possibilitas ab humano intellectu cognosci possit; dicunt, hos textus Patrum posse etiam intelligi generaliter de omni incognoscibilitate; eo ipso affingunt his Patrum textibus duplicem sensum, unum primarium, in quo debent intelligi; alterum secundarium, in quo possunt intelligi; illum priorem sensum necessariò Patres debuerunt intendere; hunc alterum potuerunt intendere. Dico: hunc alterum sensum possibilem non sufficere pro formando argumento; quia sola possibilitas non infert actum.

15. *Omnis tamen propositio præter sensum primarium verborum pot est simul recipere sensum secundarium circumstantiarum.* in tali enim casu non tam propositioni tribuitur duplex sensus, quàm verbis unus, & alter circumstantiis. v. g. si herus iratus servo clamet: *Venit tandem.* Ea propositio vi verborum significat mandatum de adventu; vi circumstantiarum significat iram Domini.

16. *Quando circumstantiæ propositionis sunt manifestæ ac obviæ, ex quibus ea falsa aut scandalosa redditur, tunc rectè propositio in sensu obvio falsa, aut scandalosa &c.* dicitur, quamvis tantùm sit falsa aut scandalosa in sensu secundario. verb. grat. Propositio. 2. Quesnelli est: *In vanum Domine præcipis, & tu ipse non das, quod præcipis.* Hæc propositio, ut jacet, potest habere sensum verum vi verborum. quia tamen ex circumstantiis ac contextu aliarum propositionum simul damnatarum patet, Quesnellum nullam admittere gratiam sufficientem ad implenda mandata,

patet

patet ſenſum eſſe hunc: *In vanum Domine præcipis, ſi tu non dar per gratiam efficacem, quod præcipis*. Hic ſenſus erroneus ex circumſtantiis obvius eſt; adeoque etiam propoſitio in ſenſu obvio erronea eſt. Cæterùm, qualis propoſitioni ex circumſtantiis ſenſus ſecundarius conveniat, dependet ex conſuetudine hominum, quod enim alii homines in ſimilibus circumſtantiis ſolent cogitare, inferre, concludere; id cenſetur pertinere ad ſenſum ſecundarium propoſitionis.

§. VIII.

De ſenſu univerſali, particulari, limitato, illimitato, abſoluto & conditionato propoſitionum.

1. *Subjectum propoſitionis indefinitæ in materia contingente præſumitur habere ſenſum particularem*. verb. gratia, Homo currit, ſenſus præſumitur eſſe, quòd aliquis homo currat; non quòd omnis homo currat.

2. *Subjectum propoſitionis indefinitæ in materia neceſſaria, aut in dogmaticis præſumitur habere ſenſum univerſalem*. verb. grat. homo eſt animal rationale. Senſus eſt: Omnis homo eſt animal rationale. Vel ſi dico: Peccatum mortale eſt infinitæ malitiæ. Senſus eſt: Omne peccatum eſt talis malitiæ.

3. *Prædicatum propoſitionis affirmativæ ſemper habet ſenſum particularem disjunctivum*. Prædicatum verò propoſitionis negativæ ſemper habet ſenſum univerſalem diſtributivum. verb. grat. Omnis homo eſt animal. Senſus eſt: eſt aliquod animal, vel rationale vel irrationale. Aut: nullus lapis eſt animal, ſenſus

eſt:

est: nec rationale, nec irrationale; sed nullum.

4. *Nulla præsumitur propositioni convenire universalitas, nisi ad quam Authori respicere promum erat.* v. grat dicit S. Paulus: *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ JESU Christi.* Haud dubiè hìc Apostolus non respiciebat ad alios Coapostolos, & Episcopos, & Clericos, & Christianos fervidos; sed ad communem modum vivendi, & turbam. nec enim congrueret veritati, & subjectæ materiæ, nec conveniret modestiæ Pauli.

5. *Talis præsumitur propositioni convenire universalitas, ad quam solent respicere ii, ad quos propositio dirigitur*, v. g. Joa. 12. dicitur: *Totus mundus post eum abiit.* Qui hoc audierunt, facilè intellexerunt, sermonem tantùm esse de populo Judaico, eoque solùm quoad magnam partem: itaque & in hoc sensu accipienda est propositio.

6. *Hinc propositioni non censetur convenire ea universalitas, quæ difficulter occurrit loquenti & audienti*: quia nunquam præsumptio stat pro rebus extraordinariis; sed mens solùm respicere solet ad casus ordinarios, & objecta obvia ac ordinaria. v. g. præcipit Assuerus. *Nullus nisi vocatus in conspectum Regis veniat.* Sed hac lege generali non respexit ad casum extraodinarium, in quo aliàs periclitaretur sua vel suorum salus; immò verò nec omnes comprehendit ea lege, prout ad Reginam fatetur: *Non pro te* sed pro omnibus est hæc lex. hinc etiam apud Theologos, & Jurisas regula est: Legislatorem in sua lege generali non comprehendere eos casus extraordinarios, ad quos si respexisset, non censeretur extendere legem. v. g. datur lex: *Diem Sabbati sanctifices.* sed Machabœi bene explicant eam legem generalem, ut non comprehendatur universali lege casus, quo aliàs tota gens obsessa

ab,

ab hoſtibus, niſi ſe defenderet die Sabbati, periclitaretur.

7. *Propoſitio Generalis non debet reſtringi, niſi inquantum datur neceſſitas reſtringendi.* v. gr. dicit Scriptura: *Omnes peccaverunt in Adamo.* Cogit quidem nos neceſſitas excipiendi Chriſtum, & B. Virginem; ſed ulterius propoſitio reſtringi non debet. Simile eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. Propoſitio generalis etiam ad parvulos extenditur; quia ut excipiantur, nulla cogit neceſſitas ex authoritate, vel ſenſu Eccleſiæ, vel ex ratione.

8. *Veritas propoſitionis generalis non tollitur per exceptionem particularem.* v. gr. ſiquis diceret: Non eſt verum, quòd *omnes peccaverint in Adamo* quia B. Virgo in illo non peccavit, nec in eo mortua eſt; talis rejiceretur ab omnibus quia ſenſus & veritas propoſitionis univerſalis non ſe extendit ex intentione loquentis ad caſum exceptum. Hæc regula bene notanda eſt contra quosdam contentioſos & litigioſos homines, qui aliorum dicta ubivis impugnant, tanquam erronea, ob meras exceptiones particulares. v. gr. ſi dicas: Melius eſt ſubeſſe Principi docto, quàm indocto; & melius parere uni, quàm multis. ſtatim talis aderit, & dicet: Hoc non ſequitur, quia ſæpe Princeps doctus, cùm fideret doctrinæ ſuæ, & ingenio, populum in hæreſes, aut ruinam impulit. Hi tales ſcire deberent, propoſitiones tales generales indefinitas verſari circa ea, quæ frequentiùs contingunt: poterunt ergo per modum diſcurſus caſus contrarios proponere, ſed non decet ex caſibus minus frequentibus contendere adverſus veritates, quæ dicuntur ex eo, quod communiter contingit.

9. *Propoſitio illimitata cenſenda eſt fuiſſe ab Authore*

Authore limitata ad eas conditiones limitantes, ad quas Author de facili potuit & debuit respicere. v. g. docet aliquis in Thesi illimitatè. *licet sequi sententiam æquè probabilem relicta tutiore.* si dein vel in annotandis, vel in explicatione, vel in solutione objectionum explicet, qualis debeat esse probabilitas, quale debuerit præcessisse examen & inquisitio de veritate, & quale debeat esse examen reflexum, conclusio sub his limitationibus & conditionibus intelligi debet.

10. *Quævis propositio censetur esse tacitè conditionata, aut limitata secundùm eas conditiones, quæ subjectæ materiæ per se insunt.* verb. g. si dico: Præmotio Physica Thomistarum vel Prædestinationis decretum Calvinianum tollit libertatem, cuivis est evidens, hanc propositionem esse tacitè conditionatam, ut sensus sit. si datur præmotio, tunc tollit libertatem; similiter, quando quis dicit: Crastino ibo ad nundinas. per se imbibita est conditio, nisi intervenerit impedimentum. Item, promittit quis alteri mille aureos. tacitè inest conditio; nisi res deveniat ad eas circumstantias, pro quibus promissio vel contractus non obligat. Itaque conditiones & limitationes, quæ per se insunt, non debent exprimi, sed subintelligi. Per se autem insunt illæ conditiones, quæ aut semper insunt ex natura objecti vel consuetudine hominum, aut quæ prudenter debuerunt apponi ad evitandum malum vel errorem, sic ut facilè potuerint intelligi appositæ à viro prudente.

11. *Hinc Conditio, quæ de facili potest, aut communiter solet subintelligi, debet subintelligi.* Patet ex allato exemplo ituri ad nundinas.

12. *Econtrà propositio absoluta non debet intelligi sub ea conditione, quæ loquenti difficulter occurrit,*

currit, aut quę est prorsus extraordinaria. v.g. Promittit quis amico, se illum scripturum hæredem, nulla apposita conditione. Dein testator leviſſima offensiuncula à testatorio offenditur; propterea revocat promissum, dicens: suam promissionem fuisse conditionatam, sub hac nempe conditione; *Nisi se offenderit*. quivis videt, conditionem ad quamvis leviſſimam offensiunculam non solere apponi, nec prudenter apponi; adeoque tanquam prorsus extraordinaria, nisi exprimatur, pro improbabili haberi debet.

13. *Quando propositioni nulla apponenda est expressa conditio, aut limitatio, inanis est propositionis distinctio*. v. g. dicat aliquis: Sol illuminat mundum. Si alter dein distinguat propositionem, dicens: De die. concedo. de nocte. nego. Hæc distinctio vana est, quia nullus unquam hanc propositionis limitationem exprimere vocare voluit, aut debuit, ut opus esset loquentem per distinctionem admonere de obligatione faciendæ limitationis.

§. IX.

De sensu propositionum, quæ important aliquam denominationem,

1. *OMnis denominatio importat subjectum & formam denominationis in statu omnibus obvio*. v.g. dicit D. Paulus: Ecclesia Sponsa Christi; Ecclesia columna & firmamentum veritatis; Ecclesia sancta & immaculata. Subjectum denominationis est Ecclesia, Forma denominans est dignitas Sponsæ, firmitas veritatis, sanctitas. Jam quæritur, utrùm hæ denominationes conveniant

Ecclesiæ

Ecclesiæ visibili, prout docent Catholici; an verò Ecclesiæ invisibili, prout docent Hæretici? haud dubiè conveniunt visibili. quando enim de re aliqua loquimur, loquimur de illa re, prout jam est nota audientibus, prout est omnium sensibus & mentibus obvia; rei in hoc obvio statu sumptæ tribuimus prædicata & formas denominationis, quascunque tribuimus. Si vellemus de re aliqua jam nota loqui secundùm alium statum sumpta, in quo nondum nota est, deberemus monere Auditores aut Lectores. Jam verò evidens est, nihil Christianis primis notius ac magis obvium fuisse, quàm Ecclesiam visibilem seu collectionem omnium fidelium in unam professionem fidei conspirantium. hæc enim collectio significabatur nomine Ecclesiæ in Veteri Testamento, & in novo omnibus aliis textibus non controversis, quomodo ergo fideles de alia Ecclesia cogitare, & formam denominationis ad aliud subjectum referre poterant, quàm ad Ecclesiam visibilem, nisi de alia Ecclesia admonerentur?

2. *Denominatio non potest tribui tali subjecto, cui forma denominationis in statu obvio sumpta non convenit.* v.g. volunt Hæretici, denominationẽ Babylonis, & Meretricis magnę, quę reperitur in Apocalypsi, nulli alteri subjecto convenire, nisi Romanæ Ecclesiæ. Forma denominans ergo est, *Babylon, meretrix magna* Status obvius, in quo objiciuntur menti à Joanne, est, quòd sit *habitatio Dœmonum, & custodia omnis Spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundę. & odibilis &c.* hic obvius status convenitne meliùs Ecclesiæ Romanæ, quàm Reipublicæ Romanæ Gentili? in Ecclesia Romana ejiciuntur ex obsessis corporibus dœmones, prout novissimè ex litteris Missionariorum Malabariæ evidenter de-

mon-

monſtratur, & ex mille aliis Documentis conſtat: hìc ſunt ſtatus religioſi, mortificatio corporis, jejunia, cultus Dei publicus ſolenniſſimus, cultus eorum Sanctorum, qui revera fuerunt amici Dei, ut ſunt B. Virgo, & Apoſtoli, nulla publicè tolerantur laſciva ſpectacula, nulli permittuntur libri contra bonos mores, datur abundantia Doctorum, & Concionatorum ad bonos mores exhortantium, nihil denique occurrit, quod ſit contra pietatem, aut rationem in aliqua hypotheſi poſſibili Religionis veræ poſſibilis. Econtrà in Republica Romana Gentili dœmonia colebantur publicè, adorabantur Dii ſceleſtiſſimi Bacchus, Venus, Mars &c. qui non poterant eſſe amici Dei ſummi; in ſpectaculis publicis omnia erant plena luxuria & homicidiis, in divinationibus erat mera ſuperſtitio, nullibi perſonabant laudes Dei, nullibi Sacerdotes prædicabant reformationem morum. Quis tantus miror nientem occupet, ut non palpet, gentilitati illi Romanæ convenire Babylonis & meretricis magnæ myſterium, non Romanę Eccleſiæ, legum probitate ſanctiſſimæ?

3. *Forma denominationis tribuitur ſubjecto ſub ea ratione, ſub qua omnium facillimè illi poteſt tribui.* 2. Forma denominationis tribuitur ſubjecto ob cauſam notiorem & certiorem. 3. Forma denominationis tribuitur ſubjecto ſub ea ratione, ſub qua ſubjectum ad formam eſt magis diſpoſitum. 4. Forma denominationis ttibuitur ſubjecto ſub ea ratione, ſub qua forma aptior eſt ad ſui receptionem. v. g. Chriſtus dicitur paſſus; ſub ratione tamen naturæ humanæ, non divinæ, quia ſub hac ratione nulla eſt difficultas recipiendi denominationem. 2. Alexander denominatur Magnus, ſub ratione Herois, quia notum eſt, ipſum fuiſſe magnum Heroem; non conſtat ipſum

fuiſſe

fuiſſe magnum ſtatura, aut magnum ſcientia. Itaque cauſa denominationis non eſt ſcientia; aut magnitudo ſtaturæ, ſed magnitudo virtutis bellicæ. 3. Homo denominatur mortalis non ratione animæ, ſed ratione corporis, quia corpus ad corruptionem eſt magis diſpoſitum. 4. Homo dicitur redemptus ratione animæ, quia redemptio magis poteſt recipi in anima, quàm corpore.

4. *Quando denominatio poteſt ſubjecto tribui ratione circumſtantiarum, præſumitur eidem potiùs tribui ratione circumſtantiarum, quàm ratione proprietatum.* quia circumſtantiæ plerumque ſunt notiores proprietatibus. Sic Scipio denominatur Africanus ob everſam Carthaginem; non ob patriam; notior enim eſt illa devaſtatio urbis, quàm patria viri unius.

5. *Univerſim ab eo fit denominatio, quod eſt magis obvium, aut cuivis notabilius.* v. g homo dicitur mortalis à corpore, quia corpus hominibus eſt magis obvium objectum, quàm anima, quæ eſt immortalis.

6. *Toti compoſito tribuitur denominatio ob partem attentioni hominum magis expoſitum; ſive illa pars ſit notior, nobilior, aut ignobilior, parum intereſt.* Sic bonum dicitur ex integra cauſa, malum autem ex quolibet defectu, quia in laudibus attendimus ad ordinem totius, in vituperando ad partes ſingulas; dicitur pulchra domus, elegans homo, modò externa ſpecies pulchra ſit, quamvis intus omnia plena ſint oſſibus mortuorum.

7. *Ob paritatem rationis non datur ſimilis denominatio.* Sic quando in corpore humano una tantùm pars ægra eſt, homo æger dicitur, econtrà quando in Republica aut communitate una tantùm pars impia eſt, non ſtatim Respublica aut commuuitas impia dicitur. Sic integumenta pedum vocamus calceos à calce.

calce. econtrà integumenta manuum non vocamus manubias à manu, ſed chyrothecas. & quamvis calcei ſint etiam thecæ pedum, non tamen vocantur pedothecæ. Itaque in denominationibus arbitrarium eſt hominibus ad quam formam, cauſam, aut paritatem denominantem velint attendere, nec datur una conſtans regula.

7. *Ubi datur actualis denominatio, etiam ſemper debet dari actualis ratio denominationis.* verb. gr. Petrus eſt juſtus. Debet ergò actu dari juſtitia, ob quam denominatur juſtus.

8. Ubi datur nova denominatio, debet dari nova pars. verb. gr. murus de novo denominatur albus. Debet ergo de novo poni in muro albedo, ob quam denominatur albus.

9. *Quando forma denominans poteſt eſſe diſtincta à ſubjecto denominationis, datur communicatio idiomatum, in partibus totius, aliàs non*, v. g. in Chriſto natura humana dicitur eſſe infinitæ dignitatis, & ejus merita dicuntur eſſe infiniti valoris; econtrà naturæ humana in Chriſto non denominatur divina, nec æterna. quia dignitas eſt prædicatum proveniens per reſpectum intrinſecum rei ad formam dignificantem diſtinctam à ſubjecto denominationis. Econtrà divinitas & æternitas ſunt prædicata intrinſeca rei ſine reſpectu ad aliam formam diſtinctam Deificantem, aut æternaliſantem.

10. *Non omne, quod eſt identificatum cum forma denominante, ſemper etiam denominat ſubjectum denominationis.* v.g. Chriſtus dicitur eſſe Deus, & tamen non dicitur, Chriſtus eſt æternus, ſeu ab æterno. Ratio eſt, quia hoc prædicatum, quod eſt eſſe Deum, non poteſt veroſimiliter referri ad naturam humanam; & ideò ſine periculo erroris toti

tribuitur, quòd uni tantùm parti convenit. Si verò Chriſtus diceretur æternus, periculum eſſet, ne ab hominibus hoc prædicatum etiam referretur ad naturam humanam creatam. Itaque dum Chriſtus dicitur Deus, attentio hominum fertur ad naturam divinam unitam humanitati. Econtrà dum negatur Chriſtus eſſe æternus, attentio fertur ad naturam humanam unitam Verbo.

11. *Utrùm forma denominationis ſit intrinſeca vel extrinſeca ſubjecto.* 2. *Utrùm conveniat ſubjecto reduplicative vel denominativè &c. ex natura ſubjecti, & formæ denominantis, & circumſtantiarum aliunde notis deſumi debet.* v. g. ſi dico, *homo juſtus*, eſt denominatio. Lutherani volunt hoc eſſe denominationem extrinſecam, inquantum juſtitia Chriſti imputatur homini; Catholici verò dicunt, juſtitiam hominis eſſe formam inhærentem animæ, quæ & ornet animam, & ſimul habeat reſpectum eſſentialem ad juſtitiam Chriſti tanquam cauſam meritoriam hujus juſtitiæ inhærentis. An verò talis ſit iſta forma, an illo modo, utique ex natura rerum, aut per revelationem ſciri debet. Natura certè rerum favet Catholicis; ſi enim anima, dum videt lucem, dum audit, guſtat, mutatur per aliquid inhærens; cur non ſit mutetur, dum ex filia gehennæ fit filia Dei? De reduplicatione poſſumus habere hoc exemplum. v. g. Lutherani dicunt, quòd ſola fides quatenus eſt fiducia in merita Chriſti juſtificet. Nos Catholici dicimus, quòd etiam per bona opera juſtificemur, & quòd bona opera ſint cauſa juſtificationis, ſed quatenus uniuntur per fidem cum meritis Chriſti. Dicimus opera ſecundùm ſe nihil mereri, quàm parum lignum ſecundùm ſe fulget; ſed ſi lignum deauretur, verum eſt, quòd fulgeat hæc ſella, vel columna lignea. Et ſi opera

per

per intrinſecum ſuum reſpectum ad merita Chriſti, in quibus confidunt per fidem, dignificantur per ea merita, verum eſt, quòd merita fidelium reduplicativè accepta, ut procedentia per fidem fiducialem, juſtificent. Diſcant ergo Hæretici priùs loqui cum Scriptura, Eccleſia, & Theologis. Si aurum ſplendet, & fides juſtificat, etiam lignum per aurum ſplendet, & opera per fidem juſtificant. Dices: ergo ratio juſtificandi eſt fides? Dicimus; omnino ſic eſſe: ſed non ſola fides juſtificat. Petrus laudatur ob virtutem; ratio laudandi eſt ſola virtus; num ergo ſola virtus laudatur & amatur? an non laudatur etiam Petrus propter virtutem? Itaque laudatur Petrus quatenus probus; & opera juſtificant quatenus per fidem confidunt in Chriſto.

12. *Intantùm denominationes inter ſe pugnant, inquantum formę denominationum inter ſe opponuntur.* v. g. murus albus, murus niger, cenſentur denominationes contrariæ, quia formę denominantes, albedo & nigredo inter ſe contrariantur.

§. X.

De ſenſu propoſitionum, quæ important aliquam cauſalitatem.

1. *CAuſa, quæ in Scholaſticis ac Dogmaticis adſcribitur effectui, præſumitur eſſe adæquata, ſufficiens, neceſſariò requiſita, cauſa per ſe, cauſa ſinè qua non, immediata, ac principalis.* quia in Scholaſticis ac Dogmaticis regulatiter quæſtio non ſolet inſtitui de cauſa inſtrumentali, ſecundaria, mediata, inadæquata, cauſa per accidens. verb. g. quæritur in Philoſophia cauſa attractionis magneticæ

cauſa ventorum, fontium, iridis &c. ſemper quæritur cauſa per ſe talis, quæ ex ſua natura ac primariò ordinatur ad talem effectum. Itaque, quandocunque Philoſophus aut Theologus effectui aſſignat cauſam, cenſetur velle aſſignare cauſam per ſe.

2. *Aſſignatio unius cauſæ dubiæ non eſt excluſio alterius cauſæ aliundè certæ ac notæ.* v. g. dicit aliquis; cauſam aſcenſus mercurii in Barometro eſſe gravitatem aeris; per hoc non excludit cauſas univerſales qualis eſt Deus.

3. *Talis præſumitur eſſe cauſæ cujuslibet notio, qualis ſatisfacit fini loquentis, & exſpectationi audientis.* v. g. dicit Chriſtus non potuiſſe aliquando ejici dœmonium *propter incredulitatem veſtram*. Matth. 17. hìc tantùm exſpectabatur cauſa prohibens, & non phyſicè, ſed moraliter impediens. Itaque & particula cauſalis non importat aliam cauſam.

4. *In Jure, quando apponitur cauſa actioni; præſumitur ea eſſe fortiſſima.* quia quivis præſumitur meritum ſuæ cauſæ proponere modo meliore quo poteſt. v. g. contendit aliquis contractum emptionis eſſe nullum, quia læſus eſt ultra dimidium; cenſendum eſt, hanc cauſam eſſe præcipuam.

5. *Quidquid ex parte cauſæ exprimitur, præſumitur eſſe ratio cauſandi.* quia nihil præſumitur impertinenter poni ex parte cauſæ. verb. grat. dicit Scriptura: ipſe (Chriſtus) peccata noſtra portavit; oblatus eſt, quia ipſe voluit. Utrumque ergo cauſa crucifixionis eſt, quia voluit, & quia peccata noſtra portavit. Vel ſic: Nero tyrannus matrem occidit. hìc Nero dicitur eſſe cauſa necis, ſed ſimul cauſa fuiſſe dicitur non delictum occiſi, ſed crudelitas occiſoris.

6. *Quidquid ex parte effectus exprimitur, præ-*

præsumitur pertinere ad rationem formalem effectus. v. g. Deus submersit Pharaonem impœnitentem. ratio submergendi censetur esse obstinatio. Quòd si tamen aliundè constaret, talia adjuncta ex alio fine causæ vel effectui apposita esse, cessat hæc prælumptio.

7. *Quidquid in Scholasticis ac Dogmaticis assignatur per modum medii ac dispositionis ad finem; censetur assignari per modum medii per se requisiti ac propinqui ad finem*. quia in Dogmaticis non solent institui quæstiones de mediis remotis, aut ad libitum talibus. v. g. dicit Juvenis Christo: Quid faciens vitam æternam habebo? Respondit Christus: Vade, & vende omnia, & da pauperibus. exitus monstravit, medium hìc assignatum fuisse hìc & nunc juveni medium necessarium ad finem. Idem est in Dogmaticis, qualia sunt Epistolæ Pauli, quando dicitur; *Hoc fac, & vives*, jam censetur assignatum medium sinè quo non: nisi ex circumstantiis pateat, tantùm fuisse assignatum consilium.

8. *Assignatio unius medii aut dispositionis ad finem non est exclusio alterius medii aut dispositionis aliundè certę & necessariæ*. v. g. dicit Christus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Et tamen alibi dicit solùm: *Qui crediderit*. Et albi dicit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Itaque in uno loco tantùm fit sermo de medio controverso, cætera non controversa supponuntur.

§. II.

De ſenſu propoſitionum, quę importent aliquam paritatem, ſimilitudinem, aut relationem.

1. *IN eo præſumitur fuiſſe inſtituta paritas aut ſimilitudo, quod omnibus notum ac obvium eſt.* v. g. Chriſtus ſe comparat Jonæ exiſtenti tribus diebus in ventre cete piſcis. non tamen propterea ſe comparat cum Jona quoad culpam, nec in cauſa exiſtendi, nec in fine ac exitu, nec in modo exiſtendi, cùm ille vivus, Chriſtus autem mortuus ſub terra fuerit, adeoque paritas non eſt urgenda ultra modum parem, notum, & obvium in utriusque correlativi hiſtoria.

2. *Eousque urgeri poteſt ſimilitudo aut paritas quousque ratio ſimilitudinis aut paritatis facilè potuit loquenti occurrere.* v. g. Chriſtus comparat Deum Judici iniquo, qui nulli facit juſtitiam, propter importunitatem tamen viduę ſuccurrit. Item comparat peccatorem converſum iniquo œconomo, qui debitoribus dimiſit debitum. Clarum eſt, rationem ſimilitudinis & paritatis non eſſe iniquitatem utriusque, ſed modum ſuccurrendi abſtrahendo ab iniquitate cauſæ. tunc enim Chriſtus non cogitavit nec attendit ad iniquitatem perſonæ vel rei, ſed ad modum juvandi.

3. *In eo cenſetur eſſe inſtituta paritas, in quo ſolo ſervit ad finem loquentis.* v. g. Chriſtus comparat regnum cœlorum grano ſinapis, & fermento abſcondito in ſatis farinæ tribus. tunc voluit Chriſtus diſcipulis augere confidentiam, ne abſterrerentur exiguo numero diſcipulorum ſuorum, puſilli gregis.

Itaque

Itaque oſtendit, incrementum ſumpturam Eccleſiam hanc viſibilem, eamque augendam; ut creſcit granum ſinapis, & fermentum totam maſſam fermentat, ſic ramos Eccleſiæ in totum orbem porrigendos, & doctrinam veræ Eccleſiæ tres orbis partes ſubacturam. In aliis verò non comparat Eccleſiam fermento, quòd totam maſſam corrumpit.

4. *Talis præſumitur termino relativo eſſe ſubjecta notio, qualem aliundè pronum eſt conſequi ex diſpoſitione loquentis & audientium.* quia relativa nullam ſervant conſtantem notionem ex natura rei, in qua augeri & minui poſſunt. v. g. dicit Hiſtoricus, Græciam eduxiſſe *magnum* exercitum, hic terminus *magnum* eſt terminus relativus, per quem fit comparatio ad alios exercitus. Quidquid enim magnum eſt, reſpectivè magnum eſt; & exercitus, qui apud Græcos magnus dicebatur, olim in Aſia, & nunc apud Turcas, aut in Gallia diceretur parvus. Itaque ſi velim ſcire, quàm magnus fuerit ille exercitus, aliundè ſcire debeo, quales communiter fuérint Græcorum exercitus, ad quos ſolos reſpicere potuit Hiſtoricus Græciæ. Idem eſt, ſi aliquis dicat: *Ecce hic eſt vir doctiſſimus, vel doctus.* Debeo enim priùs ſcire, an loquens ſit in Italia, Hiſpania, Gallia, an in Turcia vel Moſcovia; an loquens ſit ex plebe, an ſit Theologus, an etiam eruditus? cùm enim omnes termini, qui ſumunt incrementum & decrementum, tacitè ſint relativi ad ſui ſimilia, & qui aliquem doctum nominat, eum comparet ad doctos ſui ingenii, aut ſuæ regionis, clarum eſt, notionem talis termini relativi ſolùm ex diſpoſitione loquentis cognoſci poſſe. Simile eſt, ſi quis dicat, pondus eſſe grave, debeo enim priùs ſcire, an ſit vir robuſtus, an fœmina, an æger, an

puer; quivis enim horum aliud intelligit; dum pondus grave nominat.

5. *Quivis in terminis relativis censetur ad ea respicere, quæ illi obvia ac nota sunt.* Patet ex priore exemplo, quando quis exercitum magnum, virum doctum nominat.

6. *Ubi datur obvia allusionis occasio, præsumitur in propositione subesse allusio.* v. g. dicit Christus de Herode: *Dicite vulpi illi.* Haud improbabile est, Herodem per deputatos invitasse aliquando Christum in aulam suam, prout Joannem invitaverat; sed quia cum Joanne fraudulenter actum, noluit coram illo comparere.

7. *Quando ab eodem authore sæpius repetitur idem comparationis terminus, censetur in eo termino institui & urgeri puritas.* v. g. Christus sæpius comparat Ecclesiam objectis in quibus sunt bona mixta malis, agro in quo triticum permixtum zizaniis, sagenæ missæ in mare, in qua pisces reprobi & electi, decem virginum choro, in quo quinque prudentes, quinque fatuæ. Non igitur dubitandum, Christum studiosè ad hanc permixtionem attendisse, ut ostenderet simile contingere in Ecclesia, nec eam tantùm esse congreationem justorum, ut vult Quesnellus & Hæretici.

§. XII.

De ſenſu univoco, analogo, æquivoco, adæquato, inadæquato, & ſenſu Concretorum.

1. *TAmdiu ſtat pro univocatione verborum præſumptio, quamdiu non probatur iis fuiſſe ſubjecta diverſa notio.* v. gr. quæritur, utrùm Sacramentum de Circumciſione Veteris Teſtamenti, & de Baptiſmo novæ legis ab antiquis Scriptoribus ſumatur univocè, niſi ex aliis circumſtantiis probetur contrarium, præſumendum foret, quòd Scriptores ſub nomine Sacramenti habuerint eandem notionem.

2. *Tanta eſt pro diverſa notione ſub eodem verbo præſumptio, quanta eſt diverſę notionis propinqua occaſio.* quia quod pronum eſt fieri, regulariter fit. v. gr. quæri poſſet, an Scriptura ſemper univocè ſumpſerit *regnum cælorum*. ſi circumſtantias conſideremus, in quibus hic terminus adhibitus fuit, præbetur nobis propinqua occaſio formandi diverſas notiones, ut aliquando ſumatur pro ſtatu Eccleſiæ præſentis temporis, ſeu pro Eccleſia militante: Aliquando autem pro ſtatu Eccleſiæ futuri temporis, ſeu pro Eccleſia triumphante. Dicitur enim aliquando: Adveniat Regnum tuum. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Alibi verò: Pervenit in vos Regnum Dei. Regnum inter vos eſt.

3. *Quando idem objectum diverſis inadæquatis notionibus concipi poteſt, non tollitur vocis univocatio, quamvis à diverſis hominibus eidem voci diverſæ notiones ſubjectæ ſunt.* quia ad univocationem nominis ſolùm requiritur identitas objecti, non omnimoda cõvenientia

notionum. v. g. Imperium Romanum ſub Conſtantino M., ſub Carolo M., ſub Othone I., ſub Rudolfo I., ſub Ludovico Bavaro, ſub Carolo V. ſub Leopoldo I. ſub Carolo VI. ſemper cenſetur eſſe idem Romanum Imperium, quod nunquam interiit; ſed uſque ad finem mundi quartam Monarchiam à Daniele Propheta prædictam conſtituet. Interim tamen quovis ſæculo alia fuit notio, & nunc ab hominibus diverſis, quando loquimur de Romano Imperio, alia longè ponitur notio. Similiter quando Deum, juſtitiam, ſalutem Reipublicæ &c. nominamus, quivis propemodum hujus totius partes concipit, vel aſſequitur.

4. *Quando ex mutatione proprietatum aut partium etiam eſſentialium non tollitur objecti identitas, nec tollitur univocatio nominis.* v. gr. Romanum Imperium eſt aliquod totum ſucceſſivum, cujus non omnes partes ſimul actu exiſtunt. Aliæ fuerunt partes hujus totius ſub Conſtantino M. aliæ ſunt ſub Carolo VI. itaque licèt partes tranſeant, totum tamen manet, & manet nomen, & eadem ratio, ſeu definitio nominis, quamvis ſingulis temporibus videantur aliæ partes eſſentiales totius, nunquam tamen videatur ipſum totum, niſi à ſapientibus, qui comprehendendo Monarchiam Romanam per totum decurſum ſui temporis unam definitionem præbent. Idem eſt de hoc toto ſucceſſivo, quod eſt annus, dies. In die ſuccedunt horæ, ac tranſeunt, totum manet, & univocatio, licèt manè & veſperè aliud eſſentialiter nominem, dum dico: *Nunc eſt dies primus Octobris.*

5. *Quivis præſumitur vi verborum ſolùm reſpicere ad partes & connotata objecti aliunde ſibi obvia.* v. g. dicit aliquis: Roma-

nam

num Imperium est Potentissimum. Incertum quidem est, quas talis Romani Imperii partes animo comprehendat, ad qualia jurà, adjuncta, aut connotata cum aliis Potentiis & Regnis respiciat: illud tamen præsumendum, talem hominem solùm respicere ad ea, quæ juxta eruditionem suam sunt sibi obvia; ut proin priùs dispositio loquentis nota esse debeat, antequam scire possim, qualem habeat notionem de objectis suis, adæquatam, vel inadæquatam.

6. *In verbis, quorum adæquatus sensus difficulter comprehenditur; quivis tantùm præsumitur assequi illum sensum inadæquatum, qui est notior, generalior, ac famosior.* v. g. docet S. Augustinus, neminem justificari sine amore *justitiæ*. Per justitiam intelligit totam latitudinem perfectionis Christianæ. Sed quis dubitet, tot fore diversas notiones inadæquatas hujus justitiæ, quot sunt Auditores, aut Lectores S. Augustini. Idem est, dum loquimur de beatitudine, de amore Dei &c. cùm enim similia objecta involvant multas tendentias, & præparationem ad multos actus v. g. appretiationis, admirationis, prosecutionis, benevolentiæ, desiderii, suavis unionis &c. possunt quidem multi audire nomen amoris, sed non omnes amoris partes animo comprehendere. In similibus ergo objectis, quæ cognoscuntur multarum rerum comprehensione, vix unquam unus ab altero perfectè intelligitur. quia verba tantùm sunt signa conceptuum. non causa; excitant in audiente ideas de objecto aliundè acquisitas, non verò eas producunt de novo. qui non vidit colorem, nescit quid loquar, dum colorem nomino. Si Professor Theologiæ aut Matheseos discipulo aliquot mensium dicat. nunquid Theologia aut Mathesis est pulchra scientia? Discipulus sub

nomine Theologiæ aut Matheſis non aſſequitur adæquatum ſenſum ſui Profeſſoris. Ex quo patet, fortè paucas eſſe propoſitiones, in quibus unus homo alterum perfectè intelligat, niſi fortè circa objecta Mathematica & objecta ſenſuum, quæ modo ſimili, quamvis non ſimillimo, inomnium ſenſus & mentem incidunt.

7. *Concreta explicitè tantùm important formam*. v. g. albus, juſtus, tantùm exprimit albedinem, juſtitiam; non verò exprimit hominem qui eſt juſtus, aut murum, qui eſt albus. Adeoque ſubjectum primum ſignificatur aptitudinaliter, quod ex circumſtantiis determinari debet.

8. *In concretis modus concipiendi alius eſt, quàm modus loquendi*. v. gr. ſi dico: *Anima unita corpori*; vel ſi dicam: *corpus unitum animæ*, vel ſi dicam: *corpus, anima, & unio*. Idem & eodem modo concipio. Idem eſt, ſi dicam: homo eſt *aliquid habens humanitatis*. Vel ſi dicam: homo eſt *res & humanitas*. Vel ſi dico: homo eſt humanitas identificata rei. Idem ſempet concipio. Adeoque utrùm forma importetur in obliquo, an in recto quoad concreta, hoc Interpreti perindè eſt.

§. XIII.

Obſervanda in praxi quoad Interpretationem.

1 NUllus unquam verbis ſenſus tribuendus eſt, niſi poſitivè probari poſſit. quia non ſufficit dicere, *hæc verba poſſunt habere hunc ſenſum, patiuntur hanc ſenſum*; ergo ſumam in hoc ſenſu. hoc, inquam, non ſufficit, ſed debet etiam oſtendi, quòd debeant ſumi in hoc ſenſu, & non poſſint convenienter ſumi in alio ſenſu. Hæc regula bene notanda eſt in omni genere diſputatio-

tationis, ne adhibeamus tales textus, qui in duplici aut triplici ſenſu eadem probabilitate ſumi poſſunt. Exemplum dat Petrus de Soto de Indulgentiis, his verbis: Ut quàm modeſtè loquamur de hac re, & quidem certiſſimè, hoc ante omnia ſtatuamus fundamentum. Etſi de Indulgentiis in ſpeciali nulla habeamus Scripturæ Sacræ teſtimonia, atque primæ Eccleſiæ certa & manifeſta teſtimonia, nihilominus tamen habemus Pontificum Romanorum, & Conciliorum talia & tanta teſtimonia, ut ex eis meritò oſtendatur, ſemper eas in Eccleſia agnitas eſſe, & in uſu habitas. Habemus etiam Eccleſiæ conſenſum, cui ſine hæreſis nota contradici non poteſt. Denique & ex fide, & ex Scriptura tam probabiles rationes, ut meritò illis præter pertinaciam maximam contradici non poſſit; quæ omnia nunc ſingillatim probanda ſunt & explicanda. Primùm igitur, quod dicimus, non eſſe videlicet aperta teſtimonia Scripturarum de Indulgentiis, donamus adverſariis, & admonemus neceſſariò ex eo Catholicos, ut non innitantur nec ad credendum, nec ad diſputandum cum Hæreticis minus certis teſtimoniis, ex quo frequenter fit, ut apud malevolos fides Catholica pateat irriſioni, & ſimpliciores incurrant grave ſcandalum. Poſſemus urgere locum illum, & Petro & Apoſtolis dictum: Quidquid ſolveritis ſuper terram &c. & rurſum illud: Quorum remiſeritis &c & dicere, loca illa univerſaliter eſſe intelligenda, de omni videlicet ſolutione & remiſſione peccatorum vel ſecundùm culpam, vel ſecundùm pœnam; nec poteſt certa ratione huic contradici ſenſui: Sed tamen, ne contentiosè agamus, fatemur, ex eo loco in ſpeciali de ratione indulgentiarum non poſſe

poſſe nos quidquam certò aſſerere. Conſtitutis autem & probatis illis aliundè, verè tunc de eis exponi poteſt. Sed niſi aliundè conſtaret, quoniam multipliciter exponitur, non eſt, cur ex eo loco convincere velimus, adverſarios maximè. Hucuſque Petrus de Soto in Inſtruct. Sacerdotum. de Indulg. lect. 2. fuit Primarius Theologus ſummi Pontificis in Concilio Tridentino. Itaque id univerſim in praxi obſervandum, ne textus, qui patiuntur aliam explicationem, ſumamus pro demonſtratione, & ſi patiuntur æquè probabilem aliam interpretationem, eos nequidem aſſumamus pro argumento. Quod attinet diſputationes contra Hæreticos, contra quos agendum eſt argumentis certis, haud dubiè errant, qui omnes articulos noſtræ Eccleſiæ volunt demonſtrare ex Scriptura. Sufficit, invenire in Scripturis textus, qui veritatem Catholicam ſuſcipiunt; certitudo autem peti debet ex verbo Dei vel antiquitus tradito, vel recenter inſpirato Eccleſiæ.

1. *Quando ex aliquo textu formatur argumentum probabile, non ſolvitur argumentum, dicendo, textum non neceſſariò ſic debere intelligi; eum poſſe aliter explicari, hunc modum loquendi quandoque habere alium ſenſum.* verb. gr. docent Lutherani in remiſſione peccatorum ſimul remitti culpam & pœnam; nos dicimus, Eccleſiam habere jus remittendi culpam, ac reſervandi pœnam; quando hanc poteſtatem illimitatam probamus ex verbis Chriſti: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* In quibus verbis Chriſtus relinquit Eccleſiæ poteſtatem quamcunque exigendi rationabilem conditionem vel confeſſionis, vel ſatisfactionis pro obtinenda abſolu-

ſolutione. Reſpondent, hunc textum & modum loquendi intelligi poſſe, de remiſſione quæ fit per Baptiſmum. Sed peſſima eſt reſponſio ad argumentum. licèt enim hic textus abſolutè poſſit intelligi de illa remiſſione, tamen ſenſus obvius, & circumſtantiæ, & ſubjecta materia præſumptionem faciunt pro ſenſu Romanæ Eccleſiæ, ut monſtrari poteſt per omnes ferè leges hermenevticas. Quæſo, quis dicitur. non baptizando Gentilem, retinere ejus peccata? aut quomodo propriè loquendo homini baptizato remittere quis poteſt peccata poſt Baptiſmum comiſſa per Baptiſmum jam ante octoginta annos ſuſceptum? Itaque non ſolvitur argumentum textus, ex eo quòd abſolutè poſſit alter explicari. Criticus non quærit, quid poſſit fieri, aut dici, ſed quid præſumendum ſit, factum eſſe, aut dictum eſſe.

3. *Quando ex aliquo textu formatur argumentum, cujus ſenſus tantùm probabiliter conſtat; & authoritas ſcriptoris etiam tantùm eſt probabilis, tunc nulla plerumque conficitur probabilitas.* ut oſtenſum eſt Part. 1. §. 3.

4. *Quando propoſitio in ſenſu obvio vera aut falſa eſt, ſimpliciter negari vel affirmari debet.* quando autem propoſitio in ſenſu obvio plures ſenſus recipit, diſtinctio adhiberi debet. v. g. vult Hæreticus probare, Eccleſiam eſſe fallibilem, & dicit ex Pſalmo: *Omnis homo mendax.* clarum eſt, hunc textum poſſe habere ſenſum vi verborum, vi ſubjectæ materiæ, & ex intentione loquentis. Vi verborum extenditur ad omnem hominem, etiam ad Apoſtolos, & Prophetas, & Evangeliſtas, & Moyſen. Ex ſubjecta materia autem ſolùm extenditur ad inconſtantiam omnium hominum in bonis propoſitis. Ex intentione loquentis certè non ex-

ten-

tenditur ad Scriptores Hagiographos, dum actu loquuntur ex dictamine S. Spiritus, aliàs David seipsum, dum hoc scripsit, & Prophetas mendaces dixisset. Itaque, quia triplex sensus in his verbis obvius est, cùm & significatio verborum, & subjecta materia, & intentio loqnentis cuivis obvia sit ac pateat, adhibenda est distinctio, dicendo: Omnis homo non habens assistentiam Spiritus Sancti, est mendax. concedo. eam habens, inquantum eam habet, nego.

5. *Nullus verbis obscuris tribuendus est sensus, & idea, nisi hujus Genealogia demonstrari possit.* v.g. dum dico: *lux, color, sonus &c.* possum demonstrare originem harum idearum, undè mentem, & qua occasione intraverint, nempe per sensus, per oculos conversos ad Solem vel candelam, & objectum illuminatum. Si autem quis dicat, materia prima sine omni actu etiam Metaphysico, qualitas occulta, Patria &c. tamdiu non debeo admittere, latere aliquem sub his nominibus sensum, aut ideam, quamdiu hujus genesin mihi demonstrare non possit. nihil enim est in mente, quòd non habeat originem; origo igitur demonstrari debet, ut redeundo ad eandem originem ille, qui sensum verborum quærit, similem sibi idem ex iisdem causis formare possit. Sic si infans alterum infantem quæreret, quis sit sensus hujus termini; *Vitrum*, haud dubiè alter infans ipsi ostenderet vitrum, & diceret: hoc est *vitrum*, ut eadem ingeneraretur idea, quæ & sibi ex iisdem causis obtigit. Sicut ergo origo idearum & conceptuum de re sensibili est per sensus positos in his vel illis circumstantiis, sic omnium aliorum conceptuum circa objecta intelligibilia origo est in experien-

rientia mentis, poſitæ in hac vel illa circumſtantia cogitationum, quæ & monſtrari poteſt.

6. *Senſus verborum præciſè vi verborum vix unquam certus habetur.* quia verba nimis ſunt ambigua & indifferentia ad hoc, ut ex ſubjecta materia, vel intentione loquentis alium ſenſum recipere poſſint. Itaque non nimis pertinaciter & obſirmata certitudine inſiſtendum eſt textui ex ſola ſignificatione verborum. v. g. Lutherani in præcipuo articulo ſui erroris nempe in Euchariſtia inſiſtunt nudæ ſignificationi hujus termini *panis*, non attendendo ad ſubjectam materiam, nec ad intentionem loquentis. D. Paulus, inquiunt, vocat Euchariſtiam panem, dicens: Quicunque manducaverit *panem hunc &c.* Quàm verò miſerum eſt, inſiſtere nudæ ſignificationi verborum, dum Author ſuam intentionem ſignificationis ipſe explicat, dicens: *Qui enim indignè manducat, judicium manducat non dijudicans corpus Domini*; Ergo panem eundem, quem priùs nominat, nunc corpus ipſiſſimum Domini nominat: & Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*; per particulam demonſtrativam: *Hoc*, utique non aliud demonſtrat, quàm D. Paulus per ſuam particulam demonſtrativam, *Hunc*. Quòd ſi ergo ſenſus evidenter dubius eſt, certitudo haberi debet ex Providentia Dei, curantis, ut ſenſus verus prævaleat, & retineatur in ſua Eccleſia.

7. *In omni diſputatione priùs diſputans conveniat cum adverſario quoad ſenſum quæſtionis, ne fiat Logomachia ſeu lis de nomine.* Talem autem ſubeſſe ſuſpicari tunc licet, quando 1. id, quod negatur, concedatur in aliis terminis ſynonimis. Sic Lutherani negant, bona opera requiri ad juſtificationem; inse-

interim tamen concedunt, me non posse justificari sine bonis operibus, quia non possum habere fidem, seu quòd ipsis perindè est, fiduciam in Christum, nisi servem ejus mandata. 2. Si quis ea impugnet circa quæ aliàs genus humanum convenit. 3. Siquis negat rem facillimam cognitu. 4. Si vir sapiens sententiam manifestè absurdam ac ridiculam propugnet. 5. Si tam negans quàm affirmans aliàs utantur iisdem principiis, iisdem argumentis, ac responsionibus &c. Sic faciunt quidam Hæretici quæstionem de nomine circa confessionem auricularem, dum concedunt, Ecclesiam habuisse à Christo jus, exigendi à pœnitentibus Confessionem distinctam, & tamen negant, Confessionem auricularem esse juris divini, prout definit Tridentinum. Quid enim aliud est, esse juris divini Confessionem, quàm eidem specialiter in ordine ad hanc exigendam pro tempore congruo tribuisse jus & facultatem per potestatem remittendi & retinendi, solvendi & ligandi, quæ tam convenienter sine confessione exerceri non potest. Itaque si Ecclesiæ Romanæ, maximè in Italia semper visum est exigere à pœnitentibus hanc Confessionem eo modo, qui congruebat tempori, cur non concedunt Hæretici, Confessionem semper viguisse quoad substantiam in Ecclesia, esseque juris divini? nempe, quia nolunt loqui cum Ecclesia, à qua impiè divisi sunt.

PARS

PARS IV.

Summa Regularum Criticis modernis familiarium.

§. I.

De Arte Critica, & Regulis Joannis Clerici.

1. CLericus Criticam vocat Artem intelligendorum veterum Scriptorum, & dignoſcendi, quænam eorum genuina ſcripta ſint, quæ ſpuria. Eam in tres partes dividit: in Prima docet, quo ordine legendi veteres Scriptores Latini, Græci, Hebraici. In Secunda tradit Canones de Interpretatione verborum & locutionum. In Tertia docet, quod nos judicium ferre oporteat de antiquorum Scriptorum libris & locis tam genuinis, quàm ſpuriis, tam ſinceris, quàm corruptis.

2. In Parte prima vult 1. lectioni Veterum præmitti ſtudium Geographiæ, Chronologiæ, Conſuetudinum, & Opinionum, ad quas Scriptores veteres ſæpe reſpiciunt. 2. Inter Latinos ab initio legi vult Plautum, Terentium, Phœdrum, Cæſarem, Cornelium Nepotem, Juſtinum, Epiſtolas Ciceronis ad familiares, & ejus Orationes faciliores: tum primùm vult progreſſum fieri ad Poetas. 3. In Græcis poſt nominum declinationes & verborum inflexiones memoriæ mandatas vult legi Polyæni ſtratagemata r Ælianum, Lucianum, Ariſtophanem, Cebetis Thebani tabulas, Dialo-

gos

gos Æſchinis, Xenophontem, Herodotum. Orationes Iſocratis, & Demoſthenis, ac Platonem; tunc primùm Poetas Homerum, Heſiodum, Euripidem. 4. In Hebraicis poſt iteratam à tyronibus deſcriptionem Alphabeti Hebraici, & obiter comprehenſas memoria regulas neglectis anomaliis pronunciationum & conjugationum vult quotidie aliquid legi è Codice ſacro, ex quo ſolo non ſolùm omnes Hebraicæ Grammaticæ ſed & Lexica compoſita ſunt.

3 In Parte ſecunda tradit ſequentes de interpretatione verborum regulas. 1. Linguæ ſibi invicem non ſatis reſpondent. 2. Voces variarum linguarum, quæ planè idem ſignificare videntur, ſibi invicem non reſpondent. 3. Multa videntur in verſionibus emphatica, quæ in ipſis fontibus nullam emphaſin habent. 4. Plurima ſunt vocabula ambigua in omnibus linguis. 5. Significationes vocum earundem nunc ſunt ampliores nunc arctiores. 6. Propria vocum ſignificatio cum tralatitia non eſt confundenda. 7. Multis vocibus ſunt ſubjectæ motiones obſcuræ. 8. Dantur voces, quibus nulla eſt ſubjecta notio. 9. Locutiones ſunt plurimæ in omnibus linguis anomalæ, & parum adcuratæ, quæ nimium urgendæ non ſunt. 10. Impropria locutio non eſt confundenda cum tropica aut figurata locutione. 11. Multa ſunt propter conſtructionem ambigua. 12. Ut probè intelligatur quivis Scriptor, conſuetudines & opiniones ejus popularium tenendæ ſunt. 13. Critico, qui ſcriptorem interpretari aggreditur, debet eſſe nota res, de qua ſcriptor agit. 14. diverſæ ſectæ iisdem ſæpe uſæ ſunt vocabulis ad diverſa prorſus dogmata exprimenda. 15. difficultas intelligendi maxima oritur interdum ex ſtylo rhetorico. In ſecunda ſectione hujus

par-

partis ostendit, universim ambiguæ significationis esse Nomina Notionum simplicium, & compositarum; Nomina substantiarum, & Modorum, Relationum, rerum concretarum, & abstractarum; Nomina Notionum singularium, particularium, & universalium, clararum, obscurarum, adæquatarum, & inadæquatarum.

4. Parte tertia Sect. 1. agit de Origine mendorum & postea leges emendandi subjicit. Originem mendorum repetit ex imperitia dictantis, negligentia scribentis, incuria librariorum, temeritate Criticorum, malitia impostorum, & vetustate Manuscriptorum; dictans fortè litterarum ductus non est assecutus, fortè affines figura litteras miscuit, aut quæpiam omisit, aut verborum situm neglexit, aut malè pronuntiavit, aut glossemata in margine adjecta contextui intulit. Scribens potuit ea, quæ cogitabat, non quæ audiebat, scribere; potuit perperam audire; fortè non est assecutus orthographiam, & antiquiores litteras, aut omisit distinctiones, signa parentheseos, exclamationis, interrogationis, aut abbrevationibus usus est.

Leges emendandi sequentes sunt.

5 1. Siquid mutetur, matationem res ipsa, orationisve series, stylusque scriptoris necessario postulato.

6 2. Omnis emendatio linguæ, ingenio, aut scriptori ac stylo consentanea esto.

7 3. Ratio depravationis, si fieri potest, redditur.

8 4. Nulla emendatio à lectione veterum Codicum nimium recedito.

9 5. Manuscripti Codices non suspecti aliis præferuntor.

10 6. Loco manuscriptorum codicum veterum citationes, ac veteres translationes adhibitis certis cautionibus sunto.

7 De

11 7. De omnibus in notis monere licebo, at nulla, niſi manifeſta aut ex manuſcriptis codicibus hauſta lectio in contextum orationis infertur.

12 8. Conjecturæ omnes modeſtè proponuntor; ſin minus, doctis ludibrium debento.

Sectione 2. ſuppoſitionis aut interpolationis librorum ſequentia indicia ſtatuit.

13 1. Suppoſititii libri indicium eſt, ſi in veteribus codicibus alii tribuatur; cùm nulla ratio eſt, cur ejus habeatur, cujus nomen in editionibus præfert. Interpolati verò, ſi ſit in veteribus codicibus ſine additamento, quod in Recentioribus invenitur.

14 2. Si, quæ ex veteribus ex libro quopiam olim prolata ſunt, ea nunc in libro eadem inſcriptione inſignito deſiderantur, aut alius eſt, aut mutilus. Si aliter leguntur, ſuſpectus ſit oportet. Si omnia inveniantur ſine mutatione, genuinus eſt, niſi aliæ ſint ſuſpicandi rationes.

15 3. Scripta, quorum nulla mentio in priſcis Catologis, quæ nec memorata ſunt ab ullo ſcriptore ſequentium ſæculorum, ut plurimùm aut ficta judicanda ſunt, aut minimùm ſuſpecta habenda.

16 4. Quæ diſerrè ſunt rejecta, aut in dubium revocata ab antiquioribus, ea vix propter Recentiorum authoritatem admitti queunt.

17 5. Liber, in quo dogmata leguntur iis contraria, quæ ſcriptor, cujus nomen præfert, conſtanter defendit: non videtur ejus eſſe, ſi præſertim dogmata ſint alicujus momenti; aut interpolatus eſt.

18 6. Liber, in quo memorantur res aut perſonæ ſcriptore, cujus nomen præfert, recentiores; aut ejus non eſt, aut ab alio eſt auctus.

7. Li-

19 7. Liber indoctus, aut imperitia refertus non poteſt ulla ex parte aut ſaltem totus viro docto tribui, nec fabulis ſcatens viro non inepto, quem conſtat veri amantem fuiſſe, affingi, quamvis in vetuſtis Codicibus eorum nomina præferat.

20 8. Liber, in quo tractantur vel reſpiciuntur controverſiæ natæ poſt tempora ſcriptoris, cui tribuitur; aut in quo deprehenditur ſcriptoris illo recentioris imitatio, ejus non eſt, cujus nomen præfert; aut eſt interpolatus.

21 9. Si ſtylus ſit diverſus à noto aut ſæculi aut ſcriptoris ſtylo; ejus non eſt, quamvis ejus nomen præferat. Si ſit idem, ac ſtylus alius ſcriptoris, hujus liber cenſeri debet, ſi modo nihil obſtet.

22. 10. Vocùbula ſequioris ævi indicant ſcriptorem recentiorem; in translatione verò, ſiquid ſit, quod non conveniat linguę, qua ſcripſiſſe conſtat Authorem, cui liber tribuitur, aut non eſt traslatio, aut eſt interpolata.

23 Hæ igitur ſunt illæ Regulæ, è quibus conſtat ferè tota ars Critica Joannis Clerici: ſingulas Regulas explicat ac probat particularibus exemplis, magna ex parte ſelectis ad impugnandos Romanæ Eccleſiæ ſcriptores, ejuſque dogmata, ob quod decreto S. Cong. Ind. 4. Martii 1709. Indici librorum prohibitorum inſerta eſt.

24 Ut jam, quid de Arte ſentiam, liberè proferam; Judico, in Parte prima potuiſſe præſcribi alium ordinem in legendis ſcriptoribus in Latinis & Græcis: cur enim non præſtet ſeligere libros, quorum objectum juventutem concomitanter ideis ad formandos mores ac aperiendum judicium utilioribus imbueret; parum intereſt,

ſi juvenis addiſcat unum vel alterum terminum minus latinum, quem factus eruditior poterit corrigere; multùm verò nocet, ſi tenero cerebro imprimantur talia objecta ac veſtigia, quorum cum vitiis connexio perpetuò manſura eſt.

25 In Parte ſecunda obſervo, omnès Clerici Regulas hoc ſolùm probare, multorum verborum ſignificationem adcurata Phyſica certitudine ſcire non poſſe? Ad quid autem hæ regulæ me dirigunt in praxi? an ad hoc, ut ſignificationem verborum univerſaliter pro incerta habeam? hæc verò univerſalis incertitudo minimè ſequitur è paucis exemplis à Clerico allatis. An ad hoc, ut tot exemplis admonitus cautiùs retineam aſſenſum, quando ſignificatio verborum certa non eſt? at hoccine eſt tradere Artem interpretandi & intelligendi Veterum ſcripta?

26 Regulæ, quas Clericus in Parte tertia ex aliis Authoribus collegit, aut non procedunt regulariter, ſed tantùm in aliquot particularibus caſibus; aut patiuntur tot explicationes, limitationes, & exceptiones, ut earum uſu & applicatione non videatur tolli ulla difficultas, quod tamen ad omnem bonam Regulam requiritur. Utilis animadverſio ac obſervatio eſt, quæ ſuo tempore mentem manifeſti erroris admonet, aut à manifeſto errore revocat; Regula verò eſt, quæ dubia & difficultates alioquin ſolutu difficiles ſui applicatione facilè diſſolvit. Debet inſuper omnis regula eſſe inſtrumentum artificiale, non omnibus obvium, ac à natura conceſſum; tales enim regulæ forent innumeræ, & fruſtra doctis præſcribuntur, utpote quibus ipſa natura, ingenium, & ſubjecta materia tales regulas facillimè ſuggerit. Num igitur plus ſubſidii ſperandum

dum à Regulis Clerici, quàm à Locis Topicis generalibus Aristotelicis?

§. II.

De Regulis Criticorum circa S. Scripturam.

1. POst Concilium Tridentinum, quod VulgatamHieronymi versionem declaravit authenticam, tres adornatæ sunt vulgati textus correctiones à Romanis Pontificibus, nempè à Sixto 5. Clemente 8. Urbano 8. Regulæ Criticæ quibus Sixtus 5. & Clemens 8. usi sunt, in Bulla Sixti 5. videri possunt. Regulæ Urbani 8. reperiuntur in Præfat. Collat. context. Græci cum 22. Codd. MSS. Romæ 1673.

2 Sed nec his correctionibus contenti moderni Critici urgent non solùm correctionem Vulgatæ, sed etiam novam versionem tam V. quam N. Testamenti. Operi tam vasto innumeris observationibus, & editione Bibliorum Polyglottorum veluti materiam ministrarunt. R. P. Simonius Presbyter Oratorii Berulliani in sua Historia Critica V. T. l. 3. tradit tres sequentes Regulas, quibus versionem obtineri posse sperat omnium perfectissimam.

3 Regula 1. Versio fiat è textu Hebraico, utpote Originali, licèt in pluribus loci corrupto. In hunc finem 1. diversæ hujus textus lectiones notentur in margine, meliore lectione in corpore contextus retenta; nec scrupulosè insistendum textui Masoretico, aut Criticæ veterum Judæorum. 2. Non confundantur diversæ interpretationes cum diversis lectionibus, aut hæ cum erroribus librariorum; & in casu dubii nil statuatur pro certo, sed conjecturæ ratio reddatur. 3. In-

quiratur diligenter, quid pertineat, quid non pertineat ad textum Hebraicum, ut interpreti reliquatur libertas mutandi id, quod textui Hebraico adjectum est, si meliorem sensum invenerit 4. Liberum sit interpreti apponere sæpe alia puncta vocalia, & tribuere ampliorem significationem verbis Hebraicis, quàm Christiani aut Rabbini solent tribuere. 5. Quod dictum est de punctis vocalibus dicatur etiam de accentibus, qui locum tenent virgularum & punctorum, partes discursus distinguentium, quando ex horum mutatione interpreti occurrit melior sensus. 6. Consulantur antiquæ versiones 70. Interpretum, & Vulgata in locis, in quibus textum Hebraicum corrigere poterunt; nec excludatur Exemplare Hebraicum Samaritanum in Pentateuchum, aut versiones Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, aut Commentarii Rabbinorum.

4 Regula 2. Habeatur perfecta cognitio linguæ, è qua versio sit. Cùm autem pleraque verba Hebraica sint æquivoca; 1. Ponatur in corpore versionis ille sensus, qui videbitur melior; reliquis expositionibus in marginem rejectis. 2. Studium linguæ Hebraicæ instituatur alia methodo, quàm quæ traditur in scholis & dictionariis. 3. Ut habeatur perfectior cognitio linguæ, consulantur veteres interpretes Græci, Judæi, Caraitæ seu Textuarii, qui insistunt soli textui, rejectis traditionibus; & Rabbinistæ seu Thalmudici, qui præter textum recipiunt traditiones. His jungi possunt S. Hieronymus, & Masorethæ. 4. Assumantur in subsidium Concordantiæ Bablicæ, maximè Conradi Kirckeri, in quibus uno quasi obtutu cernitur expositio, quam 70. Interpretes tribuunt verbis Hebraicis; & Concordantia Marii de Calasio, in qua cernitur differen-

ferentia inter Vulgatam & 70. Interpretes. 5. Adhibeantur antiquę versiones, ut sciamus, quid approbatione temporum receptum sit ; & peregrinę linguę, ut antiquę versiones cum originali conferri possint.

5 Regula 3. Habeatur perfecta cognitio linguæ, in quam fit translatio Sed 1. hęc cognitio non adstringatur certis subtilitatibus, quarum observantia necesse est obscurum reddi sensum Authoris; modo adhibeantur eæ expressione, quę Originale proximè assequuntur. 2. Interpres non alligetur ordini verborum, qui est in originali; alioquin ob anomaliam linguarum non poterunt vitari æquivocationes. 3. In casu dubii de significatione alicujus verbi de eo debebit lector admoneri in margine. 4. In fine versionis addatur Dictionarium verborum obscurorum & difficilium, nomina animalium, plantarum, lapidum, instrumentorum &c. ipsis Judęis incognitorum post usum linguę Hebraicę. Si verbum fuerit omninò incognitum in corpore versionis retineri debebit verbum Hebraicum textus, conjecturis in Dictionarium rejectis. 5. Adjungantur tabulę Geographicę & Chronologicæ cum explicatione locorum difficilium.

6 Hę Simonii Regulę multas passę sunt censuras, & reverà multis difficulratibus subjectæ sunt, aut enim ea, quę Simonius exigit, non poterunt pręstari ab ullo homine; aut si humano modo præstentur, non poterunt tollere radicem totius incertitudinis, nempe defectum sufficientium documentorum; hoc defectu permanrnte correctio versionis vulgatę solùm niti potest conjecturis, quę licèt quandoque etiam fortes sint, non sufficiunt ad introducendam tanti momenti mutationem circa id,

quod traditum est. Accedit, quòd hæ regulæ tantùm libertatis relinquant interpreti, ut pronum sit, illum, maximè si præjudiciis & erroneis opinionibus imbutus est, nec ulla assistente providentia dirigatur, à sano harum regularum sensu & usum deflectere. Plura affert R. P. Honorè in suis Reflexionibus Criticis.

7 Quod attinet ad expositionem Scripturæ, plures nobis Regulas reliquerunt SS. Patres, præsertim Hieronymus, & Augustinus, qui suas septem regulas de Doct. Christ. non dedignatus est à Donatistis mutuari, omnes has SS. Patrum Regulas in unum collegit, affertque ducentas triginta quatuor. Sixtus Senensis in sua Bibliotheca l. 3. Artem interpretandi scripturam tradidit. Alphonsus Salmeron in suis Prolegomenis affert Canones 150. Alii Interpretes pariter sibi suas Regulas statuerunt, & Recentiores plurima Prolegomena ac Introductiones in scripturam ediderunt; his tamen omnibus parum effectum est, cùm ob universalitatem Regularum in applicatione plerumque interpretes dissentiant. Exempli tantùm loco apponam aliquot Regulas 1717. Parisiis editas, quæ à Collectoribus Trevoltiensibus mirè commendantur. Omnes hæ regulæ attingunt Vetus Testamentum.

8 Prima. In omnibus locis, in quibus Apostoli respexerunt ad Jesum Christum, oportet & nos respicere.

9 Secunda. Oportet semper eos textus referre ad Jesum Christum, in quibus certis characteribus sibi soli convenientibus designatur.

10 Tertia. Quando expressiones S. Scripturæ nimis sunt augustæ pro subjecta materia, quam videntur respicere, referendæ sunt ad objectum magis augustum.

11 Quar-

11 Quarta. Reperiuntur textus, in quibus ſenſus propheticus eſt ſolus immediatus & litteralis ſenſus.

12 Quinta. Promiſſiones, quarum objectum eſt temporale, haberi debent pro figura bonorum ſpiritualium.

13 Sexta. Quando in Scriptura reperiuntur res, quæ ut jacent, non videntur conſentire cum noſtra ratione, aut cum qualitate perſonarum ad eas res perficiendas concurrentium, debemus intelligere latere myſterium.

14 Septima. Reperiuntur in Scriptura adeò ſtupenda, & manifeſtè ſapientia myſterium, ut ſeipſis mentem ultra ſenſum ſimplicem hiſtoricum vocent.

15 Octava. Reperiuntur in Scriptura hiſtoriæ, quarum circumſtantiæ apertè referuntur ad Jeſum Chriſtum, ut ſine dubio eum repræſentent.

16 Nona. Lex, tabernaculum, ſacrificia, ſacerdotium, cæremoniæ Judaicæ ſunt figura Jeſu Chriſti.

17 Decima. Quando applicatio hiſtoriæ aut Prophetiæ ad Jeſum Chriſtum eſt ſimplex, connaturalis, facilis, ac obvia, ita ut omnes partes ad unum ſcopum uniantur ac colligantur; ſtat pro illâ applicatione præſumptio.

18. Undecima. Loca Scripturæ, ubi lex, circumciſio, templum, ſacrificia, ceremoniæ, privilegia ſeminis Abrahamici, habitationis in terra promiſſa & in Jeruſalem non videntur habere ſufficientem finem ac utilitatem, certò nos ducunt ad Jeſum, & juſtitiam Evangelii.

19 Duodecima. Certæ prædictiones Prophetarum ſub iiſdem terminis comprehendunt eventus diverſiſſimos & ab invicem remotiſſimos.

20 Hęc Regulę, utcunque bonæ sint, nil tamen extraordinarii subsidii hactenus incogniti continent; earum probatio dependet à locis Scripturę aliundè controversis; possemus iis carere, nisi in eas temeritas modernorum Criticorum toties impegisset.

§. III.

De Regulis Criticis Studium Conciliorum, Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum concernentibus.

1 R. P. Mabillonius de Studii Monasticis P. 2. C. 5. in lectione Conciliorum tria observari vult. 1. Habeatur Idea generalis rerum, quę in Conciliis observari merentur. 2. Sciatur exactè historia cujusvis Conciliis, occasio, ob quam fuit coactum; hæreses in eo condemnatę, personę illustres assistentes, & successus subsecutus. 3. Subjiciantur singulę Concilii partes, tam eę, quæ dogmata, quàm illæ; quæ disciplinam concernunt, propriis observationibus ac reflexionibus.

2 Idem C. 8. in lectione Patrum novem Regulas præscribit. 1. Aute initium lectionis utile fuerit legere vitam Patris, ut cognoscatur illius ingenium, genius, character, actiones, & tempus, quo vixit. 2. Secernantur ejus genuina operà à dubiis aut suppositis. 3. Distinguantur tempora, quibus quodvis opus compositum est. 4. Quando Pater de eodem objecto locutus est diversimodè, ultimæ ejus opinioni inhærendum est. 5. De mente, ac doctrina Patris judicium potius sumi debet ex illis locis, in

in quibus ex inſtituto examinat materiam, quàm ubi de ea agit incidentr. 6. Non omnia cæcè ac indiſcriminatim recipere convenit, quæ Pater docuit. 7. Quando Pater ſequitur opinionem non communem aliis Patribus, non debet illi adhiberi plena fides, niſi ejus opinio ab Eccleſia ſit conſecrata. Quandocumque verò opinionem tantorum virorum dimittimus, cum reverentia dimittenda eſt. 8. In operibus Polemicis ſolùm attendere oportet ad ſcopum controverſiæ, nec eos ſemper eousque ſequi, quo calore diſputationis nonnumquam abrepti ſunt, 9, Utile fuerit facere Analyſin cujusque tractatus.

3 R. P. Thomaſius presbyter Oratorii in Indiculo Inſtit. Theol. veterum Patrum Romæ 1701. obſervat. 1. Patres uſos eſſe terminis in ſenſu à Scripturis uſitato. 2. Eos ſcribendo tam pro indoctis, quàm pro doctis uſos eſſe modo loquendi vulgari, nec ſollicitos fuiſſe de exacta ſignificatione terminorum. 3. Plerosque Patrum inſtitutos in Philoſophia Platonis uſos eſſe modo loquendi Platonico. 4. Ab iis, qui legere voluerint Patres, deponenda eſſe præjudicia Scholæ.

4 Plures ſimiles obſervationes tradunt alii, quæ tamen videntur plerumque ultrò occurrere parum attentis in ipſo Patrum uſu. Nonnulli etiam regulas de delectu editionum confecerunt; ſed jam conſtat, Pariſienſes ſtudio ac labore Patrum è Congregatione S. Mauri editas reliquis palmam præripere: Editæ enim ſunt à viris doctis, indefeſſis, ad plurima Manuſcripta revifæ ac correctæ, & denique Notis, Scholiis, ac Obſervationibus illuſtratæ.

5 Qui de Locis Theologicis ſcripſerunt, Canones de authoritate Patrum ediderunt; plerique conſenſum Patrum in re dogmatica pro regula infallibili aſſumunt; in caſu, quo Patres ſibi invicem contradicunt, relinquunt cuivis ſentiendi libertatem; in quæſtionibus facti minorem illis fidem tribuunt; antiquores volunt præferri recentioribus &c.

§. IV.

De Regulis Criticorum in Hiſtoriis.

1 Launoyus in ſpeciali tractatu hanc Regulam ſtatuit: Ut nullum factum extraordinarium recipiatur ſine teſtimonio Scriptoris coævi, aut proximè coævi.

2 Idem in Differt. de Supl. Severo tres alias regulas profert de Traditionibus. Prima eſt; ut de eo, quod in traditione poſitum dicitur, diverſis temporibus & locis ſcriptum ſit à pluribus exploratæ fidei viris, qui producantur in teſtes.

3. Secunda. Ut Scriptores illi, niſi verbis omnibus, at certè ſenſu conveniant in teſtimonio, quod de re, quæ accepta per traditionem creditur, perhibent.

4 Tertia. Ut iidem Scriptores ad rei geſtæ originem, quæ veritatis caput eſt, continua ſerie reducantur.

5 R. P. Honorè ex operibus modernorum Criticorum in ordine ad Hiſtoriam varias collegit regulas. 1. Magna debetur veneratio antiquis Scriptoribus Eccleſiaſticis, eorumque teſtimonia cum reverentia recipi debent. 2. Nunquam debemus recedere à teſtimonio Veterum, niſi

eogamur urgentibus rationibus. 3. Testimonia veterum eludi non debent responsis parùm solidis, nec eorum authoritas minui. 4. Non debemus recedere ab authoritate Patrum ex ductu Hæreticorum in quæstionibus facti, maximè quando factum attingit Religionem. 5. Non debemus Scriptoribus Ecclesiasticis affingere opiniones, quas non tenuerunt. 6. Non debemus dissimulare veras authorum opiniones. 7. Authores faventes non nimis extollantur, nec oppositi nimis deprimantur. 8. Idem textus authoris non recipiatur in uno loco, in alio rejiciatur. Nihil his regulis evidentius ac notius.

6 Cùm historiæ nitantur genuinis documentis, etiam de suppositione operum tradendæ erant regulæ. Sculletus è Sixto Sen. Bibl. l. 4. tria suppositionem probare ait: stylum, subjectam materiam, tempus. Mabillonius è quatuor principiis suppositionem operum infert. 1. è manuscriptis. 2. è diversitate styli. 3. è testimonio Authorum. 4. è factis narratis in opere.

7 Author Problematis de S. Dionysii Areopagitæ operibus quinque affert regulas. 1. Quando liber tribuitur Authori ex fide monumentorum incertorum aut evidenter falsorum, habetur ferè infallibile suppositionis signum. 2. Quando liber non potest Authori tribui, quin concedantur multæ inconvenientiæ, habetur signum probabile suppositionis; & si omnes inconvenientiæ sumantur simul, habetur signum moraliter infallibile. 3. Quando Scriptores Apologetici inter se non conveniunt, sed sibi invicem contradicunt in præcipuis capitibus & circumstantiis circa librum & Authorem illius, habetur signum suppositionis. 4.

Quando ex omnibus apologiis ne unica quidem fundat probabilitatem pro authoritate libri defendendi. 5. Quando ex omnibus Apologiis, ſive ſimul, ſive ſeorſim ſumptis non poteſt conſtari unum ſyſtema, quod cum Chronologia Authoris conſentiat.

8. Conjecturæ magnum in Hiſtoricis locum occupant, circa has ſtatuuntur à diverſis ſequentia: 1. Factum ſinè teſtimonio Scriptoris coævi aut proximè coævi recipiendum non eſt. 2. Hiſtoria, cujus teſtimonium repetitur primitus è libro ſuppoſito aut apocrypho, pro falſa aut certè dubia haberi debet. 3. Hiſtoria, in qua reperiuntur res manifeſtè fabuloſæ, habenda pro falſa. 4. Factum, quod repugnat Chronologiæ, aut continet res repugnantes tempori, loco, perſonis, aut hiſtoriis aliundè certis, rejiciendum eſt. 5. Hiſtoria, cujus Scriptores ſibi non conſentiunt, diverſimodè referendo eandem rem, habenda eſt pro fictitia.

9. Arnaldus Diſſert. de Hegeſippo ſequentes leges conſtituit:

1. Quando conſtat aliundè de veritate facti, parùm curari debent objectiones; ſufficiant ſolutiones probabiles, & poſſibiles, quin neceſſe ſit earum rerum veritatem probare, quæ in ſolutionibus afferuntur.

10 2. Quando aliundè non certò conſtat de veritate facti, ad objectiones convenienter cum probatione ſolutionis reſponderi debet: nec ſufficit generatim reſpondere; multas veritates impugnari objectionibus, quæ difficulter ſolvi poſſunt.

11. 3. Id, quod in Jure vocatur Præſumptio, non confundatur cum Veritate. Quando id, quod dico, habet majorem veroſimilitudinem, quàm aſſertio adverſarii, ſtat pro me præſumptio; ſed per hoc non-

dum

dum certum est, veritatem stare ex meis partibus: Hoc solùm refero commodum, ut onus probandi rejiciatur in adversarium.

124. Quando factum nititur testimonio Authoris coævi; & testimonio alterius, qui primùm scripsit post centum annos; præsumptio stat pro authore coævo; nec nisi sinè urgentibus rationibus testimonium posterioris præferri potest.

125. Solis Scriptoribus Canonicis hoc tribuamus, quòd nec falli potuerint, nec fallere. Reliquis Scriptoribus, quantumcunque sanctis & doctis nulla lege fidem debemus. Aug.

126. Quando asseritur quid novum, extraordinarium, parùm credibile, & ab uno solo Authore in loco, in quo manifestè erat; tunc asserenti, non neganti incumbit probatio.

127. Non est credibile, hominem adeò recessisse à regulis rectæ rationis, ut ejus modus agendi sit sinè exemplo nisi insipientium. Si quid tale proin reperitur in historia, non potest non haberi pro fabulosa.

16. Ad demonstrandam certitudinem facti antiqui, ab Anglo quodam requiruntur quatuor sequentes conditiones. 1. Ut factum cadat sub sensus. 2. Sit publicum. 3. Extent monumenta aut cæremoniæ in memoriam facti. 4. Monumenta jam sint erecta tempore facti.

17 Du Pinus circa argumentum negativum, petitum ex silentio Authorum statuit tres sequentes Regulas. 1. Quando integrum opus antiquo adscriptum, reperitur incognitum toti antiquitati. Quando illi, qui conscripserunt catalogum de operibus Authoris, nullam de quopiam opere mentionem

fecerunt; aut quando opus Catholicis favorabile non fuit allegatum ab iis, qui data occasione illud potuissent, & debuissent allegare, probabilissimum est, opus esse suppositicium. 2. Quando opus ab antiquis non fuit allegatum, eoipso redditur dubium, nisi aliundè habeat authentica antiquitatis testimonia. 3. Si verò non habeat talia antiquitatis testimonia; & accedunt conjecturæ contra antiquitatem cum silentio antiquorum, certum est, librum esse suppositum.

18. Idem Hist. Eccles. l. 1. p. 2. C. 5. q. 3. dicit in historia Ecclesiastica consulendos antiquos Scriptores, qui præcipuè veritatem amarunt, & eam per traditionem didicerunt. Quando tales Scriptores omnes inter se conveniunt, historia pro certa haberi debet. Quando historia nititur assertione solùm unius Scriptoris, debet haberi pro verosimili. Quando autem Authores sibi contradicunt, eligi poterit, quod verius videbitur.

19 Nonnumquam moderni recipiunt aut rejiciunt historiam, quòd videatur ipsis conveniens, aut inconveniens, possibilis, aut impossibilis, verosimilis, aut non verosimilis.

20 Quando historia continet aliundè fabulosa, improbabilia, aut non verosimilia, ea communiter à modernis rejicitur,

21 Quando Tituli, Inscriptiones, & Subscriptiones coævæ non conveniunt cum historia, ea à modernis rejicitur; quando verò historia solùm passa est aliquas additiones recentiores, nolunt authoritatem historiæ imminui.

22 Sæpe rejicitur historia ob multas conjecturas simul sumptas. v. g. 1. Quòd non nitatur testimonio Authoris antiqui. Quòd de-

desumpta sit è libris suppositiiis. 3. Quòd contineat fabulosa. 4. Quòd repugnet Chronologiæ. 5. Quòd contineat circumstantias parùm convenientes loco, tempori, & qualitati personarum. 6. Quòd diversimodè narretur à Scriptoribus.

23 Du Pinus pro suprema Regula ponit Judicium æquitatis & prudentiæ, quo ponderantur rationes.

24 Pro discernendis Actis Martyrum ponuntur sequentes regulæ. 1. Acta Martyrum quò sunt succinctiora, & simpliciora, eò sunt meliora. 2. Acta sincera antiquorum Martyrum ordinariè referunt pauca miracula & prodigia. 3. Acta authentica Sanctorum continent paucas Oratiunculas, allocutiones & colloquia. 4 Acta sincera primorum Martyrum non continent multa tormenta extraordinaria. 5. Verba contumeliosa, parùm sanctos decentia, arguunt actorum suppositionem.

25 Quidam insuper suppositionis arguunt ea Acta. 1. In quibus sunt magna promissa à Gentilibus facta iis, qui deserta fide Idola colerent. 2. In quibus fit mentio edictorum contra Christianos sub Imperatoribus Trajano, Antonino, & M. Aurelio. 3. In quibus persecutiones Decii & Valeriani simul junguntur.

26 Denique Tillemontius vult, ut ex lectione Actorum authenticorum quis acquirat gustum discernendi sincera à non sinceris, ad quem acquirendum multùm conducit notitia historiæ, styli, & disciplinæ cujusvis sæculi.

27 Circa omnes has Regulas cum R. P. Honorè observo, pleraque non procedere universaliter, sed ordinariè tantùm, ut proinde solam præsumptionem, non certitudinem pariant.

pariant ; multæ verò ne quidem ordinariè procedunt, quia sæpius fallunt , quàm non fallunt. Revera historiæ plerumque dependent à tot circumstantiis particularibus , ut inutiles fiant regulæ generales , solùm in tot circumstantiis consuli possunt Leges Contingentium ; his solis invenitur , quid regulariter soleat fieri ; quid non soleat fieri ; quid soleat communiter esse conjunctum cum veritate historiæ , quid non soleat esse conjunctum.

§. V.

De Regulis collectis à R. P. Honorè pro Emendatione Artis Criticæ.

1. Circa factum historicum ponit quinque regulas. 1. Exponatur species facti distinctè. 2. Factum probetur testimonio Authorum coævorum , aut proximè coævorum. 3. Testimonia antiquorum non sint desumpta ex operibus suppositis , dubiis , suspectis , aut talibus , ex quibus æquè pro parte opposita testimonia proferri possint. 4. Testimonia antiquorum sint clara , distincta , ac formalia. 5. Factum probetur insuper ratione & conjecturis.

2. Duobus Criticorum principiis Authoritati & Rationi addi vult tertium , nempe Traditionem , ac Praxin Ecclesiæ universalis, quæ semper fundat præsumptionem. Nonnunquam vult etiam attendi ad traditionem Ecclesiæ particularis , Provinciæ , aut Regni.

3. Circa authoritatem Scriptorum Ecclesiasticorum optat confici tabulam Authorum in tres Classes divisam. In Prima sint libri certò genuini. In secunda sint libri certò

sup-

fuppositi. In Tertia sint dubii. Dein statuit regulas sequentes.

4. Prima. Factum celebre & illustre innixum testimonio Authoris coævi, nec continens incredibilia, pro certò haberi debet; debet verò Author esse fide dignus.

5 Secunda. Quando factum non est publicum, nec tamen continet quid fabulosum; sed contigit in provincia Authoris, pro verosimili haberi debet; maximè si traditum sit à testibus oculatis, aut coævis.

6. Tertia. Etsi historia sit à paucis cognita, aliquantum extraordinaria, vestita circumstantiis non omnino incredibilibus, & gesta in terris remotis, non tamen rejici debet sinè probationibus convincentibus, si falsitas talis historiæ à Scriptoribus coævis demonstrari potuisset.

7. Quarta. Testimonium Authoris nimis creduli, assueti fabulis, & exigui judicii non videtur rejiciendum, si testetur se rem gestam vidisse, aut à fide dignis vel coævis accepisse; maximè si res gesta sit publica, & illustris, si nihil contineat, quod non sit verosimile; si contigit in provincia Authoris, nec ejus falsitas aliundè demonstrari possit. Si verò talis Author recenseat facta paucis cognita, parùm probabilia, & in regionibus exteris gesta, sinè examine recipi non debent, licèt Author dicat se testem oculatum, aut rem à fide dignis percepisse.

8. Quinta. Testimonium Authoris antiquioris recentiori, conprovincialis peregrino semper præferri debet.

9. Sexta. Quando Author non addit, ex quo fonte suum testimonium hauserit, ad ejus qualitatem attendi debet.

10. Libros suppositos distinguit in tres

Clas-

Classes: In Prima sunt, qui scatent fabulis; his adimit omnem authoritatem. In Secunda sunt, in quibus sunt immixti errores; nec hos citari consultum ducit. in Tertia sunt, qui nihil erroneum continent; non tamen sunt illius Authoris, quem præferunt, sed alterius. Hos citare fas esto. Si liber apocryphus citetur à Concilio œcumenico, quoad illum saltem textum, qui citatur, obtinebit authoritatem.

11. Ad discernendos gradus authoritatis ponit sequentes regulas. 1. Quando unius testimonio contradicunt plures ejusdem cum illo authoritatis, standum est testimonio plurium. 2. Quando unus vel alter testatur de facto, reliquis tenentibus silentium; tunc asserenti, non silenti credendum est. 3. Quando diversi Authores eandem rem diversimodè referunt, credendum potiùs liberis, nec ulla manifesta passione affectis. 4. Quando diversi Authores sentiunt diversimodè, licèt sequi, quem volueris. 5. Licet eundem Authorem in uno loco recipere, in alio rejicere, quando cogit fortior authorias. 6. Casu, quo conjecturæ æqualiter in utramque partem militant, standum est potiùs testimonio Authoris antiqui, quàm moderni, membri Ecclesiæ, quàm extranei; Patrum & Doctorum Ecclesiæ, quàm aliorum, quibus nulla ab Ecclesiæ defertur veneratio.

12. Ut possimus ferre judicium de qualitate Authoris, vult nos ad quinque conditiones attendere. 1. Ad accurationem, discretionem, soliditatem, & judicium relucens ex operibus. 2. Considerandum, an sit nimis credulus; an ostendat modestiam, ac moderationem, nil asserendo sine examine. 3. Attendendum ad modum se explicandi;

candi, an ſe explicet in terminis formalibus ſine ambiguitate: an fortè non deſtruat in uno loco, quod in alio adſtruit: an loquatur tantùm incidenter, aut rem ex inſtituto examinando. 4. An paſſio, proprium commodum, præjudicia, calor diſputationis &c. nullam ſcribendi occaſionem dederint. 5. An comprehendat materiam; an habeat occaſionem ac diſpoſitionem ad errandum.

13 Pro conjecturis ſequentes gradus probabilitatis affert. 1. Probabilitas facti eò major eſt, quo motiva ſunt magis ſolida ac rationi conformia. 2. Motivum eò conformius eſt rationi, quò à majori numero Doctorum ut tale agnoſcitur. 3. Factum eſt eò probabilius, quando conjectura, cui factum innititur, recipitur à pluribus doctis: hinc iſta probabilitas facti, ſicut & æſtimatio Doctorum, ſucceſſu temporum mutari poteſt. 4. Factum, quod nullo rationabili motivo nititur, pro non probabili haberi poteſt. 5. Ut ſciatur, an motivum ſit rationabile, examinari debet, quid de illo communiter ſentiant Doctores, ac docti; nec ſufficit, quòd quis judicet, id ſuæ propriæ rationi conforme eſſe. 6. Ut factum ſit certò probabile, requiritur, ut motivum ſit poſitivè rationabile; non tantùm negativè, quatenus nil affertur in contrarium. 7. Factum non debet cenſeri probabile, quando pro parte oppoſita ſtat moralis certitudo. 8. Authoritas cedat rationi, quando Docti certi ſunt Authorem erraſſe; quando verò Author non poteſt convinci erroris, nec ei opponitur alia authoritas, ratio cedat authoritati. 9. Quando factum nititur motivo & conjectura rationabili, ejus probabilitas non poteſt reji-ci reſponſis generalibus, dicendo: appa-

rentes

renter rem potuiſſe non contigiſſe; timendum eſſe, ne falſa ſint enarrata; dubitari poſſe, an factum nitatur documentis authenticis &c. Sed requiruntur reſponſa poſitiva, quibus adſtruatur in oppoſitum æqualis probabilitas. 10. Cùm conjecturæ facilè ſint ſubjectæ deceptioni, moderatus Criticus nunquam recedat à via communi, niſi cogatur à veritate.

14 Pro Criterio traditionum proponit regulas Du Pini, quæ potiſſimùm attingunt traditiones Apoſtolicas. 1. Certum ſit, omnes Eccleſias primis ſæculis in puncto traditionis conveniſſe. 2. Antiquos Patres de eo teſtari. 3. Ut nec initium, nec inſtitutio à temporibus Apoſtolorum uſpiam reperiatur. 4. Ut non reperiatur uſus contrarius in ſcriptis antiquorum Patrum.

15 Pro Traditionibus hiſtoricis R. P. Honorè ſequentes tradit regulas:

Prima. Requiritur, ut praxis, vel hiſtoria, quæ proponitur, nil contineat vani, ſuperſtitioſi, inutilis.

16 Secunda. Debet poſſe præſumi, Eccleſiam, Epiſcopos, & primos, qui rem traditam receperunt, eam non recepiſſe ſine fundamento, licèt nobis incognito.

17 Tertia. Examinandum, an ſit locus dubitandi de veritate rei traditæ: Si ſit locus dubitandi, requiruntur probationes claræ, certæ, & evidentes ad demonſtrandam falſitatem rei traditæ.

18 Quarta. Res tradita nil contineat indecens, ridiculum, improbabile, manifeſtè fabuloſum, aut incredibile.

19 Quinta. Traditio nihil contineat repugnans uſui temporum, & qualitati perſonarum, à quibus promanavit traditio.

20 Sexta. Traditio non ſit impugnata ab Authoribus coævis, aut aliis, quorum au-

tho-

thoritas nos de falſitate traditionis perſuadere poſſet.

21 Septima. Obſervandum, an non repetiatur contradictio in ſubſtantia traditionis; an verò ſolùm aliquæ circumſtantiæ cum facto principali non conſentiant.

22 Octava. Requiritur, ut convenienter poſſit reſponderi objectionibus.

23 Nona. Quando traditio non foret in omnibus conformis his regulis, non deberet ſupprimi, ſi ejus ſuppreſſio cauſaret majus ſcandalum, quàm ejus tolerantia.

24 In Tomo Secundo ſuarum Reflexionum Criticarum videtur primas quatuor Regulas paululum immutaſſe: eas enim ſic reddidit. 1. Nulla Traditio ſine convenienti probatione recipiatur. 2. Piæ opiniones nil contineant fabuloſi, ridiculi, impoſſibilis, ſuperſtitioſi. 3. Rationabiliter præſumi poteſt Eccleſiam, Epiſcopos, & alios, qui primitùs pias traditiones receperunt, id non ſine fundamento feciſſe, licèt nobis incognito. 4. Examinandum, an ſit locus dubitandi de veritate facti; ſed ut liceat dubitare de traditione jam recepta, requiruntur claræ probationes, quibus demonſtretur ejus falſitas. Factum nunquam debet credi ex eo præcisè, quod poſſit eſſe verum; neque etiam debet propterea revocari in dubium, quòd poſſit eſſe falſum.

25 En Regulas Criticæ emendatæ! at fortè etiam hæ aut ſunt in omnem partem nimis verſatiles, aut certè non ſatisfaciunt illorum Criticorum deſiderio, qui cupiunt, maximè in Hiſtoria Eccleſiaſtica, poſteritati ſolùm documenta authentica relinquere. Cùm enim multæ traditiones falſæ eoſdem veritatis characteres habeant, quos habent aliquæ traditiones veræ; non poterunt hæ retineri, quin retineantur illæ; nec illæ poterunt

runt rejici, quin rejiciantur iſtæ. Critici, qui nullam hiſtoriam aut traditionem ſine charactere evidentiæ recipere volunt, ne cogantur cum aliis traditionibus ſolùm probabilibus veris etiam recipere multas falſas æquè nonnumquam probabiles, rejiciendas veras cum falſis exiſtimant, quando diſcerni non poſſunt. R. P. Honorè videtur ſuis regulis efficere, ut cum traditionibus probabilibus veris neceſſariò retineantur multæ falſæ. Utrùm horum Eccleſiæ optabilius futurum ſit, ſolius Eccleſiæ judicio relinquam.

§. VI.

Regulæ de antiquitate librorum & Manuſcriptorum.

1. Libri impreſſi nulli reperiuntur ante annum 1450. quia ante illum annum nondum inventa erat ars Typographica. Reperi quidem in Bibliothecæ Reipublicæ Auguſtanæ Codicem impreſſum, cui ab inventore artis Typographicæ appreſſus eſt annus 1440. ſed conjicio, id vel luſum eſſe manus ſecundæ; vel inventorem, eo denotare voluiſſe, ſe jam anno 1440. habuiſſe prima conſilia excolendi hanc artem. Addo, inter libros impreſſos paucos omnino reperiri inſignitos anno, ante annum 1470.

2. Codices Manuſcripti papyracei nulli omnino reperiuntur ante annum 1350. & paucissimi tantùm ante annum 1400. Inter plura talium Manuſcriptorum millia, quæ luſtravi vix viginti reperi ſcriptos ante annum 1400. ultimum ac vetuſtiſſimum vidi Ratisbonæ in Bibliotheca PP. Dominicanorum, quod habuit annum 1368. & ex Archivio

Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Petrum Monachii vidi Schedulam papyraceam scriptam anno 1357. Ex hoc colligo, papyrum communiter nunc usitatem ante annum 1350. nondum fuisse inventam. Addo, papyrum ab anno 1350. usque ad annum 1400. ex ipsa forma prodere suam antiquitatem, ut à peritis facile discerni possit. Est enim densa, crassa, & perpetuis surculis instar linearum distincta; hi surculi communiter non ampliùs reperiuntur post annum 1400. ex hoc enim tempore facta est planior, quamvis æquè densa crassa ac priùs.

3. Manuscripta, in quibus supra jota reperiuntur puncta, præsumuntur esse scripta sæculo decimo quinto, quia ante annum 1400. nulla talia reperiuntur puncta, sed tantùm virgulæ longiores, hoc modo: *ìnimìcus*. Imò verò initio sæculi 15. solebant poni tantùm contractiores virgulæ, ac dein circa annum 1420. usque 1450. immiscери lineolis puncta; donec tandem circa annum 1460. mera puncta fieri consueverint.

4. Manuscripta, in quibus supra jota reperiuntur virgulæ seu lineolæ, non præsumuntur esse scripta ante annum 1250. seu medium sæculi decimi tertii; quia nullum reperi Codicem antea scriptum similibus virgulis insignitum. Ante annum enim 1250. supra jota nec puncta ponebantur, nec virgulæ, sed nihil prorsus, post annum 1250. usque ad annum 1300. non nunquàm reperiuntur tales virgulæ, sed raræ tamen, sic ut librarii tria aut quatuor jota sine virgula transierint, donec iterùm unum insignierint.

5. Codices Manuscripti, in quibus sunt frequentes abbreviationes, non præsumun-

tur

rur esse scripti ante sæculum 15. quia hic modus scribendi primùm invaluit, postquam papyrus cœpit fieri communior.

6. Codices sæculi 13. & 12. sæculi sunt tenuis calami, & elegantis characteris; sed Codices sæculi 11. & 10. sunt crassioris calami plerumque.

7. Codices sæculi 9. & 8. habent litteras alphabeticas formæ crassæ, & flammeæ; ubi videlicet ductus non sunt recti, sed irregulares, & valdè crassi.

Plura dabit experientia, & ortographia temporum.

PARS V.

Principia, & exempla Artis Criticæ ex SS. Patribus.

§. I.

Regulæ Generales.

1 *Nihil temerè sine prævio examine admittendum est*; id est, nihil credendum est absque ratione, aut authoritate sufficiente. Tertullianus L. 5. adversus Marcionem. C. 1. Nihil interim credam, nisi nihil temerè credendum. Temerè porrò creditur, quod sine originis agnitione creditur. Quamobrem Pontice, edas nobis velim, quo symbolo susceperis, Apostolum, Paulum quem in Albo Apostolorum apud Evangelistas non deprehendo? quis illum tituli charactere percusserit, quis transmiserit tibi? ipse se, inquit, Apostolum est professus. Planè profiteri semetipsum quivis potest. Verùm professio ejus alterius authoritate conficitur: alius scri-

ſcribit, alius ſubſcribit, alius obſignat, alius actis refert. Nemo ſibi Profeſſor & teſtis, quæ credis eſt probatio. S. Ambroſius L. 3. Epiſt. 19. loquens de Hæreticis ad fidem converſis, ait: difficile imbuti animi infidelitatis venenis abolere poſſunt impietatis ſuæ glutinum; ſi tamen in iis virus infauſtum inoleverit: nec facilè iis credendum putes, nervi enim ſunt, & quidam artus ſapientiæ, non temerè credere, maximè in cauſa fidei. Huc pertinet, quod D. Auguſtinus refert, nec improbat Juliani Pelagiani dictum: Non numerandas, ſed ponderandas eſſe ſententias; nec ad aliquid inveniendum quidquam multitudinem prodeſſe cœcorum. L. 2. cont. Jul. Gregorius Nyſſenus laudat Harmonium Epiſcopum, quòd nihil à ſe dictum abſque excuſſione, atque examinatione admiſerit. Ep. ad Harm. Similiter D. Hieronymus laudans Paulam Romanam ait: Cùm Romæ eſſem, nunquam tam faſtina me vidit, ut non de ſcripturis aliquid interrogaret. Neque verò more Pythagorico quidquid reſponderam, rectum putabat, nec ſine ratione præjudicata apud eam valebat authoritas, ſed examinabat omnia, & ſagaci mente univerſa penſabat, ut me ſentirem non tam diſcipulam habere, quàm judicem. In Proœm. Epiſt. ad Gal. Econtrà Lactantius l. 5. Inſtit. C. 20. Gentiles reprehendens dicit: Inhærentes perſuaſioni vulgari libenter errant; & ſtultitiæ ſuæ favent, à quibus ſi perſuaſionis ſuæ rationem requiras, nullam poſſunt reddere, ſed ad majorum judicia confugiunt, quòd illi ſapientes fuerint, illi probaverint, illi ſcierint, quid eſſet optimum; ſeque ipſos ſenſibus ſpoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt.

Regula 2. Nihil in re dubia aſſerendum eſt.

Hic-

Hieronymus Epiſt. 122. ad Vitalem. In rebus obſcuris diverſas ponimus opiniones. Idem in C. 12. Danielis, nolens quemquam inſiſtere expoſitionibus Scripturæ dubiis ait: dimittat dubia, & in manifeſtis hæreat. Idem in C. 2. Oſee. Prudens lector attendat, ut ſi non veritatem, quod difficillimum eſt, ſaltem ſuſpicionem veroſimilium inveſtigare valeamus. S. Auguſtinus in Enchiridio C. 56. Quis explicet, cum qualibus corporibus apparuerint Angeli. Cùm iſta quæruntur, & ea, ſicut quiſque poteſt, conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, ſi adhibeatur diſceptatio moderata, & abſit error opinantium ſe ſcire, quod neſciunt, quid enim opus eſt, ut hæc atque hujuſmodi affirmentur vel negentur, vel definiantur cum diſcrimine, quando ſine crimine neſciuntur? Idem l. 7. C. 1. de Geneſi ad litt. Rectè eſt autem veraciter atque congruenter, nihil audaciter refellendo, nihil temerè affirmando, dum adhuc dubium eſt, verum falſumve ſit, ſive fidei, ſive ſcientiæ Chriſtianæ: quòd autem doceri poteſt vel rerum ratione apertiſſima, vel ſcripturarum authoritate certiſſima, ſine cunctatione aſſerendo, Et C. 28. Cætera, quæ in hoc libro diſputando locutus ſum, ad hoc valeant legenti, ut aut noverit, quemadmodum ſine affirmandi temeritate quærenda ſint, quæ non apertè ſcriptura loquitur; aut ſi ei iſte quærendi modus non placet, quemadmodum ipſe quæſiverim ſciat, ut ſi me poteſt docere, non abnuat, ſi autem non poteſt, à quo ambo diſcamus, mecum requirat. Et l. 8. C. 5. Erunt, qui ipſam omnino animam eſſe corpoream pronuntiare non dubitent, cum quibus ego de tam magna quæſtione nulla temeritate confligo. Melius eſt enim dubitare de occultis, quàm liti-

litigare de incertis. Et l. 12. C. 1. Undecim libris sive esserendo atque defendendo, quæ certa nobis sunt, sive inquirendo & ambigendo de incertis disseruimus, non tam præscribentes in rebus obscuris unicuique quid sentiat, quàm nos docendos, in quibus dubitavimus, ostendentes, temeritatemque affirmandi amoventes à lectore, ubi non valuimus præbere sententiæ firmitatem.

Cyrillus Alexandrinus contra Anthropomorphitas C. 2. Subtiles hujusmodi, neque admodum tritæ quæstiones non tam demonstratione dogmatica, quàm dubitatione & discussione conjecturali indigent; neque committendum est, ut sermo in ea, quæ parum consentanea sunt, prolabatur, aut à veritate aberret. Scriptum est enim: Quærens quære, & juxta me habita. Quòd verò ipsa Sacra Scriptura apertè non dixit, quo pacto quisquam apertè declararit? cujus generis censeo esse, quod scriptum est: Fecit Deus cœlum & terram. Quod fecerit, Scriptura dicit, & fide complectimur: quomodo autem cœlum fecerit; curiosiùs indagare, noxa non vacat. Altioribus enim & abditioribus mentem immergere non oportet. Quæcunque igitur Sacra Scriptura apertè non dicit, latere oportet, & silentio præterire. Si autem ratiocinatione & conjectura ad veritatem contendendum est, dicimus, &c. Theodoretus quæst. 60. in Genesin. Quidam dicunt, ab Heber Hebraicam linguam dictam esse. Ego verò puto, ex eo Hebræos dictos esse, quòd Abraham Euphratem pertransiit; Hebra enim idem Syrorum lingua dicitur quod Euphrates. Sed de hoc contendere superfluum est; nullum enim ex verbo pietati detrimentum accedit, sive hoc, sive illud recipiamus.

Regula 3. Dubia semper tanquam dubia.

proponenda ac recipienda ſunt. Hanc regulam conſtanter eo modo, quo Criticum decet, obſervat Epiphanius. Hæreſi 27. fatetur, ſe id, quod de quadam Marcellina narrat, tantùm habere ex fama. Idem fatetur hær. 28. de Merinthianorum appellatione. Hær. 29. ait: Nazaræi poſt hos ſequuntur, qui ſimul cum illis fuerunt, aut etiam ante ipſos. neque enim exactè dicere poſſum, qui alteri ſucceſſerint. Hær. 30. Hic puer fortaſſis, ut puto, Judas vocabatur; non tamen certò ſcio propter tempus. Hær. 31. Ad nos per auditum fama quædam pervenit; quare non præteribimus, ut ne etiam hujus natalem locum indicemus. In ambiguo quidem eſt, an vera dicturi ſimus; tamen famam ad nos perlatam ſilentio non præteribimus. Dicunt enim ipſum fuiſſe Phrebonitem. Hæc. 39. Arbitror me in Ægypto in hanc hæreſin incidiſſe: non enim exactè memini regionis, in quo cum ipſis congreſſus ſum.

Regula 4. *In quovis doctrinæ ſyſtemate tantùm opus eſt examinari ac probari primaria doctrinæ capita, reliqua recipienda ſunt ſub ſpe paris certitudinis.*

Regula 5. *Ab initio credendum, quos quis probat, peritis ſub ſpe ſcientiæ.* Euſebius l. 1. præparat. evang. C. 5. Quid attinet hoc loco pluribus id conari, ut non inconſideratæ cuidam ac temerariæ fidei, ſed conſilii, utilitatiſque plenis rationibus, quæque veræ pietatis formam atque inſtitutum complectantur, nos ipſos addixiſſe oſtendamus. Equidem univerſos, qui vim ac momenta rationum aſſequi poſſunt, adhortamur, ut, quas accipiunt dogmatum noſtrorum demonſtrationes, attentiùs ac ſubtiliùs examinent. Sed quoniam omnium ea facultas & ſolertia non eſt, & tam amans ſit hominum Deus, ut neminem repudiet, ſed cuilibet ſanando

con-

congruam adhibeat medicinam, adeoque imperitos & idiotas ad leviorem curationis rationem invitet, mulieres, pueros, vulgariumque hominum multitudinem manuducentes, ſanam fidem tanquam medicamentum adhibemus, iiſque cogitationem de Divina Providentia, immortalitate animarum, & vitæ norma cogitationem inſerimus? Quid autem? an non eos etiam videmus, qui curandis corporum ægrotationibus operam ſcienter navant, quæcunque ad exquiſitam Medicinæ artis cognitionem pertinent, longo uſu atque multa doctrina perdiſcere, omniaque ratione tractare. Qui verò ad eoſdem curandæ gratia valetudinis acceſſerint, illos fidei cuidam exituſque lætioris exſpectationi ſeſe ita permittere, ut cùm ex iſtius ſcientiæ præceptis intelligere accuratè nihil poſſint, ſola ſpe ac fide ſalventur. Ac peritiſſimus quidem Medicus in medium prodiens, quid aut cavere aut facere oporteat, ſic tanquam princeps ac dominus aliquis ſcienter præcipit. Ægrotus autem ipſi perinde ac Regi, & Legislatori obſequitur, quòd ſibi, quidquid ab eo præceptum fuerit, utile quoque futurum putet. Ita diſcipuli cujuſvis doctrinæ præcepta à magiſtris excipiunt, quod ab illis didicerint, id ſibi expedire rati. Immò verò ne ipſius quidem Philoſophiæ partem ullam quiſquam attingeret, niſi ejus profeſſionem uſui antè ſibi fore crederet. Atque ita factum videmus, ut alius ad Platonis, alius ad Ariſtotelis, vel Stoicorum diſciplinam conferret, ſic ut ſinguli quidquid probarent, id fide quadam, ſpeque meliori tanquam ſibi profuturum amarent, atque retinerent. Sic artes eas, quæ media nominantur, homines perſecuti ſunt; & alii quidem militari rei ſe dedere, mercaturam alii factitare maluerunt, ea nimirum fide & perſuaſione multò antè adducti.

quòd ejúſmodi vitæ ratio plurimùm ſibi ad eã tuendam opis eſſet allatura. Quid aliud manibus oculiſque tenemus, quàm vitam hominum univerſam ex duabus hiſce rebus ſpe nimirum fideque ſuſpenſam teneri? quid ergo cauſæ eſt, quòd adeò mireris, quibus non vacat omnia ſigillatim ac ſubtiliùs addiſcere, illis Divina hæc fidei manu tradi; aliis verò licere ipſas etiam inveſtigare rationes, & eorum, quæ aſſeruntur, demonſtratione indagare? S. Hilarius l. 1. de Trinit. Hanc Divini Sacramenti doctrinam mens læta ſuſcepit, & hæc omnia ultra humanæ intelligentiæ ſenſum metiens Dei virtutes non ſenſu, ſed fidei infinitate pendebat, ut Deum in principio apud Deum eſſe, & Verbum carnem factum eſſe non idcirco non crederet, quia non intelligeret, ſed idcirco meminiſſe ſe intelligere poſſe, ſi crederet. S. Auguſtinus l. de quantitate animæ C. 7. Hoc initio te admonui, ut patienter ferres circuitum noſtrum, non levis res quæ quæritur, non facilis ad cognoſcendum. Aliud eſt enim, cùm authoritati credimus, aliud cùm rationi. Authoritati credere magnum compendium eſt, & nullus labor. Quòd ſi te delectat, poteris multa legere, quæ magni & divini viri de his rebus neceſſaria imperitioribus locuti ſunt, crediqũe ſibi voluerunt ab iis, quorum animis vel tardioribus, vel implicatioribus aliàs ſalus eſſe non poterit. tales enim homines, quorum profecto maxima multitudo eſt, ſi ratione velint verum deprehendere, ſimilitudinibus rationum facillimè decipiuntur, & in varias noxiaſque opiniones ita labuntur, ut emergere indè ac liberari aut nunquam aut ægerrimè queant. His ergo utiliſſimum eſt, excellentiſſimæ authoritati credere, & ſecundùm hoc agere vitam. Quòd ſi tutius putas, non ſolùm nihil reſiſto, ſed etiam

mul-

multum approbo. Si autem cupiditatem istam refrœnare non potes, qua tibi persuasisti, ratione pervenire ad veritatem, multi & longi circuitus tibi tolerandi sunt, ut non ratio te adducat, nisi ea, quæ sola ratio dicenda est, id est, vera ratio, & non solùm vera, sed ita certa, & ab omni similitudine falsitatis aliena, si tamen ullo modo hæc ab homine inveniri potest, ut nullæ disputationes falsæ, aut verisimiles ab ea te possint traducere.

Regula 6. *Nec ratio certæ authoritati, ac claro textui, nec authoritas certæ rationi objicienda est.* S. Augustinus Epist. 7. ad Marcellinum. Quia hoc me facere compellit de animæ exortu caliginosissimæ quæstionis obscuritas, manum potiùs porrigant confitenti, & quidquid illud est, nosse cupienti, & doceant, si possunt, vel ostendant, si quid de hac re vel certa ratione didicerunt, vel apertissimo divino eloquio crediderunt. *Si* enim ratio contra Divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine: nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ, certæque rationi velut Scripturarum Sanctarum objicitur authoritas, non intelligit, qui hoc facit, & non Sctipturarum illarum sensum, quem non intelligit, sed suum potiùs objicit veritati.

Regula 7. *Ratio est omni humanæ authoritati præferenda.* S. Augustinus l. 5. de Musica C. 5. Id ego quoque rectissimum judico, sed non facilè ista populo persuadentur: tanta est enim vis consuetudinis, ut ea inveterata, si falsa opinione genita est, nihil sit inimicitius veritati. Pudet imbecillitatis, cum rationi roborandæ hominum authoritas quæritur, cū ipsius rationis ac veritatis authoritate, quę profecto est omni homine melior,

nihil deberet esse præstantius. Agit hìc de metro versuum.

Regula 8. *Ratio etiam exemplis anteponenda est.* S. Augustinus l. 1. de Civit. C. 23. At enim multi se interemerunt, ne in manus hostium pervenirent. Non modò quærimus, utrùm sit factum, sed utrùm fuerit faciendum. Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem & exempla concordant, sed illa, quæ tantò digniora sunt imitatione, quantò excellentiora pietate.

Regula 9. *Certa non debent impugnari per incerta.* Irenæus l. 2. cont. Hæreses C. 46. Cùm universæ Scripturæ & Propheticæ & Evangelicæ in aperto & sine ambiguitate ab omnibus audiri possint, ac prædicent unum Deum; valde hebetes apparebunt, qui ad tam lucidam adapertionem cæcutiunt oculos; & nolunt videre lumen prædicationis, sed per tenebrosas parabolarum absolutiones unusquisque eorum putat proprium invenisse Deum. quia enim de ipsorum, qui contraria sentiunt, Deo nihil apertè in Scriptura dictum est, dicunt hæc in absconso docuisse Salvatorem discipulos per ænigmata & parabolas. Dicunt alium esse, qui prædicatur Deus, & alium Patrem, qui per parabolas & ænigmata significatur Pater. Quia autem parabolæ multas possunt recipere absolutiones, ex ipsis de inquisitione Dei affirmare, derelinquentes quod certum & indubitatum & verum est, valdè præcipitantium se in periculum & irrationabilium esse, quis non confitebitur?

Regula 10. *Dubia non tolluntur per aliud dubium.* Irenæus l. 2. cont. hær. C. 10. Omnis quæstio non per aliud, quod quæritur, habebit resolutionem; nec ambiguitas per aliam ambiguitatem solvetur apud eos, qui sensum ha-

habent, aut ænigmata per aliud majus ænigma: sed ea, quæ sunt talia, ex manifestis & consonantibus, & claris accipiunt absolutiones.

Regula 11. *Omne argumentum probabile sumitur à communiter contingentibus.*

Regula 12. *Contingentia in innumeris circumstantiis non procedunt uniformiter.*

Regula 13. *Quæ igitur uniformiter ac congruenter in unum systema incidunt, non casu sic congruunt, sed providentia.* Tertullianus de Præscript. C. 28. Ecquid verosimile est, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum. Origenes l. 2. de principiis. Qui futuros mundos per omnia huic nostro paresac similes volunt, nescio, quibus id possint asserere documentis. si enim similis per omnia mundus dicitur, erit, ut iterùm Adam & Eva eadem faciant, quæ fecerunt; idem iterùm erit diluvium, & Moyses iterùm sexcenta hominum millia ex Ægypto educet &c. quod non puto aliqua ratione posse firmari, si arbitrii libertate aguntur animæ. Tale enim est, quod ab ipsis dicitur, ut siquis velit asserere, quod frumenti medimnum, si profundatur in terram, potest fieri, ut penitus iidem & indiscreti secundò accidant granorum casus, ita ut unumquodque granorum juxta profusum jaceat secundò, quo primò aliquando dejectum est, & eodem ordine. Quod innumerabilibus medimni granis prorsus impossibile est accidere, etiamsi per diversa sæcula indesinenter ac jugiter effundantur. Ita ergo impossibile mihi videtur, eodem ordine, iisdemque modis nascentium, & morientium, & agentium quid secundò posse reparari. Eusebius

l. 3. demonſt. Evang. n. 7. Quam probabilitatem habeat, Apoſtolos tam ſalutarium documentorum auditores, ac potiùs jam magiſtros effectos ſuſpicari mentitos, quæcunque ſuum præceptorem effeciſſe teſtificati ſunt? aut quàm credibile, ſi putent, illos omnes ſibi inter ſe conſenſiſſe in mendacio, duodecim quidem de omni numero electos, Septuaginta autem reliquos: nulla unquam afferetur ratio, quare tantæ multitudini hominum credendum non ſit, qui quidem religioſam gravemque vitam amplexi ſint, reſque ſuas ſpernati concors teſtimonium tanquam uno ore in omnes homines de Magiſtro protulerint. Lactantius l. 2. Inſtit. C. 5. Ex hoc apparet ſydera Deos non eſſe, quod exorbitare illis à præſtitutis itineribus non licet. Cæterùm ſi dii eſſent, huc atque illuc paſſim ſine ulla neceſſitate ferrentur, ſicut animantes in terra, quorum quia liberæ ſunt voluntates, huc atque illuc vagantur, ut libet, & quo quemque duxerit, eò feruntur. Non eſt igitur aſtrorum motus voluntarius, ſed neceſſarius, quia præſtitutis legibus, officiiſque ſerviunt. Irenæus ex eo, quia omnia Prophetarum vaticinia in Chriſto contingenter concurrunt, probat, ea de Chriſto facta eſſe. l. 4. cont. hær. C. 67. Unde poterant Prophetæ prædicere omnia, quæ à Chriſto facta ſunt, ſi ab altero Deo inſpirationem acceperunt. Caſu quodam hæc eveniſſe non poteſtis dicere, tanquam à Propheris de altero quodam dicta, ſimiliter autem Domino evenerunt. Nam argumenta, quæ prædicta ſunt, in nullo alio facta ſunt. Non igitur de altero, ſed de Domino, in quem concurrerunt omnia prædicta ſigna, dicebant Prophetæ. S. Auguſtinus Ep. 3. ad Voluſianum ex eo, quòd omnes partes fidei contingenter ac tam mirabiliter conſpirent, probat ve-

ritatem fidei. Quem non moveat, inquit, ad credendum tantus ab initio ipse rerum gestarum ordo, & ipsa connexio temporum, præteritis fidem de præsentibus faciens, priora posterioribus, & recentioribus antiqua confirmans. Complentur in Christo omnia præconia Prophetarum.

Regula 14. *Quod pronum est fieri, plerumque fit.* S. Hieronymus l. 1. contra Pelagianos. C. 9. Asseris, posse hominem sine peccato esse, & ut hoc verum dixisse videaris, statim adjungis, & Dei mandata facilè custodire, si velit, quæ aut rarus aut nullus implevit. Si enim facilia sunt, debent à pluribus custodiri; sin autem, concedamus tibi, rarus quisquam ea implere potest, manifestum est, esse difficile, quod rarum est. S. Chrysostomus in Epist. ad Ephes. C. 1. hom. 2. Quid quæso est difficilius, quid injucundius, noctes obire vigilantem, & muros persodere, & in tenebris ambulare, & animam habere in manibus, & instructum esse ad cædem, & tremere, & mori metu; an quotidianis operam dare laboribus, & in tuto esse cum securitate? hoc est facile, & quia hoc est facile, plures hoc faciunt, quàm illud. Idem hom. 66. de fato & Providentia. Qui in deliciis perpetuò versatur, & ebrietati indulget, & parasitos alit, atque adulatores, & cibo potioneque completur volens nolens persæpè necessariò peccat opportunitate quadam loci præsentis. S. Augustinus in Epist. ad Galatas. Quod amplius delectat, secundùm id operemur necesse est. ut v. g. si plus delectat pulchritudo & sincera species castitatis, secundùm hanc vivimus, & secundùm hanc operamur. Quod autem de castitate & fornicatione dixi, hoc de cæteris intelligi volui.

Regula 15. *Hinc credendum, quòd proclivius est fieri.* S. Augustinus l. 15. de Civit.

C. 13. Si quæram, quid ſit credibilius, Judæorum gentem tam longè latèque diffuſam in hoc conſcribendum mendacium (de ætate mundi) uno conſilio coſpirare voluiſſe, & dum aliis invident authoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem; an Septuaginta homines, qui & ipſi Judæi erant, in uno loco poſitos, communicato cōſilio veritatem Ægyptiis invidiſſe, quis non videat, quid proclivius, faciliusquè credatur? ſed abſit utrumque &c.

Regula 16. *Hinc & ille ſenſus verbis ſubeſſe cenſendus eſt, qui iisdem plerumque ſubjicitur.* Cyrillus Alex. l. 5, Theſauri. C. 4. Si creatio non ſemper ſubſtantialem productionem à nihilo ad eſſe ſignificat, ſed plerumque à pejoribus ad meliora translatione, quomodo non erit ſtultum, quando Sapientia Dei creari ſe dicit, non diligenter id conſiderare? *Dominus creavit me.* Creavit, non ad eſſe à nihilo, ſed initium viarum ſuarum in opera ejus. Idem l. c. in Joannem C. 3. de rectè interpretandis textibus loquens, ait: *Undique conferentia colligenda ſunt.* id eſt, ſimiles textus conferendi, ut appareat, quis plerumque ſenſus conveniat. Et Theodoretus in Geneſin, quæſt. 20. Antropomorphitæ coacervant mille loca Scripturæ, quibus membra Dei appellantur. Adverſus vos certandum eſt primùm ex dictione Scripturæ. id eſt, ex communi modo loquendi Scripturæ.

Regula 17. *Non poteſt fieri, quòd in innumeris circumſtantiis nunquam fit.* S. Hieronymus cont. Pelagianos C. 4. Reſponde mihi; velis, an nolis eſſe ſine peccato? ſi vis, quare non imples, quod deſideras? dicitis; poſſe hominem ſinè peccato eſſe; ſed aliud eſt eſſe, aliud eſſe poſſe. Eſſe non eſt in noſtra poſitum poteſtate; eſſe autem poſſe, generaliter, quòd licèt alius non fuerit, tamen poſſit eſſe, qui voluerit. Rogo, qnę eſt iſta argumentatio,

poſ-

posse esse, quod nunquam fuerit? posse fieri, quod nullum fecisse testaris? Gregorius Nazianzenus Orat. 36. de filio. Non potest filius quidquam facere à seipso, nisi id viderit patrem facientem. Quæ verba ejusmodi sensu explicanda sunt. Posse vel non posse non uno modo dicitur; variam enim ac multiplicem significationem habet. nonnunquam enim secundùm virium defectum dicitur, & certi temporis ac personæ ratione habita; ut quod puer luctari non possit, aut catulus cernere, aut cum aliquo dimicare. Luctabitur enim fortasse aliquando, & cernet, & cum hoc dimicabit, etiamsi cum altero nequeat. Interdum de eo dicitur, quod plerumque non contingit; ut illud; Non potest civitas abscondi supra montem posita. Fieri enim potest, ut quædam civitas abscondatur, majori nimirum monte ipsius luminibus obstruente. Impossibile etiam dicitur, quod minime æquum est, rationique consentaneum; cujusgeneris est illud; Non possunt filii sponsi jejunare, quamdiu præsens est sponsus. Quarta significatione hoc fieri non posse dicitur, à quo nostra voluntas abhorret; cujusmodi est illud: Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum. Quo etiam in ordine ponendum est illud: Non potest mundus odisse vos. Et: quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? quo enim pacto quidquam horum impossibile est, nisi quia voluntas abhorret; Denique illud etiam impossibile dicitur, quod natura quidem impossibile est, Deo autem volenti possibile.

Regula 13. *Quod promum est fieri, necessariò aliquando fit.* S. Ambrosius de Jacob. C. 1. Non potest fieri, ut facilis ad iracundiam non irascatur, sed ut ratione se temperet.

Regula 19. *Quod uniformiter fit, casu non fit*. S. Augustinus ex eo, quòd in Græca Biblia uniformiter primis Patriarchis ad vitam centum anni adjecti sint, infert, hoc à Latina Biblia discrimen non casuali errore sed industria factum esse l. 15. de civit. C. 23. ait: In his continuatur ipsius mendositatis similitudo, ita ut superfint centum anni in prima, secunda, tertia, quarta, quinta, septima generatione. Videtur error quandam habere constantiam; nec casum redolet sed industriam. Ubi verò non est ista per tot generationes continuata paritas, scriptoris tribuatur errori.

Regula 20. *Quod casu ac contingenter fit, rarò fit*. Sequitur ex dictis.

Regula 21. *Quod pronum est fieri, frequentior fit*. S. Ambrosius l. 1. de Job. C. 7. Adolescentia magis ad vitium lubrica esse consuevit: igitur crebra naufragia.

Regula 22. *Nulla conjectura ponatur sine probatione*. Hoc exemplo suo perpetuò demonstrat S. Chrysostomus. v. g. Homil. de Prophetarum obscuritate ait: Multa Prophetæ Judæis mala prædicunt, ne igitur Judæi hæc audientes eos interficerent, interpretationis difficultate prædictiones occultabant, sicque suæ incolumitati consuluerunt. Undè verò id constat? rationes enim à nobis reddendæ sunt, tametsi inter amicos versemur; siquidem multi etiam fortassis adsunt non amici.

Regula 23. *In probabilibus non ferendum judicium ante solutionem objectionum*. quia solutio objectionum præparat intellectum ad credendum, ac fluctuantem confirmat. Eusebius l. 1. Præparat. Evang. n. 1. Facturus operæ pretium mihi videor, si aggressurus hoc Demonstrationis Evangelicæ opus pauca sternendæ ac præmuniendæ viæ gratia priùs

de

de iis rebus definiam, de quibus tam gentiles quàm Iudęi justam nobis quęstionem movere posse videantur. Etenim sic existimo, nostrum hunc sermonem ad perfectiorem demonstrationis Evangelicæ doctrinam, graviorumque dogmatum intelligentiam processurum, si quę ad prępparationem hanc pertinent, viam aperuerint. S. Hilarius l. 1. de Trinit. Parum est, in rebus ad salutem maximè necessariis sola ea ad satisfactionem fidei afferre, quæ propria sunt: quia plerumque blandientes sensum fallunt dictorum nostrorum inexploratæ assertiones, nisi etiam propositionum adversarum demonstratę inanitates fidem nostram in eo ipso, quòd ipsæ ridiculæ esse arguantur, affirment.

Regula 24. *Non tamen ad quasvis futiles objectiones, quæ non facilè movebunt prudentes, respondendum est.* Lactantius l. 7. Instit. C. 12. Cætera Epicurei dogmatis argumenta Pythagoræ repugnant dicenti, migrare animas de corporibus in corpora. Quæ sententia deliri hominis, quoniam ridicula est, immò dignior, quàm Scholastico fuerit, ne refelli quidem seriò debuit. Quod qui facit, videtur vereri, ne quis id credat. S. Augustinus l. 2. de Civit. C. 1. Si rationi perspicuę veritatis infirmus humanæ consuetudinis sensus non auderet obsistere, sed doctrinæ salubri languorem suum tanquam Medicinę subderet, donec divino adjutorio fide pietatis impetrante sanaretur, non multo sermone opus esset ad convincendum quemlibet vanæ opinationis errorem his qui rectè sentiunt, & sensa verbis sufficientibus explicant. Nunc verò, quoniam ille est insipientium morbus, quo irrationabiles motus suos post rationem plenè redditam, quanta homini ab homine debetur, sive nimia cæcitate, qua nec aperta cernuntur, sive obstinatissima pervicacia, qua & ea quæ

cer-

cernuntur non feruntur, tanquam ipſam rationem veritatemque defendunt, fit neceſſitas copioſius dicendi plerumque res claras, velut eas non ſpectantibus intuendas, ſed quodammodo tangendas palpantibus offeramus. Et tamen quis diſceptandi finis erit, ſi reſpondendum eſſe reſpondentibus ſemper exiſtimemus? nam qui vel non poſſunt intelligere, quod dicitur, vel tam duri ſunt adverſitate mentis, ut etiam ſi intellexerint, non obediant, infatigabiliter vani ſunt. Quorum dicta contraria ſi toties velimus refellere, quoties obnixa fronte ſtatuerunt non curare, quid dicant, dum quocunque modo noſtris diſputationibus contradicant; quàm ſit infinitum & ærumnoſum, vides.

Regula 25. *Ad eadem tamen dicta nonnunquam propter tardiores ſæpius reſpondendum eſt.* S. Auguſtinus l. 2. contra Petalianum, C. 1. Primis partibus Epiſtolæ Petiliani, quas tantummodo inveneramus, ſatis nos reſpondiſſe meminerunt, qui ea legere vel audire potuerunt. Sed quia poſteà tota eſt à fratribus inventa, atque deſcripta, ut univerſæ reſponderemus, non erat defugiendum hoc officium ſtyli noſtri; non quia ille novum aliquid dicit, cui non jam multis modis & ſæpe reſponſum eſt: Sed propter tardiores fratres, qui ea, quæ alicubi legeram eis, ad omnia paria referre non poſſunt. Ibidem l. 1. C. 1. Reſpondere diverſa ſentientibus ſæpiſſimè cogimur etiam de his rebus, quas aliis atque aliis ſermonibus frequentavimus. quod utiliter exiſtimo fieri & propter tardiora ingenia eorum, qui putant aliud dici, cùm aliquid legunt aliter dici, & propter ipſam diſputationum copiam, ut non ſolùm ad diligentiores res rara perveniat, ſed quodlibet ex multis in manus etiam negligentiores incurrat.

Regula 26. *Multùm contribuit ad probandam*

dam veritatem propositionis, ſi diutius inhæreatur eidem propoſitioni. quia facilius credimus, quę propenſius meditamur. S. Ambroſius in Pſal. 118. Octon. 2. præfat. Tunc ſalubriora conſilia credimus, ſi propenſiore meditatione examinata videantur.

Regula 27. *Ad ſecuram aſſentionem requiritur, ut etiam adjuncta rei diligenter conſiderentur*. quia ſæpe aliquid apparet in ſe verum, quod non congruit adjunctis. S. Hilarius in Pſal. 131. ad verba: Introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus, Judęos ſic refellit. Templum illud hodie jam nullum eſt, incenſum eſt, dirutum eſt, informe ruinis eſt. ubi ergo Dei requies eſt? mentitus Propheta eſt? Deus etenim requiem, quam ei ſe juratus repertorum vovebat, amiſit. Itaque quia neque Dei dignitati, neque naturæ hominis, neque locorum veritati, neque temporum demutationi hęc irreligioſarum opinionum figmenta conveniunt, nunc demonſtrandum, ad perſonam Domini Jeſu Pſalmum pertinere.

Regula 28. *Exeo, quod adverſa ſententia convincatur eſſe falſa, non ſtatim prior recipienda eſt*. quia facilius falſa convincuntur, quàm inveniatur verum, Lactantius l. de Ira Dei. C. 11. Tullius l. 3. de natura Deorum diſſolvit publicas religiones, ſed tamen veram, quam ignorabat, nec ipſe nec alius quisquam potuit inducere: adeò & ipſe teſtatus: Falſum quidem apparere; veritatem tamen latere. Utinam, inquit, tam facilè vera invenire poſſem, quam falſa convincere. Quod quidem non diſſimulanter, ut Academicus, ſed verè atque ex animi ſententia proclamavit, quia veritas humanis ſenſibus erui non poteſt; quod aſſequi voluit humana providentia, id aſſecutus eſt, ut falſa detegeret,

quid-

quidquid enim fictum,& commentitium,quia nulla ratione ſubnixum eſt, facilè diſſolvitur.

Regula 29. *Sententia meritò ſuſpecta eſſe debet, cujus probationes aut explicationes ſimilitudinem, proportionem, aut connexionem habent cum aliis falſis ſententiis*,quia plerumque falſa, quæ falſis congruunt. Lactantius l. 3. Inſtit. C. 24. volens oſtendere falſitatem ſententiæ, dari antipodas; in hoc ipſum vitium, quod oppoſitæ ſententiæ tribuit, currit. ſic ait: Quid illi, qui contrarios noſtris veſtigiis antipodas putant? nunquid aliquid loquuntur? aut eſt quisquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora, quàm capita? hujus erroris aperiendæ nobis origo eſt; nam ſemper eodem modo falluntur. cùm enim falſum aliquid in principio ſumpſerunt, veriſimilitudine inducti, neceſſe eſt eos in ea, quæ conſequuntur currere: ſic incidunt in multa ridicula; quia neceſſe eſt falſa eſſe, quæ falſis congruunt: cùm autem primis habuerint fidem, qualia ſunt ea, quę ſequuntur, non circumſpiciunt, ſed defendunt omni modo, cùm debeant prima illa, utrùmne vera ſint an falſa, ex conſequentibus judicare. Hinc etiam Euſebius l. 1. Præparat. Evang. veritatem fidei Chriſtianę ex eventu ac conſequentibus probat, eo quòd Deus tantam vim contulerit Evangelio. n. 4. Quivis intelligat, Numine plane Divino robur ejus ac firmitatem conſtitiſſe, cùm vexata tot annos, partimque dœmonum, partim principum acerbitate jactata majoribus in dies ornamentis & multitudine augeatur; ut planè dubitare nemo poſſit, quin Deus ille rerum moderator omnium ſervatoris noſtri doctrinę vim quamdam omni conatu & oppugnatione ſuperiorem cunctorunque victricem hoſtium cœleſti auxilio largiatur. Idem ſenſum Prophetiarum

ex

ex ipſo rerum eventu indagandum eſſe docet. Demonſtr. Evang. l. 7.

Regula 30. *Cùm in quavis quęſtione omnia conſideranda conſiderari non poſſint. ex paucis de toto, quantum homini licet timide ſemper ac modeſtè judicandum eſt.* Sic bene notat Lactantius, Ariſtotelem non omnia conſideraſſe ad Philoſophiam pertinentia, dum eam brevi perfectam futuram prædixit. l. 3. Inſtit. C. 28. Ariſtoteles inquit, veteres Philoſophos aut glorioſiſſimos aut ſtultiſſimos fuiſſe, qui exiſtimaſſent, Philoſophiam ſuis ingeniis eſſe perfectam; ſed ſe videre, quòd paucis annis magna acceſſio facta eſſet, brevi tempore Philoſophiam planè abſolutam fore. Quod igitur fuit illud tempus? quo in ore? quando eſt? aut à quibus abſoluta? nam quod ait ſtultiſſimos fuiſſe, qui putaviſſent ingeniis ſuis perfectam eſſe ſapientiam, verum eſt, ſed ne ipſe quidem ſatis prudenter, qui aut à veteribus cœptam, aut à novis auctam, aut mox à poſterioribus perfectum iri putavit. Hinc Euſebius l. 10. Præparat. Evang. n. 3. ubi Scriptorum Græcorum vanitatem, imperitiam, & furta, aliaque vitia probat, tantùm aliqua ex iis exempla affert, poſt quæ concludit: Sed enim, cujuſmodi Scriptorum Græcorum ratio ſit ex iſtis exemplis, quæ ex infinitis pauca collegi, ſatis conſtare exiſtimo.

Regula 31. *In quavis quęſtione omittenda contumeliæ, & quæ ad ſtatum quæſtionis non pertinent.* quia ut S. Auguſtinus contra Donatiſtas Epiſt. 152. dicit: *Nec cauſa cauſę, nec perſona perſonæ prędicat.* Id eſt, non perſona cum perſona ob impertinentes lites, nec merita extrinſeca cauſę eũ cauſa, ſed argumenta confligant: afferebant Donatiſtæ pro ſe aliquas Deciſiones Epiſcoporũ; alias Deciſiones afferebant pro ſe Catholici: hęc ergo cõmunia utri-

utrique parti præjudicia mittenda esse dicit, quia nec causa causæ, nec persona personæ præjudicat. Idem l. de utilitate credendi C. 2. separatis nugis locorum communium res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat, Et l. 1. cont. Julianum C. 1. Contumelias tuas, & verba maledica, Juliane, quæ ardens iracundia libris quatuor anhelasti, si me contemnere dixero, mentiar. Quomodo enim contemnere possum ista, ubi testimonium conscientiæ meæ cogitans vel gaudere me debere video pro me, vel dolere pro te? &c. Sed hæc pro tuo dogmate, quod veritatem putas, etiam tu potes dicere. Auferamus itaque de medio, si placet, ista communia, quæ dici ex utraque parte possunt, quamvis veraciter ex utraque parte dici non possint.

Regula 32. *Quas persuaderi volumus, verbis exasperari non debent.* S. Augustinus l. contra Epistolam Manichæi C. 1. 2. 3. Deum rogavi, ut in refellenda & revincenda hæresi vestra, Manichæi, cui & vos fortasse imprudentius, quàm malitiosius adhæsistis, det mihi mentem pacatam atque tranquillam, & magis de vestra correctione, quàm de subversione cogitantem. Nostrum fuit, ut ad vestram correctionem aditum faceremus non in contentione & æmulatione, & persecutionibus, sed mansuetè consolando, benevolè cohortando, leniter disputando; sicut scriptum est: Servum Domini non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes. Nostrum ergo fuit, has vel le partes expetere. Illi in vos sæviant, qui ignorant, cum quo labore verum inveniatur; & quàm difficile caveantur errores. Illi in vos sæviant, qui nescium, quàm rarum & arduum sit, carnalia phantasma-

ta piæ mentis serenitate superare. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, cum quanta difficultate sanetur oculus interioris hominis. Illi in vos sæviant, qui nesciunt, quibus suspiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte possit intelligi Deus. Postremò illi in vos sæviant, qui nullo tali errore decepti sunt, quali vos deceptos vident. Ego autem, qui diu multumque jactatus vix tandem perspicere potui, quid sit illa sinceritas, quæ sine inanis fabulæ narratione percipitur, sævire in vos omninò non possum.

Regula 33. In errores tamen, ubi magis præcavenda bonorum seductio, quàm speranda errantium emandatio, vehementer invehi debemus. Epiphanius l. 3. cont. hær. ad finem. Cæterùm rogo vos omnes, qui hæc lecturi estis, ut veniam detis mentis meę tenuitati, quę à multo hæreseon veneno obstupuit instar nauseantis & revomentis propter austera verba, per quæ contra quosdam commota & invecta est, dum aliquos scelestos, aut impostores, aut erroneos, aut deceptores appellavit. Nam propter multam veneni molestiam ac vexationem, quamvis hic non noster mos sit, ut aliquos libenter sugillemus, coacti fuimus talibus ipsos impetere verbis, quo mentem quorundam averteremus, ne fortè putent nos ex eo, si displicentiam nostram non publicassemus in revelando ea, quæ ab ipsis dicuntur aut fiunt, partem habere mentis assentientis pravæ uniuscujusque hæresis opinioni.

Regula 34. Scandalosa sunt, quæ facilè in sensu perverso accipiuntur à populo. Eusebius l. 2. Præparat. Evang. num. 8. affert sequentem observationem Dionysii Halicarnassei. Nemo me nescire existimet, nonnullas Græcorum de diis fabulas aliquid hominibus

utilitatis afferre, ſive naturæ opera latente verborum ſenſu repræſentent, ſive ad mitigandas humanorum caſuum moleſtias confictæ fuerint, ſive ad tollendas animorum perturbationes, metusque levandos, ſive ad minus ſanas opiniones refellendas, ſive alterius cujuscunque commoditatis gratia compoſitæ. Verùm licèt iſta æquè norim, ac quivis alius in ejuſmodi tamen fabulis magna ſemper cautione opus eſſe arbitror, eoque libentius Romanorum Theologiam, quæ omnem fabulam dignitate & honeſtate vacuam mali ominis inſtar averſatur, approbo, meum ipſe reputans, exigua illa admodum eſſe bona, quæ Græcis fabulis continentur, quæque non ad plures, ſed tantùm ad eos pertinere poſſint, qui, quem in ſcopum illæ collineent, diligenter accuratèque perſpexerint. Enim verò, cùm pauci admodum illi ſunt, quibus hanc ad Philoſophiam aditus pateat, tum ſanè rudis & imperita multitudo vulgares iſtos de diis ſermones deteriorem in partem interpretari ſolet, atque in alterum è duobus incidit; ut vel Deus aſpernetur tot ac tantis miſeriarum fluctibus jactatos; vel nullum flagitii ſcelerisve genus cavendum ſibi ac declinandum putet, cùm ea diis ipſis uſque adeò familiaria fuiſſe videat.

Regula 35. *Non omne dogma pro ſecuro habendum, quod non damnavit Eccleſia*. quia Eccleſia non omnes errores, ſed tantùm eos damnare ſolet, qui faciunt ſtrepitum. S. Auguſtinus l. de Vera religione. C. 6. Eccleſia Catholica per totum orbem diffuſa omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cùm evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis ſuæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, Schismaticis ad documentutum

mentum ſtabilitatis ſuæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem. Carnales autem ſuos, id eſt, viventes aut ſentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque vel palea vel frumentum eſt, tamdiu ſuſtinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accuſatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animoſitate defendat. Sæpè etiam ſinit Divina Providentia per nonnullas nimium turbulentas hominum carnalium ſeditiones expelli de congregatione Chriſtiana etiam bonos viros, quam contumeliam vel injuriam ſuam cùm patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint neque ullas novitates vel ſchismatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quàm verò affectu & quanta ſinceritate charitatis Deo ſerviendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus; aut, ſi id non ſinantur vel eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo reditu talis aut ſævior oriatur, tenent voluntatem conſulendi etiam eis ipſis, quorum motibus perturbationibusque ceſſerunt, ſinè ulla conventiculorum ſegregatione uſque ad mortem defendentes, & teſtimonio juvantes eam fidem, quam in Eccleſia Catholica prædicari ſciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum videtur hoc genus, ſed tamen exempla non deſunt; immo plura ſunt, quàm credi poteſt.

Regula 36. *Argumenta innumera nullam continentia probabilitatem, etiam collecta nullam confi-*

conſtituunt probabilitatem. Sic S. Auguſtinus de Baptiſmo l. 6. & 7. affert plùs quàm ſexaginta argumenta Donatiſtarum, quibus oſtendere conabantur, de novo baptizandos eſſe, qui à noſtra Eccleſiaad Donatiſtas tranſiverant: nec tamen quiſquam dixerit, omnia illa argumenta ſententiam Donatiſtarum reddidiſſe probabilem.

§. II.

De Autboritate.

Regula 1. *Ubi credendum, teſti idoneo credendum eſt.* Euſebius Demonſtr. Evang. l. 10. ex Pſal. 118. Diabolus ſtet à dextris ejus. &c. Quòd hæc ad Judam referenda ſint, idoneus ſanè eſto teſtis Apoſtolus Petrus. Lactantius l. 6. Inſtit. c. 25. Hoc genus ſacrificii quàm veriſſimum ſit, Triſmegiſtus Hermes idoneus teſtis eſt. S. Hilarius l. 1. de Trinit. Concedamus cognitionem ſui Deo, dictiſque ejus pia veneratione famulemur; idoneus enim ſibi teſtis eſt. Et l. 12. in fine. Chriſtus idoneus mihi ad fidem teſtis eſt. Et l. ad Auguſtum. Didicimus, commenta hæc fuiſſe inventa à Narciſſo, Theodoro &c. quorum litteræ etiamnum proferuntur; & idoneis teſtibus convincuntur. S. Ambroſius in *Pſal.* 118. Octon. 14. Horum ſatis idoneus teſtis eſt, qui non mentitur, Deus. Et in C. 3. Lucæ. De Jechonia ſatis idoneus teſtis eſt Jeremias. S. Auguſtinus l. cont. Gaudentium C. 14. Non erat pro veſtra cauſa contra nos idoneus teſtis Emeritus ille, inimicus.

Regula 2. *Aut certè credendum idoneo controverſiæ & rerum judici.* S. Ambroſius in C. 12 Lucæ. Dominus idoneus ſui operis æſtimator magno pretio nos redemit.

Regula 3. *Autboritas, cui firmiſſimè credendum eſt, nec falli poſſe debet, nec fallere.*

S. Hie-

S. Hieronymus in C. 5. Epistol. ad Galat. Quod si verum est, & eorum distinctio nec fallit, nec fallitur, consideremus.

Regula 4. *Nonnunqaam possunt etiam omnes errare*. Lactantius l. 3. Instit. C. 3. Causas rerum naturalium velle disquirere; cœlum ipsum qua magnitudine sit, utrùm quietum sit, an mobile &c. Hęc disputando & conjecturis velle comprehendere, tale est profectò, quale si disserere velimus, qaalem esse arbitramur cujusdam remotissimæ gentis urbem, quam nunquàm vidimus, nec aliud quàm nomen audivimus. Age opinemur de statu & qualitate urbis illius. Verosimile in plano sitam, lapideis mœniis, ædificiis sublimibus, viis publicis, magnificis delubris. Sed cùm hęc dixerimus, alius econtrà disputabit, & cùm hic quoque peroraverit, surget & tertius, & alii deinceps, & opinabuntur multò dispariа, quàm nos sumus opinati. Quid ergo erit ex omnibus certius? fortasse nihil. at omnia sunt dicta, quæ in rerum naturam cadunt, ut necesse sit, eorum aliquid esse verum. at nescietur, quis verum dixerit. Potest fieri, ut omnes ex aliqua parte erraverint, ex parte attigerint veritatem. Stulti ergo sumus, si hoc disputatione quæramus.

Regula 5. *Quando tamen omnes conveniunt in re, quæ dependet à lumine naturali, vel à tèstimonio sensuum, credendum est*. quia nec omnes uniformiter mentiri, nec innumerabiles stulti esse possunt. Primum constat ex Regula 13. §. 1. alterum docet Lactantius. l. 5. Instit. C. 13. Cùm noster numerus semper de Deorum cultoribus augeatur, nunquam verò ne in ipsa quidem persecutione minuatur, quis est tam excors,

tam-

tamque cœcus, ut non videat, quia in utraque parte eſt ſapientia. Sed illi ſtultos arbitrantur, qui cùm habeant in ſua poteſtate ſupplicia vitare, cruciari tamen & mori malunt; cùm ex eo ipſo poſſint videre, non eſſe ſtultitiam, in qua tanta hominum millia per totum orbem una & pari mente conſentiunt. Si enim fœminæ ſexus infirmitate labuntur, viri certè ſapiunt. Si pueri, ſi adoleſcentes improvidi ſunt per ætatem; maturi certè ac ſenes habent ſtabile judicium. Si una civitas deſipit, certè utique innumerabiles ſtulti eſſe non poſſunt. Si una provincia, una natio, prudentia careret; cæteras omnes habere intelligentiam recti neceſſe eſt. Cùm verò ab ortu Solis uſque ad occaſum lex divina ſuſcepta ſit; & omnis ſexus, omnis ætas, & Gens & Regio unis ac paribus animis Deo ſerviat, eadem ſit ubique patientia; idem contemptus mortis, intelligere debuerant, aliquid in ea re eſſe rationis, quod non ſine cauſa uſque ad mortem defendatur; aliquid fundamenti ac ſoliditatis, quod eam religionem injuriis & vexatione augeat ſemper & faciat firmiorem.

Regula 6. Cujuſcunque eruditi ſententia orbis totius ſenſus præferendus eſt. L. 1. de moribus Eccleſiæ C. 29. S. Auguſtinus ſic habet: Chriſtum audi; in his, inquit, duobus præceptis univerſa lex pendet & Prophetæ. Quid hoc loco poteſt dicere impudentiſſima pertinacia? non hoc Chriſtum dixiſſe? at in Evangelio ejus verba iſta conſcripta ſunt. Falſum eſſe, ſcriptum? quid hoc ſacrilegio magis impium reperiri poteſt? quid iſta voce impudentius? quid ſceleratius? ſimulacrorum cultores, qui Chriſti nomen oderunt, nunquam hoc adverſus Scripturas illas auſi ſunt dicere.

Con-

Conſequetur namque omnium litterarum ſumma perverſio, & omnium qui memoriæ mandati ſunt librorum abolitio, ſi quod tanta populorum religione roboratum eſt, tanta hominum & temporum conſenſione firmatum, in hanc dubitationem adducitur, ut ne hiſtoriæ quidem vulgaris fidem poſſit, gravitatemque obtinere. Poſtremò quid de ſcripturis ullis proferre poteris, ubi mihi uti hac voce non liceat, ſi contra meam ratiocinationem, intentionemque proferatur? illud verò quis ferre poſſit. quod nos notiſſimis ac jam in omnium manibus conſtitutis libris credere vetant, & iis, quæ ipſi proferunt, imperant, ut credamus? ſi de Scriptura dubitandum eſt, de qua magis, quàm quæ diffamari non meruit, quæ verè potuit ſub nomine alieno tota mentiri? at ſi iſtam obtrudis invito, & authoritatis exaggeratione cogis in fidem; egone de illa, quàm conſtanter latiſſimè divulgatam video, & Eccleſiarum per totum orbem diſperſarum conteſtatione firmatam, dubitabo miſer; & quod eſt miſerius, te authore dubitabo, cùm ſi exemplaria proferres, altera tenere non deberem, niſi ea, quæ plurium conſenſione commendarentur, nunc verò nihil te proferente, quod conferas; putabis, uſque adeò genus humanum eſſe perverſum, & divinæ providentiæ ope deſertum, ut illis ſcripturis tua tantùm verba præponat?

Regula 7. Credendum potiùs paucitati doctorum, quàm multitudini indoctorum. Lactantius l. 2. Inſtit. C. 20. Peracta eſt difficilis operis portio; veteres depulimus errores. nunc verò difficilior cum Philoſophis propoſita luctatio eſt, quorum ſumma doctrina & eloquentia quaſi moles aliqua mihi imponitur; nam ut illic multitudine ac prope conſenſu omnium Gentium premebamur, ita hìc authori-

tate præstantium omni genere laudis virorum. Quis autem nesciat, plus esse momenti in paucioribus doctis, quàm in pluribus imperitis: sed non est desperandum, istos quoque Deo & veritate ducibus posse depelli. S. Hieronymus in C. 2. Sophoniæ. Semel decrevimus veritatem interpretationis, & lectoris magis eruditi, quàm vulgi judicium sequi. S. Augustinus l. 2. cont. Jul. C. 10. approbat dictum Juliani. Non numerandas, sed ponderandas esse sententias. Et: Ad aliquid inveniendum nihil multitudinem prodesse cœcorum. Item: In causa judicandi amoto strepitu turbarum de omni ordine conversationis hominum ad discussionem talium rerum non sola nomina, sed eligendam esse prudentiam, & honorandam esse paucitatem, quam ratio, eruditio, libertasque sublimat.

Regula 8. *Plus in authore ratio, quam Authoritas valet.* S. Hieronymus Epist. 152. ad Minerium. Hæc dictavi, quid eruditi viri de utroque sentirent loco, & quibus argumentis suas vellent probare sententias, vestræ prudentiæ exponens. Neque enim tanta est meæ pusillitatis authoritas, qui nihil sum, & invidorum morsibus pateo, quanta eorum, qui nos præcesserunt, nec juxta Pythagoræ discipulos præjudicata doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est. Siquis contrariæ factionis immurmurat, sciat me illud Apostoli libenter audire: Omnia probate; quod bonum est, tenete.

Regula 9. *Incipientibus prius sequenda est, quam examinanda authoritas.* S. Augustinus l. 2. de Ordine C. 9. Ad discendum dupliciter ducimur, authoritate, atque ratione, tempore authoritas, re autem ratio prior est. Aliud est enim, quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur.

tur. Itaque, quanquam bonorum authoritas imperitæ multitudini videatur esse salubrior; ratio verò aptior eruditis. Tamen, quia nullus homo nisi ex imperito peritus fit, nullus autem imperitus novit, qualem se debeat præbere docentibus, & quali vita esse docilis possit, evenit, ut omnibus bona, magna, & occulta discere cupientibus non aperiat, nisi authoritas januam; quam quisque ingressus sinè ulla dubitatione vitæ optimæ præcepta sectatur, per quæ cùm docilis factus fuerit, tum demum discet, & quanta ratione prædita sint ea ipsa, quæ secutus est ante rationem, & quid sit ipsa ratio, quam post authoritatis cunabula firmus comprehendit.

Regula 10. *Contra authoritatem plurium, nunquam, nisi rebus bene expensis, pronuntiandum est.* S Augustinus l. 3. cont. Donatistas C. 4. Quid scripserit Cyprianus, jam legi, fateor; & proscriò issem in eandem sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem revocaret tanta authoritas aliorum, quos vel pares gratia doctrinæ, vel etiam fortasse doctiores per tot Gentes, græcas, Latinas, Barbaras. & ipsam Hebræam Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, quæ ipsum quoque pepererat, qui mihi quoque nullo modo videri potuerunt frustra noluisse istam sententiam, non quia fieri non potuit, ut in obscurissima quæstione verius pluribus unus, paucive sentirent, sed quia non facile pro uno vel pro paucis adversus innumerabiles ejusdem religionis & unitatis viros, & magno ingenio, & uberi doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus ferenda sententia est.

Regula 11. *Traditio tamdiu præcisè meretur fidem, quamdiu de ejus corruptione non habentur positiva argumenta*, quia constat multas

traditiones fuiſſe falſas. Sic Irenæus l. 1. C. 39. teſtatur. ex traditione ſe habere, Chriſtum fuiſſe quinquaginta jam annorum, cùm moreretur. Ætas, inquit, à quadrageſimo aut quinquageſimo anno declinat jam in ætatem ſeniorem, quam habens Dominus noſter docebat, ſicut Evangelium & omnes ſeniores teſtantur, qui in Aſia apud Joannem diſcipulum convenerunt, idipſum tradidiſſe eis Joannem: quidam autem eorum non ſolùm Joannem, ſed & alios Apoſtolos viderunt, & hæc eadem ab ipſis audierunt, & teſtantur de hujuſmodi relatione. Idem l. 5. C. 36. errorem Millenariorum pariter refert in traditionem. Quemadmodum, inquit, presbiteri dicunt, tunc alii Paradiſi delitiis utentur, alii ſpecioſitatem civitatis poſſidebunt. Lactantius l. 1. inſtit. C. 7. Duplici ratione peccatur à Gentilibus, quòd Elementa Deo præferunt. Alterum, quòd elementorum figuras colunt. Hæ ſunt religiones, quas ſibi à majoribus ſuis traditas pertinaciſſimè tueri perſeverant, nec conſiderant, quales ſint, ſed ex hoc probatas atque veras eſſe confidunt, quòd eas veteres tradiderunt, tantaque eſt authoritas vetuſtatis, ut inquirere in eam ſcelus eſſe dicatur. Itaque crediter ei paſſim tanquam cognitæ veritati. Apud Ciceronem ſic dicit Cotta Lucillio; Habes Balbe, quid Pontifex ſentiat; fac nunc ego intelligam; quid tu ſentias; à te enim Philoſophe rationem religionis accipere debeo; majoribus autem noſtris etiam nulla ratione reddita rationis eſt credere. Si credis, cur rationem requiris? majoresne potiùs, an rationem ſequeris? ſi rationem mavis, diſcedere te neceſſe eſt ab inſtitutis & authoritate majorum. Fatere igitur, ſtultos illos fuiſſe, qui excogitatis contra rationem religionibus ſerviunt. Sed tamen, quoniam

nobis

nobis tantopere majorum authoritas opponitur, videamus, quinam majores illi fuerint, à quorum authoritate diſcedi nefas dicitur. Romulus paſtores inter quos adoleverat, convocavit, cùmque is numerus condendæ urbi parum idoneus videretur; conſtituit aſylum. Eò paſſim confugerunt ex finitimis locis peſſimi quique. Ita conflavit ex his populum, legitque in ſenatum eos, qui ætate anteibant, & Patres appellavit; de quo Senatu Propertius loquitur:

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.
Centum illi in prato ſæpe ſenatus erant.
Curia prætexto quæ nunc nitet alta ſenatu,
Pellitos habuit ruſtica corda patres.

Hi ſunt patres, quorum decretis eruditi, ac prudentes viri devotiſſimè ſerviebant; idque verum ac immutabile omnis poſteritas judicet, quod centum pelliti ſenes ratum eſſe voluerunt. Eſt verò, quòd illorum authoritas tanti habeatur à poſteris; quos nemo, cùm viverent, neque ſummus neque infimus affinitate dignos judicavit. Huc pertinet, quòd etiam *D.* Cyprianus ſuum errorem de baptiſmo hæreticorum iterando, & S. Auguſtinus ſuum errorem de neceſſitate communionis etiam quoad parvulos retulerint ad traditionem. De peccatorum meritis l. 1. C. 24. ait: Unde, niſi ex antiqua, ut exiſtimo, & Apoſtolica traditione, qua Eccleſiæ Chriſti inſitum tenent, præter baptiſmum & participationem Dominicæ menſæ ad vitam æternam neminem poſſe pervenire? Si ergo nec ſalus, nec vita æterna ſinè baptiſmo &

corpore & sanguine domini cuiquam speranda est, frustra sinè his promittitur parvulis.

Regula 12. *SS. Patres, ubi non habent secum consensum Ecclesiæ, non sunt infallibilis regulæ*. quia nullus hominum ab erroribus eximitur, nisi per operationem Divinæ Providentiæ; hæc verò in iis tantùm se immiscet, quæ attingunt Ecclesiam, ut semper præcaveat errores. S. Augustinus l. 5. cont. Donatistas C. 26. Cùm D. Cyprianus dicit; Episcopum docibilem esse debere, adjungit: Docibilis autem ille est, qui est ad discendum patientia lenis & mitis; oportet enim Episcopum non tantùm docere; sed & discere, quia & ille melius docet, qui quotidie crescit & proficit discendo meliora. His utique verbis satis indicat vir sanctus; non esse metuendum sic ejus Epistolas legere, ut siquid postea pluribus & diuturnioribus inquisitionibus compertum Ecclesia confirmaverit; non ambigamus; quia sicut multa erant, quæ doctus Cyprianus doceret, sic erat & aliquid quod Cyprianus docibilis disceret. Quod autem nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam traditionem, & indè canalem in nostra tempora diriganus, optimum est, & sinè dubitatione faciendum. Idem Epist. 111. ad Fortunatianum. Non quorumlibet disputationes quamvis Catholicorum & laudatorum hominum velut scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum sctiptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis: talis ego sum in scriptis aliorum; tales esse volo intellectores meorum. Idem Epist. 112. ad Paulinam. Si

quid

quid divinarum Scripturarum perſpicua firmatur authoritate, ſinè ullà dubitatione credendum eſt. Aliis verò teſtibus vel teſtimoniis, quibus aliquid credendum eſſe ſuadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendum fidem vel habere, vel non habere perpenderis. Si enim nihil crederemus, quod non ex ſcripturis ſanctis aut per ſenſus didicimus; undè ſciremus, à Romulo conditam Romam? undè ſciremus, quibus parentibus, avis, majoribus geniti eſſemus? in his, ſi alicubi fallimur credendo, nihil periculi eſſe judicamus, ſi non ſit contra illam fidem, qua pietas informatur. Hæc prælocutio te, & eos, qui iſta lecturi ſunt, præſtruit, quales ſeu meorum, ſeu quorumlibet ſcriptorum judices eſſe debeatis. Et C. 23. ejuſdem Epiſt. Has ſententias tantorum virorum non ob hoc interponere volui, ut cujusquam hominis ſenſum tanquam ſcripturæ Canonicæ authoritatem ſequendum arbitreris, ſed ut illi, qui aliter ſapiunt conentur videre, quod verum eſt, ne tam doctos divinorum eloquiorum tractatores reprehendant.

Regula 13. *Traditio per varia ora tradicta, ſuſpecta quoad circumſtantias eſt.* Lactantius. Ad Poetas mentio reſurrectionis futuræ obſcurorum ore pervenerat; eam verò temerè auditam in modum fabulæ prodiderunt. Et tamen iidem teſtati ſunt, non Authorem ſe certum, ſed opinionem ſequi, ut Maro qui ait: Sit mihi fas audita loqui. Quamvis igitur veritatis arcana in parte corruperint, tamen ipſa reſeo verior invenitur, quòd cum Prophetis in parte conſentiunt. Cùm Prophetæ prædicarent, judicaturum eſſe ex mortuis filium Dei; quoniam rectorem cœli non alium putabant, quàm Jovem, judicare apud inferos Jovis filium tradiderunt.

Corruperunt igitur Poetica licentia quod acceperant, vel opinio veritatem per diversa óra, sermonesque varios dissipata mutavit. l. 8. Instit. C. 21.

Regula 14. *Authoribus inter se dissentientibus neuter pro dute certo sequendus est.* Lactantius l. 1. Instit. C. 1. Omissis ergo hujus terrenæ Philosophiæ authoribus nihil certi asserentibus aggrediamur viam rectam. Quos quidem, si putarem satis idoneos ad bene vivendum duces esse, & ipse sequerer, & alios ut sequerentur hortarer: Sed cùm ipsi magna concertatione inter se dissideant, secumque ipsi plerumque discordent, appareat eorum iter nequaquam esse directum; siquidem sibi quinque ut est libitum propriàs vias impresserunt, confusionemque magnam quærentibus veritatem reliquerunt.

Regula 15. *Consensus omnium populorum præsumitur fundari in lumine naturali.* quia impossibile est per Leges Contingentium tam diversas nationes in reliquis inter se dissentientes convenire uniformiter in quovis articulo, nisi cogantur evidentia rei manifestata in lumine. Lactantius l. 1. Instit. C. 2. de Providentia, quam nonnulli Philosophi negabant, loquens ait: Non difficile sanè fuit, paucorum hominum pravè sentientium redarguere mendacia testimonio populorum atque gentium in hac una re non dissidentium. nemo enim est tam rudis, tam feris moribus, qui oculos in cœlum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei Providentia gubernetur hoc omne quod cernitur, aliquem tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, comparatione, nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat, consilio aliquo majore sit instructum.

Regula

Regula 16. *Nemo omnes, omnes nullum, ſinguli ſingulos fallunt.* Seneca.

Regula 17. *Quamvis Autoris mali nunquam pro argumento aſſumi poſſit authoritas, licèt tamen exindè applicare, quæ ex ſe vera ac bona ſunt.* S. Hieronymus ad Pammachium Epiſt. 65. Objiciunt mihi, quare Origenem aliquando laudaverim. Ni fallor, duo loca ſunt, in quibus eum laudavi; præfatiuncula ad Damaſum in Cantica, & Prologus in librum Hebraicorum nominum. Quid ibi de dogmatibus Eccleſiæ dicitur? ſimplex interpretatio ſimplici voce laudata eſt. nihil ibi de fide, nihil de dogmatibus comprehenſum eſt. Laudavi interpretem non Dogmatiſten; ingenium, non fidem; Philoſophum, non Apoſtolum. Quòd ſi volunt ſuper Origene meum ſcire judicium, legant in Eccleſiaſten Commentarios, & intelligent, me ſemper ejus dogmatibus contraiſſe. quæ enim ſtultitia eſt, ſic alicujus laudare doctrinam, ut ſequaris & blaſphemiam. Et beatus Cyprianus Tertulliano Magiſtro utitur, ut ejus ſcripta probant; cùmque eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo, Maximillamque non ſequitur. Fortiſſimos libros contra Porphyrium ſcribit Apollinarius: Eccleſiaſticam Hiſtoriam pulchrè Euſebius texuit. Alter dimidiatam Chriſti introduxit œconomiam; alter impietatis Arrii apertiſſimus propugnator eſt. Væ, inquit Eſaſas, qui dicunt bonum malum, & malum bonum, & qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Nec bonis adverſariorum, ſi honeſtum quid habuerint, detrahendum eſt; nec amicorum laudanda ſunt vitia & unumquodque non perſonarum, ſed rerum pondere judicandum eſt. Hæc regula vera eſt, ni ſi timeatur, Lectores vel Auditores ex commendatione talium

Authorum progreſſuros ad majorem æſtimationem errorum, vel minorem ſaltem vilipenſionem, aut eos animandos ad lectionem talium Authorum, in quibus nec pretioſum à vili diſcernere, nec latens venenum, ſeque in affectus Lectorum inſinuans cavere poſſint. Hac cautione ſumpta & illud verum erit Hieronymi in Apologia adverſus Ruffinum, ubi ait: Audi ergo, vir ſapientiſſime, & Romanæ diulecticæ caput, non eſſe vitii hominem unum laudare in aliis, & in aliis accuſare, ſed eandem rem & probare & improbare. In Tertulliano laudamus ingenium, ſed damnamus hæreſin; in Origene miramur ſcientiam Scripturarum, & tamen dogmatum non recipimus falſitatem.

Vera hæc ſunt, ſi ſimul in eodem textu periculoſæ laudi ſalubris reprehenſio adjungitur.

Regula 17. *Authoritas Scriptorum non ex fama & laude aliorum, ſed ex laudantium merito metienda eſt.* S. Hieronymus præfat. l. 12. in Iſaiam. Nullus tam imperitus Scriptor eſt, qui Lectorem non inveniat ſimilem ſui; multoque pars major eſt, Mileſias fabellas revolventium, quàm Platonis libros; in altero enim ludus & oblectatio eſt: in altero difficultas & ſudor mixtus labori. Timæum ipſe, qui interpretatur, Tullius ſe non intelligere fatetur; teſtamentum autem Grunnii Corocottæ decantant in ſcholis puerorum agmina cachinnantium. Igitur & noſter Lavinius fruatur teſtibus, immò & fautoribus ſuis, vincatque multitudine, quia forſitan vincit ingenio: mihi ſufficit paucorum teſtimonium, & amicorum laude contentus ſum, qui in expetendis opuſculis meis amore noſtri labuntur, & ſtudio ſcripturarum.

Regula 18. *Nec opinionis univerſalitas, nec*

ejus

ejus antiquitas, aut opinantium sanctitas certum est veritatis argumentum. S. Hieronymus Prol. l. 18. in Isaiam. Non ignoro, quanta inter homines sententiarum diversitas sit, non dico de Mysterio Trinitatis, sed de aliis Ecclesiasticis dogmatibus, de Resurrectione scilicet, & humanæ carnis statu, & qua ratione intelligenda sit Apocalypsis Joannis, quam si juxta litteram accipimus, judaizandum est; si spiritualiter, ut scripta est, disserimus, multorum veterum videbimur opinionibus contraire; Latinorum, Tertulliani, Victorini, Lactantii; Græcorum, ut cæteros prætermittam, Irenæi tantùm faciam mentionem; adversus quem Dionysius Alexandrinæ Ecclesiæ Pontifex elegantem scribit librum, irridens mille annorum fabulam. Cui duobus voluminibus respondit Apollinarius, quem non solùm suæ sectæ homines, sed & nostrorum, in hac parte duntaxat, plurima sequitur multitudo, ut præfaga mente jam cernam, quantorum in me rabies concitanda sit. Idem in C. 5. Ezech. ad illud: Tertia tui pars peste morietur: Septuaginta, quia supra quatuor partes posuerant, dicunt, Quarta pars tui morte avertetur. Perspicuum est autem, ut Hebræa veritas continet, tres esse partes. Multoque melius erat, transferre, quod scriptum est, quàm rei malè translatæ patrocinium quærere; nec hoc dicimus ab illis factum, quibus vetustas authoritatem dedit; sed per multa sæcula Scriptorum atque Lectorum vitio depravatum. S. Augustinus l. 3. de Civit. C. 10. Quoniam proclive est humanum genus non ex momentis ipsius libidinis, sed potiùs suæ consuetudinis æstimare peccata, fit plerumque, ut quisque hominum ea tantùm culpanda arbitretur, quæ suæ regionis & temporis homines vituperare atque damnare consueverunt, & ea tan-

tùm probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum, cum quibos vivit, admittit, eoque contingit, ut siquid vel Scriptura præceperit, quod abhorret à consuetudine audientium, vel quod non abhorret, culpaverit, si animum eorum jam verbi vinxit authoritas, figuratam locutionem putent: so animum præoccupaverit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum arbitrentur.

Regula 18. *Nihil incredibile, quod testem habet idoneum.* S. Augustinus Epist. 7. De virginitate Sanctæ Mariæ, si hoc, quod scripsi, non persuadet fieri potuisse, negandæ sunt omnia, quæ mirabiliter in corporibus acciderunt. Quòd si propterea non creditur, quia semel factum est, quære ab amico, quem hoc adhuc movet, utrùm nihil inveniatur in litteris sæcularibus? quod & semel factum est, & tamen creditum non fabulosa vanitate, sed sicut existimant, historica fide, quære, obsecro te. Si enim tale aliquid in illis litteris inveniri negaverit, admonendus est: si autem fassus fuerit, soluta quæstio est.

Regula 19. *Argumentum ex silentio authorum non tunc probat, ubi authores potuissent, sed ubi debuissent loqui.* Irenæus l. 1. cont. hær. C. 1. discite insensati, quoniam Jesus, qui nostra causa passus est, atque apud nos habitavit, eum ipsum esse Dei verbum. Etenim si alius quispiam ex Æonibus pro salute nostra carnem assumpsisset, probabile fuisset, Apostolum de alio verba fecisse, cùm autem verbum patris, quod descendit, idem sit etiam, quod ascendit, profecto non de quoquam alio, nec de Ogdoade verba fecit. Tertullianus l. 4. cont. Marcionem C. 12. ostendit, Christum Pharisæis longo tempore suam divinitatem non manifestasse, quia de hac nihil disceptatum reperitur. Et

C. 43. discipuli inquiunt; Nos autem putabamus, ipsum esse redemptorem Israelis, non existimarent, nisi esset; & cùm existimaretur, non sustinuisset hanc existimationem desse, si non is esset, qui existimatur. S. Hieronymus l. 1. cont. Pelagianos. *Atticus*. Quomodo hæc omnium opinio est, quòd Dei auferas gratiam, & quidquid homines, agimus, propriæ tantùm asseras voluntatis? *Critobolus*. Miror Atrice, cur erroris alieni à me causam, rationemque flagites; & id quæras, quod scriptum non est, cùm perspicuum sit, quod scripserim dixi, hominem sine peccato esse posse, si velit; nunquid addidi, absque gratia? *Atticus*, ex eo quòd non addidisti, videris negare. *Critobolus* immò ex eo, quòd non negavi, dixisse existimandus sum. neque enim quidquid non dicimus, negare arbitrandi sumus. Idem in C. 1. Epist. ad Galatas. Non mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus subsistinuisse se replicat, Historiographi licentia prætermiserit; & non statim est contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum accepimus, & Romam inde translatum, quod Lucas penitus omisit, S. Chrysostomus in C. 1. Epist. ad Galatas. Quid agis Paule? cùm cupis judaizantes ad fidem perducere, nihil ex illis magnis ac præclaris adducis in medium, quale est illud, quod ad Philippenses scripsisti, dicens: cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Item, quod Hebræis scribens clara voce protulisti: Splendor est gloriæ, & figura substantiæ illius &c. horum nihil dicis: verùm his omnibus de Divinitate Christi omissis de carnis dispensatione facis mentionem, crucem, ac mortificationem in medium afferens.

Hoc

Hoc esse verum fassus aliquis sic pro Paulo respondebit. Si illi sermo fuisset apud homines, qui nihil magni de Christo concepissent animis, æquum erat illi magnifica proferre: verùm quoniam illi nobis movent seditionem, qui sibi videbantur pœnas daturi, si desciviss-sent à lege, ideo mentionem facit ejus rei, quæ excludit totam legem. Si dixisset: In principio erat verbum &c. declarasset quidem verbi Divinitatem; verùm nihil ad id, quod hic agebatur, illa contulissent. Porrò quod ait: Qui excitavit eum à mortuis, commonefecit eos summi beneficii, quod in nos contulit Christus; quæ res haud mediocriter ipsi conducebat ad id, quod agebatur. Hanc ob causam omissa illorum mentione de collata in nos munificentia verba fecit. S. Augustinus l. 1. de consensu Evangelistarum C. 21. Cur non intelligunt miseri (Gentilles) illum esse Deum verum, quem sic vident à Deorum suorum societate sejunctum, ut quem Deum fateri coguntur, qui omnes Deos colendos profitentur, cum cæteris colere non sinantur? cùm ergo simul coli non possunt, cur non ille eligitur, qui istos coli vetat, relictis illi, qui istum coli non vetant? aut si vetant, legatur. quid enim magis populis eorum in templis eorum debuit recitari, ubi nihil unquam tale personuit? & utique prohibitio tam multorum contra unum, quàm unius contra tam multos, notior & potentior esse deberet. Si hujus Dei cultus est impius, inutiles sunt dii, qui homines ab impietate non prohibent. Si verò pius est hujus cultus, quoniam in ipso præcipitur, ne illi colantur, impius est cultus eorum. Hic simulacra everti jussit, prædixit, evertit. Istos, ut ille non colatur, jussisse nescimus, prædixisse non legimus, valuisse aliquid non videmus. Idem l. 6. cont. Julianum. C. 24, de textu Apostoli: In

quo

quo omnes peccaverunt. quod Julianus per imtationem, Augustinus per traducem intelligi voluit, sic ait: Sed, inquis, si de peccati traduce loquebatur, nusquam congruentius diceret: Ideò pertransiit peccatum, quia omnes sunt de conjugum voluptate generati, &. adderet; in eo transiit, in quo ex tabida primi hominis carne fluxerunt. Nec vides, eodem modo tibi posse dici; si de imitatione peccati Apostolus loquebatur; nusquam congruentius diceret: Ideo pertransiit peccatum, quia primi hominis præcessit exemplum; & adderet: In eo transiit, in quo omnes illius unius imitatione peccaverunt. Aliquo enim istorum duorum modorum loqueretur Apostolus hoc loco, si ad tuum vel meum loqueretur arbitrium. Quia ergo nec illud dixit, quod tu, nec illud, quod ego, nunquid vis, ut credamus, in his verbis nec originale secundùm Catholicos, nec imitatorium secundùm Pelagianos intelligendum esse peccatum? puto, quòd nolis. remove igitur ista, quæ possunt ex utraque parte momentis æqualibus dici; & si tibi placet sine contentione, quid Apostolus dixerit, intueri, adverte, ut hoc diceret, quid agebat.

Regula 20. *Author, in quo concurrunt multa indispositi ad veritatem animi indicia, non fundat præsumptionem.* Talia autem indicia sunt, frequentes lapsus judicii, prout fit in Hæreticis, passiones, præjudicia, levitas stili, obscuritas mentis &c. Eusebius l. 1. contra Marcellum, ait: Hujusmodi hallucinationes ille simul congestas una modo periodo comprehendit &c. videtis, quàm immaniter aberret in hac historia, qui Jesum illum, per Prophetam Zachariam commemoratum, non intellexit, quis aut qualis fuerat. Quocirca qui in voce tam cuivis obvia aberruvit,

ravit, & nudam ignoravit historiæ seriem, non potest ei tutò satis fides adhiberi in rebus Theologicis. Lactantius l. 7. Instit. C. 1. Necessarium puto, admonere lecturos, quàm hæc nostra, quæ tradimus, pravæ vitiosæque, mentes aut omnino non intelligent; hebetantur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ sensus omnes gravant, imbecillosque reddunt; aut etiam si intelligent, dissimulabunt tamen, & esse hæc vera nolent quia trahuntur à vitiis, & scientes malis suis favent, quorum suavitate capiuntur, & virtutis viam deserunt, cujus acerbitate offenduntur. nam qui avaritia & opum quadam inexplebili siti flagrant, quia non possunt venditis aut elargitis, quæ amant, tenui cultu vitam degere, sine dubio malunt id esse factum, quo desideriis suis renuntiare coguntur. Item, qui libidinum stimulis incitati, ut ait Poeta, in furias ignemque ruunt, utique nos incredibilia afferre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt, nec si Solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos jubet omni honore & potentia contemptis humiles vivere, atque ita humiles, ut accipere injuriam possint, & referre nolint, si acceperint. Hi sunt homines, qui contra veritatem clausis oculis quoquomodo latrant: Qui autem sani sunt, vel erunt, id est, nondum ita vitiis immersi, ut sanabiles non sint, & credent his, & libenter accedent; & quæcunque dicimus, aperta, plana, & simplicia, & quod maximè opus est, vera & inexpugnabilia videbuntur. Nemo virtuti favet, nisi qui sequi potest. Gregorius Nyssenus de præjudiciis ab infantia per sensus haustis loquens homil. &

in

in Ecclesiasten sic ait : Utinam hoc ante omnia hominum doceretur natura, ut possit discernere bonum & honestum, & id, quod non est ejusmodi. non enim ad vitam nostram aditum haberent animi perturbationes, si id, quod est bonum, nossemus ab initio. Nunc autem sensum expertem rationis judicem boni & mali ab initio facientes simul alimur cum eo judicio de iis, quæ sunt, quod ineſt à principio; & ideo difficiliter avellimur ab iis, quæ bona esse sensus existimavit, ut qui firmam ac stabilem nobis fecerimus habitudinem, eo quòd cum illis simul educti & enutriti sumus. Pulchrum videtur hominibus, quod oculis per bonum colorem affert voluptatem. Auditui pulchra res est melodia. In saporibus quoque, & in odoribus ejusmodi bonum ac pulchrum definit, illud quidem gustus, hoc verò odoratus; omnium autem à ratione alienissimum est tactus: Quoniam ergo sensus cum nascentibus nobis statim oriuntur, & cum eis in primo vitæ initio statim versamur, propterea falsus & aberrans est usus affectionis. quoniam sensus simul nascitur cum primo ortu, mens autem exspectat, donec excurrat ætas, ut possit paulatim apparere in subjecto, ea de causa sensus dominatum obtinet in mentem, quæ sensim accedit; quo fit, ut sit nobis arduum & difficile, verum bonum mente comprehendere, quoniam præoccupati sumus sentiendi instrumentis, eò, quòd delectat & lætitia afficit, bonum circumscribentes, quomodo enim fieri non potest, ut ad eam, quæ est in cœlis pulchritudinem, aspiciamus, si aerem caligo interceperit; ita nec oculus animæ ad virtutem aspicit, si per voluptatem velati quandam caligĩnem ejus obtundatur visus.

S. Au-

S. Augustinus de indispositione omniũ Gentilium ac Hæreticorum ad veritatem loquens, ostendit, eos etiam in profanis sæpissimè errare, eo quòd non habeant tot lumina, per quæ multi caventur errores. Epist. 131. ad Memorium sic habet: Quid aliud dicendum est eis, qui cùm sint iniqui & impii, liberaliter sibi videntur eruditi, nisi quod in litteris verè liberalibus legimus: Si vos filius liberavit, tunc verè liberi eritis. Per eum namque præstatur, ut ipsæ etiam quæ liberales disciplinæ ab eis vocantur, quid in se habeant liberale, noscatur. neque enim habent congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati: undè ille ipse filius: Et veritas, inquit, liberabit vos. Non ergo illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poetarum, ullo modo nostræ consonant libertati; non Oratorum inflata & expolita mendacia; non denique ipsorum Philosophorum garrulę argutiæ, absit omnino, ut istorum vanitates & insaniæ mendaces, ventosæ nugæ, ac superbus error rectè liberales litteræ nominentur, hominum scilicet infelicium, qui Dei gratiam per Jesum Christum, qua sola liberamur de corpore mortis hujus, non cognoverunt, nec in eis ipsis, quæ vera sunt, senserunt. Historia sanè, cujus Scriptores fidem se præcipuè narrationibus suis debere profitentur, fortassis habeat aliquid cognitione dignum liberis, cùm sive bona sive mala hominum, tamen vera narrantur. Quamvis in eis cognoscendis, qui Spiritu Sancto non adjuti sunt, rumoresque colligere ipsa humanæ infirmitatis conditione compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, non video.

Regula 21. *Sola verborum obscuritas*,

aut

aut dictionis luxuries non inferunt grave præjudicium veritati. S. Auguſtinus l. 1. de origine animæ. C. 3. Habet (Hæreticus) eloquium , quo poſſit explicare , quæ ſentit; quamvis & in ipſo eloquio habeat multa emendanda , & à nimia exundantia reprimenda ; quod in illo tibi quoque , ut viro gravi , ſicut tua indicant ſcripta , displicuit. Sed hoc vel facilè corrigitur , vel ſinè detrimento fidei à levibus mentibus amatur , toleratur à gravibus. Habemus enim jam quosdam ſpumeos in ſermone , ſed in fide ſonos. Idem l. 1. de Trinit. C. 3. Quisquis , cùm hæc legit , dicit ; hoc non bene dictum eſt , quoniam non intelligo , locutionem meam reprehendat , non fidem ; & fortè vere dici potuit planius ; verumtamen nullus hominum ita locutus eſt , ut in omnibus ab omnibus intelligeretur. Videat ergo , cui hoc in ſermone meo displicet , utrùm alios in talibus rebus quæſtionibusve verſatos intelligat , cùm me non intelligit. Et ſi ita eſt , ponat librum , meum , vel etiam , ſi hoc videatur , abjiciat , & eis potiùs quos intelligit , operam & tempus impendat . Non tamen propterea putet me tacere debuiſſe , quia non tam expeditè ac dilucidè quàm illi , quos intelligit , eloqui potui. Utile eſt plures à pluribus diverſo ſtylo fieri libros , non diverſa fide , etiam de quæſtionibus eisdem , ut ad plurimos res ipſa perveniat , ad alios ſic , ad alios autem ſic .

§. III.

De Interpretatione.

Regula 1. *Sensus verborum dependet ex usu loquentium.* S. Basilius, de Spiritu Sancto C. 25. Quid dixit, cum patre filium esse simul & personarum proprietatem & inseparabile consortium expressit, quod idem sit in rebus humanis, in quibus, *Et*, conjunctio declarat operationis consortium; at propositio, *Cùm*, significat etiam communionem. v. g. Navigarunt in Macedoniam Paulus & Timotheus, sed & Tychicus & Onesimus missi sunt Colossensibus. Ex his discimus, illos eandem rem fecisse. Cæterùm si audierimus connavigarunt, & collegæ missi sunt, etiam illud addiscimus, eos actionem pariter operatos esse. At propositio, *In*, declarat rationem ad id, in quo sunt operantes, siquidem cùm audimus, *innavigant*, *inhabitant*, protinus cogitamus scapham, aut domum. Itaque juxta communem usum harum syllabarum talis est inter ipsa differentia. S. Augustinus l. 2. de doctrina Christiana C. 13. Quid est ergo integritas locutionis, nisi Latinæ consuetudinis conservatio loquentium veterum authoritate firmata?

Regula 2. *Sensus verborum magis dependet ex subjecta materia.*

Regula 3. *Sensus verborum potissimùm dependet ex intentione loquentis.* Tertullianus de Monogamia C. 11. interpretationem Ecclesiæ Catholicę de quodam textus D. Pauli sic conatur evertere, vero principio pessimè usus. Hęc erit interpretatio capituli istius de hoc examinanda, an & tempori & causæ, & tam exemplis & argumentis præcedentibus, quàm &

sen-

ſententiis & ſenſibus ſubſequentibus, & inprimis an ipſius Apoſtoli & conſilio propriè congruat, & inſtituto. nihil enim ſic cuſtodiendum eſt, quàm ne diverſus ſibi quis deprehendatur. Lactantius l. 4. Inſtit. C. Græci λόγον dicunt, quem nos verbum ſive ſermonem; λόγος enim & ſermonem ſignificat & rationem, quia ille eſt vox & ſapientia Dei. hunc ſermonem Divinum ne Philoſophi quidem ignoraverunt. Siquidem Zeno rerum naturæ diſpoſitorem atque opificem univerſitatis λόγον prædicat, quem & fatum & neceſſitatem rerum, &, Deum, & animum Jovis nuncupat, ea conſuetudine, qua ſolent Jovem pro Deo accipere. Sed nihil obſtant verba, cùm ſententia congruat veritati. Eſt enim Spiritus Dei, quem ille animum Jovis nominavit. S. Athanaſius l. 3. contra Arrianos. Non dictiones naturam perimunt, ſed potius natura dictiones ad ſe trahit & commutat; ſiquidem verba ſubſtantiis non priora ſunt; ſed primùm exiſtunt ſubſtantiæ; dein dictiones ſupervenium. S. Chryſoſtomus hom. 13. in Epiſt. ad Rom. ad illud: Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Carnem hìc non corpus appellat, ſed vitam carnalem. neceſſe enim eſt, non ad voces ſimpliciter, ſed ad loquentis mentem ubique advertamus, exactamque dictorum diſcretionem perноſcamus. Idem hom. 25. in Epiſt. ad Rom. ad illud: Tu quis es, qui judicas alienum ſervum; Domino ſuo ſtat aut cadit. Illa niſi rurſus ſcopum Pauli, quem ille petit, obſervaverimus, nimirum quod infirmos ante juſtam temporis maturitatem increpari non vult, indigna erunt ea cura, quæ Chriſtianos deceat. Verùm quemadmodum perpetuò inculco, oportet inquirere, qua ſententia quæque dicantur, de qua materia ſeu argumento

mento agatur, quidque corrigere inſtituat, qui loquitur. Idem in C. 1. Epiſt. ad Galatas. ad illud: Neque aſcendi Jeroſolymam ad Apoſtolos. Hæc verba, ſi per ſe expendantur, videntur ſpirare non vulgarem arrogantiam. Cæterùm, ſi cauſam adjecerimus, ob quam hæc dicebat Apoſtolus, & applaudent, & admirabuntur omnes ira locutum. hoc igitur faciamus, non enim oportet verba nuda expendere, alioqui multæ conſequentur abſurditates. neque convenit ſermonem per ſe nudum examinare, ſed obſervare mentem ſcribentis. In humanis enim ſermonibus niſi hac ratione uſi fuerimus, expendentes quid ſenſerit is, qui loquitur, multas inducemus ſimultates, omnia ſubvertentur. Idem hom. 74. in Joa. ad illud: Ego in patre, vos in me, & ego in vobis. In patre enim ſubſtantia, in ipſis concordia & auxilium eſt. Et quamnam rationem habet, dic quæſo? magna ſanè & incomparabilis differentia Chriſti & diſcipulorum. Quod ſi ita verba jacent, noli admirari. ſolet enim nonnunquam iisdem verbis & in Deo, & hominibus non eodem modo uti. Nam & *Dii*; dicimur, & *filii Dei*; quod verbum non eandem in nobis, quàm in Deo vim habet. Et imago filius & gloria dicitur, atque etiam nos, ſed longè aliter. Et iterùm: Vos Chriſti, Chriſtus autem Dei non ſimiliter autem Dei Chriſtus, & nos Chriſti. Et. Sicut miſit me Pater, & ego miſi vos. Vides, quòd in hoc loco idem verbum non eandem vim habet? nam ſi hoc ita acciperemus, nihil inter Apoſtolos & Chriſtum interelſet. Idem homil. 80. in Joa. ad illud: Nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, ut Scriptura impleretur; non tamen propterea periit, ut impleretur. Hic enim pro-

prius

prius modus Scripturæ eſt, ut quæ eventus ſunt, pro cauſa ponat: & omnia diligenter inveſtiganda ſunt, & dicentis mos, & ſubjectum, & Scripturæ lex. Idem Serm. 8. ad illud: Pater, ſi poſſibile eſt, transfer à me calicem. Quid eſt, quod dicit? ignorat, poſſibile eſt hoc ſit, an non poſſibile? verùm non oportet verbis adhærere, ſed ad ſenſa converti, & ſcopum noſſe dicentis, & cauſam, & occaſionem omnibusque collectis ſenſum in eis latentem indagare. S. Auguſtinus l. 2. de conſenſu Evangeliſtarum C. 46. Ex univerſa verborum varietate (in Scripturis) rerum autem, ſententiarumque concordia ſatis apparet, ſalubriter nos doceri, nihil quærendum in verbis, niſi loquentium voluntatem. Idem de Verbis Domini ſerm. 11. ad illud: Spiritus blaſphemia non remittetur. Alii duo Evangeliſtæ, Marcus & Lucas, non dixerunt, blaſphemiam, ſed quandam. Nunquid propter nonnullam verborum diverſitatem recedi-tur ab ejuſdem veritate ſententiæ? nam neque alia cauſa eſt, cùm Evangeliſtæ eadem non eodem modo dicant, niſi ut inde diſcamus res verbis, non rebus verba præponere, nihilque aliud in loquente quærere, niſi voluntatem, propter quam inſinuandam verba promuntur. Cyrillus Alexandrinus l. 3. in Joa. C. 10. ad illud: Si Moyſi non creditis, quomodo verbis meis credetis? Poterit hinc aliquis eo falſitatis devenire, ut ſcripta Moyſis majoris, quàm Salvatoris verba putet dignitatis. Habitus enim ipſe orationis atque figura verbis Salvatoris multò digniora ſcripta Moyſis videtur oſtendere; ſed ipſa natura rerum longè falſum ac omnis plenum inſaniæ hunc ſenſum eſſe perſuadet. Et l. 10 C. 13. ad illud: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agri-

agricola eſt. Ego arbitror, ſi volumus rectè, quæ dicuntur, intelligere, intentionem ſemper nobis eſſe conſiderandam, & ad quod propoſitum Chriſtus verba faciebat. Non intendebat Chriſtus modò alium ſe à Patre natura oſtendere; cur enim, ſi hoc intendit, nihil aliud attulit? &c. Idem l. 9. Theſauri C. 1. ad illud: *Factum ſub lege*. Nihil poſſunt verba rebus derogare, quando Scriptura ipſis abutitur. nam etiam de filiis hominum propriis, facti filii, non nati plerumque dicuntur; neque propter hoc tamen naturaliter filios eſſe quiſquam negaverit. naturæ enim rerum verba, non verbis naturas accommodamus. Et l. 8. Theſauri C. 2. ad illud: Tantò melior Angelis factus. Ante omnia, quando locum Scripturæ aliquem rectè intelligere volumus, tria diligenter conſideranda ſunt. Tempus, quando ſcriptum eſt, quod dicitur, perſona, quæ dicit, vel per quam, aut de qua dicitur; & res, propter quam aut de qua ſcribitur; ſic enim abſque errore poterimus ſenſum verum inveſtigare.

Regula 4. *Senſus verborum rectè colligitur ex acceptione & exſpectatione audientium*, quia loquentes præſumuntur illum ſenſum intendere, quem prævident verbis ſubjiciendum ab audientibus: Rectè Tertullianus l. de Carne Chriſti C. 3. ait: Si naſci Deus noluiſſet, nec hominem ſe videri præſtitiſſet. Nam quis hominem videns eum negaret natum? Itaque quod noluiſſet eſſe, nec videri omnino voluiſſet: Omnis rei diſplicentis etiam opinio reprobatur, quia nihil intereſt, utrùm ſit aliquid, an non ſit, ſi cùm non ſit, eſſe præſumitur. Idem dici poteſt de ſenſu verborum, quem quis prævidet oriturum in mente audientium.

S. Atha-

S. Athanaſius Epiſtola ad Serapionem. Dicite, ubi in Scripturis Sanctis reperitis Spiritum Sanctum ſimpliciter nominari Spiritum ſine additamento, Dei, aut Patris &c. Excipiatur ab hac regula, cùm, quod priùs diſtinctè commemoratum eſt de ſpiritu, poſteà ſimpliciter repetitur, ibi enim ex ſuperioribus cognoſcitur, de quo ſpiritu mentio fiat, etiamſi in ſequentibus nudum tantummodo ſpiritus vocabulum ſit poſitum. aut quando ad illos fit ſermo, qui jam ſciunt, de quo ſpiritu intelligendum ſit, quod dicitur. ut ad Galatas: Ex operibus legis accepiſtis ſpiritum, an auditione fidei? utpote quibus cognitum erat, ſe eum ſpiritum accepiſſe, qui datur credentibus per lavacrum regenerationis. Quale & illud ad Theſſalonicenſes. Spiritum nolite extinguere, qua forma verborum uti voluit, quia & ipſi ſciebant, quem ſpiritum accepiſſent. In Evangeliis, ſi Evangeliſtæ loquantur: Jeſus plenus ſpiritu reverſus eſt à Jordane. Jeſus ductus eſt à ſpiritu in deſertum; eandem rationem iſta dicta in ſe continent; ſiquidem priùs dictum fuit à Luca: Contigit deſcendere Spiritum Sanctum inſtar columbæ ſuper eum. Undè liquet, cùm ſpiritum poſteà ſimpliciter dicit, Evangeliſtam hoc de Spiritu Sancto dicere. S. Hilarius in Pſalmum 135. Non eſt otioſus ſermo Propheticus, neque ex inanibus ac ſuperfluis cauſis ſpiritualis loquela eſt. ſi enim in viris prudentibus ſpectari id maximè ſolet, ut ea, quæ loquuntur, gravitate eorum, doctrinaque digna ſint; omnisque ſermo non ſit fortuitus & vagus, ſed ex rationalibus cauſis profectus, & expectationi audientium utilis, & Authori congruus differentium; quanto magis id in cœleſtibus eloquiis opinandum eſt? S. Chryſoſtomus hom. 37. in Joa.

ad illud: Pater meus operatur, & ego operor. Hæc verba ſunt, æqualem ſe patri facientis. Nulla enim in his verbis differentia eſt. Quòd ſi aliter ſenſiſſet, ſed Judæi ſic perperam intellexiſſent, nentiquam falſam illorum opinionem prætermiſiſſet, ſed ſeriò correxiſſet, Neque verò idipſum ſilentio texiſſet Evangeliſta, ſed apertè indicaſſet talem eſſe Judæorum ſuſpicionem, cùm ipſe Deo ſe æqualem non faceret: quemadmodum alio in loco, cùm videret particulam illam: Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, aliter à Chriſto dictam; hoc eſt, de carne ſua; aliter à Judæis intellectam de ſuo videlicet templo, ideoque dixerint: Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt hoc templum, & tu tribus diebus excitabis illud? cùm igitur aliud ipſe dixiſſet, illi verò aliud ſuſpicarentur, hoc innuens Evangeliſta, & illorum corrigens ſuſpicionem, ſubjunxit: Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Ita ſi hoc in loco aliter Chriſtus ſenſiſſet, quàm illi eſſent ſuſpicati, profectò dixiſſet, Judæos quidem credidiſſe, Chriſtum æqualem ſe Deo facere, ipſum autem non de ejusmodi æqualitate locutum. Neque hic tantùm, ſed & alius Evangeliſta hunc morem ſervat corrigendæ ſuſpicionis. Cùm enim dixiſſet diſcipulis Jeſus. Cavete vobis à fermento Phariſæorum; & illi cogitaſſent intra ſe: Quia panes non accepimus; Jeſus autem pro fermento doctrinam acciperet, ipſe Jeſus eos arguendo ſuam ſententiam exponit: Nondum intelligitis, quia non de pane dixi vobis? hic verò nihil corrigit. Idem hom. 38. in Joa. ad illud: Non quæro voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me. Non modò in his quid dicatur, ſed quid auditores ſenſerint, inquirendum eſt, & ſecundùm eorum opinionem verba

me-

metienda ſunt, ac utrùm ad ea reſponderit; aliter multa ſequerentur abſurda. Conſidera quæſo; *non quæro voluntatem meam*; ergo diverſę eſt voluntatis? quid ergo ſibi vult? tanquam homo, & ſecundùm auditorum opinionem loquitur. Et hom. 39. in Joa. ad illud: Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum non eſt verum. Huic contrarium videtur, quod alibi Chriſtus dicit: Si ego teſtimonium perhibeo de me, teſtimonium meum verum eſt. Quid ſibi vult hic ſermo? diligenter invigilandum, ne nudis verbis inſiſtamus. Ita Hæretici in errorem incidunt, neque ſententiam, neque audientis habitum inquirentes, niſi enim tempora, locos, auditorem, & alia hujuſmodi conſideremus, multa ſequentur abſurda. Quęnam ergo ſententia? dicturi erant Judæi, ſi tu teſtimonium perhibes de te ipſo, teſtimonium tuum non eſt verum. Idcirco pręoccupavit Jeſus, quaſi diceret: fortaſſe dicetis, vos mihi non credituros &c. illa autem particula: *Non eſt verum*, non eſt temerè legenda; ſed ad illorum opinionem referenda, hoc eſt, *vobis non eſt verum*. non enim ex authoritate ſua loquitur, ſed pro auditorum ſuſpicione, quam arguit.

Regula 5. *Nonnunquam aliqua dicuntur non ex propria ſententia, ſed juxta opinionem erroneam temporum vel auditorum, biſtoricè, vel hypotheticè.* S. Chryſoſtomus in Pſal. 6. ad illud; Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quando furorem & iram de Deo audiveris, nihil humanum ſuſpiceris. ſunt enim verba, quibus ſe accommodat, & ad captum noſtrum demittit; Deus enim ab his omnibus liber eſt; ita autem loquitur, ut in craſſiorum cadat intelligentiam. nam nos quoque, quando loquimur cum barbaris, illorum

lingua utimur; & ſi cum puero loquimur, unà cum eo balbutimus. Id etiam fit in rebus, ut qui & manus mordeamus, & iram ſimulemus, ut puerum corrigamus. Ita etiam Deus craſſiores afficere volens, talibus verbis uſus eſt. S. Hieronymus in C. 28. Jeremiæ. ad illud: Dixit Ananias Propheta &c. & dixit Jeremias Propheta ad Ananiam Prophetam. Septuaginta Prophetam non dixere Ananiam, ne ſcilicet Propheram viderentur dicere, qui Prophe-ta non erat; quaſi non multa in Scripturis Sanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo geſta referuntur, & non juxta quod veritas rei continebat. Joſeph in Evangelio Pater Domini vocatur, & Maria loquitur ad filium. Ego & pater tuus dolentes quærebamus te.

Regula 6. *Senſus verborum dubius debet deſumi ex contextu. Ut nempe ex antecedentibus, conſequentibus, ordine dicendorum, & toto doctrinæ ſyſtemate ille ſenſus colligatur, qui toti congruit.* S. Athanaſius l. 4. contra Arrianos. ad illud. De hora illa nec filius ſcit. Atqui ſeries lectionis oſtendit filium Dei illam diem & horam probè ſcire. Recenſet enim ea, quæ diem illam antecedunt. Jam, qui ea, quæ diem illam antecedunt, eloquitur, omnino in cognitione ſua diem habet, quæ poſt res prænuntiatas ſecutura eſt. Veluti, ſi quis domum vel civitatem ignaro certis ſignis demonſtrare cupiens, ea quæ ante domum vel civitatem conſiſtunt, percenſeat, qui de pariete clamaverit, intellexiſſe Dominum Salvatorem, & Scarabeum de ligno loquentem latronem, qui Dominum Blaſphemaverit; quòd licèt piè poſſit intelligi, tamen

tamen quomodo cum univerſo Prophetiæ contextu poſſit aptari, non invenio. Idem in C. 5. Epiſt. ad Epheſ. ad illud: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Scio me audiſſe quendam de hoc loco in Eccleſia diſputantem. Teſtimonium hoc, inquiebat, ob Adam dicitur in loco Calvariæ ſepultum, ubi crucifixus eſt Dominus. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus ſuper ejus pendebat ſepulcrum, hæc Prophetia completa eſt, dicens: Surge Adam, qui dormis, & exurge à mortuis. Hęc tunc in populo dicta plauſu ac tripudio excepta ſunt. Unum quod ſcio loquor; Cum loci iſtius interpretatione atque contextu ſenſus iſte non convenit. Theodoretus dialogo 3. de Impatibilitate Divinæ naturæ. Ubi Eraniſtes volebat probare, divinam naturam in Chriſto paſſam eſſe, quia Deus ſic voluit, & quia quod vult, poteſt. Reſpondet: Deus nihil vult eorum, quæ non ſibi ſuapte natura inſunt; poteſt autem, quæcunque vult; vult autem, quæ ſunt ſuæ naturæ convenientia. *Eraniſtes*. Job abſolutè dixit: Scio, quod omnia potes, & nihil tibi eſt impoſſibile. *Orthodoxus*. Si legeris, quæ à juſto antea dicta ſunt, horum quoque ſcopum & inſtitutum ex illis invenies. Sic autem dicebat: memento, quòd ſicut lutum feceris me, & in terram reduces me &c. & viſitatio tua cuſtodivit ſpiritum meum. His ſubjungit: Hæc habens in meipſo ſcio, quòd omnia potes. Quæcunque ergo his conveniunt, & à corruptione & interitu alienam decent naturam, poſſe dicit univerſorum Deum.

Regula 7. Unus potiùs textus torquendus eſt, quàm multi. Tunc nempe, quando omnes non poſſunt ſumi in ſenſu obvio ac proprio, Irenæus l. 5. contra hær. C. 13.

probans ex Scriptura dari Reſurrectionem corporum, ait: In hisomnibus Hæretici aut contradicentem ſibi Apoſtolum dicent quantum ad illud: Caro & ſanguis Regnum Dei poſſidere non poſſunt; aut iterùm malignas & extortas cogentur omnium dictorum facere expoſitiones ad tranſvertendam & immutandam ſententiam dictorum. Quid enim dicere habebunt ſanum, ſi conabuntur aliter interpretari hoc quod ſcribit: Oportet enim corruptibile hoc induere corruptelam, & mortale hoc induere immortalitatem? & reliqua omnia, in quibus Apoſtolus manifeſtè & clarè reſurrectionem & incorruptelam carnis prædicat. Cogentur itaque hæc tanta malè interpretari, qui unum benè nollunt intelligere.

Regula 8. *Textus dubius per certiorem explicari debet.* Tertullianus l. de Reſurrectione C. 19. Hæc diſpectio fidem defendens vocabulorum illuc proficere debebit, ut ſiquid pars diverſa turbat obtentu figurarum & ænigmatum, manifeſtiora æquè prævaleant, & de incertis certiora præſcribant.

Regula 9. *Per ſe ſemper ſtat præſumptio pro ſenſu proprio.* Tertullianus l. de Carne Chriſti C. 14. Perverſiſſimum eſt, ut carnem nominantes animam intelligamus, & animam ſignificantes carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi, quàm ſunt, & amittere, quod ſunt, dum aliter accipiuntur, ſi aliter quàm ſunt, cognominantur. Fides nominum ſalus eſt proprietatum. Etiam dum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum poſſeſſiones v. g. argilla excocta teſto vocabulum ſuſcipit, nec communicat vocabulo priſtini generis.

Regula 10. *Ille ſenſus non eſt propriùs verba, qui aliis verbis conſtanter exprimitur.*

Sic

Sic Tertullianus l. de Virginibus velandis C. 4. & 5. ostendit per nomen mulieris non significari conjugatam, quia talis per nomen uxoris exprimitur. Nobis opponitur, inquit, nullam mentionem virginum ab Apostolo factam, ubi de velamine præfinit, sed tantùm mulieres nominatas. Sed Spiritus Sanctus uno nomine mulieris etiam virginem intelligi voluit, quàm propriè non nominando à muliere non separavit. Naturaliter compendium sermonis & gratum & necessarium est, quoniam sermo laciniosus & onerosus & vanus est. Sic & generalibus vocabulis consenti sumus comprehendentibus in se specialium intellectum. Generale vocabulum est mulier; speciale virgo, vel nupta, vel vidua. Subjectum est igitur generali speciale; nominando mulierem, quidquid est mulieris nominavit. Sed probari à nobis debet, proprietatem ejus vocabuli ad sexum ipsum, non ad gradum sexus pertinere. quia ubi Eva mater viventium est, uxor & non virgo prænuntiatur; Ecce hoc erit vocabulum nupturæ. S. Athanasius l. 3. contra Arrianos ex eo, quòd generatio æterna Verbi constanter alio verbo exprimatur, quam per τὸ *creari*. aut *fieri*, ostendit, ista non esse nomina propria. Ubicunque, inquit, Scriptura filium proponit, non per τὸ *creavit*; sed omnino per vocabulum *genuit* denotare solet. S Hilarius l. 6. de Trinitate volens probare, Christum propriè esse filium Dei; ait: Anne ò miser, quisquis hodie es Heretice, beatiorem Petrum futurum existimas, si dixisset: Tu es Christus, perfecta Dei creatura, & supereminens facturis omnibus factura, qui nomen filii adoptione meruisti? Cur non hanc confessionis fidem pater Petro revelavit? invidit credo hoc Petro Deus, ut hæc nunc vobis novis prædicatoribus reservaret. Sed Deum

unigenitum filium Joannes dixit, non creaturam perfectam; non ignoravit hæc blasphemiæ nomina. &c.

Regula 11. *Si adsit urgens ratio recedendi à proprietate verborum, non est eidem mordaciter insistendum.* Origenes Philocalium C. 26. Quoniam in eloquendo interdum propriè loquimur, interdum etiam per abusionem vocabulorum, non mirum, si aliquando bonorum & malorum denominationem rebus externis tibutam reperiamus e. grat. descenderunt mala in portas Ierusalem. Intellectis igitur rebus nos non oportet esse malignos circa vocabula, sed animadvertere, quando propriè de rebus proponantur, quando per abusionem quadam nominum penuria.

Regula 12. *Tunc in Scriptura primùm recurrendum est ad sensum metaphoricum, quando non potest haberi sensus litteralis utilis.* Gregorius Nyssenus in Cantica Procem. Quoniam nonnullis videtur, Sacræ Scripturæ literam & dictionem perpetuò esse sequendam; nec assentiuntur per ænigmata, & allegorias, & sensus arcanos aliquid dictum esse ad nostram utilitatem, existimo, primum esse necessarium, iis respondere, qui de iis nos accusant, & ostendere, quòd nihil absurdum & alienum facimus, si ex Scriptura omni modo veneremur utilitatem; ut si prosit quidem dictio intellecta, ut dicta fuit, promptum & paratum habeant id, cujus tenentur studio; siquid autem occultè dictum ad utilitatem sit planè otiosum, si spectatur sensus qui est in promptu, se conferant ad intelligendum vel tanquam parabolam id, quod factum est, vel tanquam obscuram orationem.

Regula 13. *In rebus magni momenti servatur proprietas nominum.* Hilarius lib. 6. de

de Trinit. Scribens Evangeliſta ſcribendi afferre debuit rationem. Videamus, quam oſtenderit. Hæc autem ſunt ſcripta, ut credatis, quoniam Jeſus eſt Chriſtus filius Dei. Non eſt ergo nomen filii in Chriſto ex adoptionis conſuetudine, quod proprium eſt ad ſalutem. Si ſalus in confeſſione nominis eſt, quæro cur in nomine veritas non ſit?

Regula 14. *Qui verba in ſenſu improprio accipit, tenetur dare rationem.* Epiphanius hæreſi 69. Chriſtum eſſe creaturam confitemur, inquiunt, quandoquidem Chriſtus & janua vocatus eſt, & petra, & agnus &c. ſic, inquiunt, etiam creaturam dicimus; abuſivè enim nos confiteri oportet. Fuge malam hanc opinionem. Dent enim nobis hujus uſus rationem; nam omnia illa abuſivè dicta ſunt Minimè in Deitatem filii irruentia. Oſtium dicitur; quia per illum ingredimur; agnus propter innocentiam, & ſiquid aliud eſt ejuſdem uſus, quod confert ad ſalutem hominum. Quid igitur creatura profuerit? Quid nobis prodeſt ipſum dicere creaturam?

Regula 15. *Ille cenſetur verbis propriis, quem iisdem ſubjiciunt etiam hoſtes inviti.* S. Hilarius l. 6. de Trinit. Interrogat Dominus; Tu credis in filium Dei? an hujus nominis proprietatem dæmones neſcierunt? clamant enim, & perſæpe clamant. Quid mihi & tibi eſt Jeſu fili Dei altiſſimi? invitis veritas elicuit confeſſionem, & naturæ poteſtatem teſtatur dolor obediendi. Judæi, qui Chriſtum corporeum neſciebant, ſciebant tamen, eum qui Chriſtus eſſet, eſſe filium Dei. Sacerdos eum interrogat. Tu es Chriſtus filius Dei? non interrogant; an Chriſtus filius Dei ſit, ſed an hîc ſit Chriſtus filius Dei? non ambigitur, quòd Chriſtus Dei filius ſit, tamen, quòd hic ſit negatur.

tur. Ille confitendo ſe Dei filium reus mortis ab his judicatur. Profeſſio ejus ita Judæis, ut tibi displicet.

Regula 16. *Senſus verborum non ex præjudiciis de objecto accipiendus, ſed ex ipſis verbis.* S. Hilarius l. 1. de Trinit. Dei naturam non naturæ ſuæ legibus metiatur, ſed divinas profeſſiones ſecundùm magnificentiam Divinæ de ſe proteſtationis expendat. Optimus enim lector eſt, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumpſerit intelligendum.

Regula 17. *In translatitiis ex alia linguâ non multum urgenda proprietas ac emphaſis verborum.* Quando adeſt ratio ſuſpicandi in textu originali non contineri eandem vim. Ratio eſt, quia frequentiſſimum eſt, ut non ſit eadem vis verborum in translatitiis & originali textu. S. Ambroſius in Pſal. 37. Senſus nobis ſemper ſpectandus eſt in ſcripturis, quem tamen ipſum frequens translatio ex Hebræo in Græcum, ex Græco in Latinum attenuare conſuevit. Idem in Pſal. 118. Octon. 14. Non poſſumus in omnibus vim Græci ſermonis exprimere; major in Græco plerumque vis & pompa ſermonis eſt. τέλος dicitur græcæ, quod nos latinè & finem dicimus & conſummationem. τέλος autem & conſummationis ipſius finis eſt. S. Hieronymus Epiſt. 89. ad S. Auguſtinum. Dicis, in Jonam Prophetam malè quiddam interpretatum, & ſeditione populi conclamante Epiſcopum propter unius verbi diſſonantiam pene ſacerdotium perdidiſſe. Et quid ſit illud, quod malè interpretatus ſim, mihi ſubtrahis, niſi fortè quod hederam pro cucurbita tranſtulerim. Hoc nunc dixiſſe ſufficiat,

quòd

quòd in eo loco, ubi Septuaginta Interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis hederam tranſtulérunt, in Hebræo volumine Cicaion ſcriptum eſt, eſt autem genus virgulti lata habens folia in modum pampini, cùmque plantatum fuerit, citò exurgit in arbuſculàm absque ullis calamorum & haſtilium adminiculis, quibus & cucurbitæ & hederæ indigent, ſuo trunco ſe ſuſtinens. Hoc ergo verbum de verbo transferens, ſi Cicajon transferre voluiſſem, nullus intelligeret, ſi cucurbitam, id dicerem, quod in Hebraico non continetur. Hederam poſui, ut cæteris interpretibus conſentirem. Peto in fine Epiſtolæ, ut quieſcentem ſenem, olimque veteranum militare non cogas, & rurſum de vita periclitari. Idem de optimo genere interpretandi. C. 2. Cùm Euſebii Cęſarienſis Chronicon in Latinum verterem tali inter cætera uſus ſum præfatione: Difficile eſt alienas lineas inſequentem non alicubi excidere, & arduum, ut quæ in aliena lingua bene dicta ſunt, eundem decorem in translationem conſervare. Significatum eſt aliquid unius verbi proprietate; non habeo meum, quo id efferam, & dum quæro implere ſententiam, longo ambitu vix brevis viæ ſpatio conſumo. Accedunt hyperbaton anfractus, diſſimilitudines caſuum, varietates figurarum, ipſum poſtremò ſuum, & ut ita dicam, vernaculum linguæ genus. Idem in C. 40. Ezech. Lectorem admonendum puto, ut ſciat, omnia propè verba quę in Græca & Latina translatione ſunt poſita, nimia vetuſtate corrupta, ſcriptorumque vitio depravata, & dum de inemendatis ſcribuntur inemendatiora, de verbis Hebraicis facta eſſe Sarmatica, immò nullius gentis, dum & Hebræa eſſe deſierint, & aliena eſſe non cœperint. S. Chryſoſtomus hom. 2. de

Prophetiarum obſcuritate. Quænam igitur eſt ſecunda cauſa, propter quàm difficilius Vetus Teſtamentum eſt, quàm Novum. Non habemus nativo ſermone apud nos ſcriptum Vetus Teſtamentum; ſiquidem à principio Hebraico conſcriptum eſt idiomate; nos autem Græca lingua expreſſum accepimus; cùm verò interpretatione in aliam linguam translatum fuerit, maximam habet difficultatem. Atque hoc probè ſciunt, quicunque multas linguas callent, fieri non poſſe, ut pari perſpicuitate ſententias omnes ex nativa ſua lingua in alteram interpretando transferamus. S. Auguſtinus l. de vera religione C. 50. Intelligamus, quomodo ipſa locutio ſcripturarum ſecundùm cujusque linguæ proprietatem accipienda ſit. Habet enim omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cùm in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda.

Regula 18. *Verba de objectis altioribus non ſunt ex ſenſu populi explicanda.* Origenes hom. 4. in c. 6. Levit. Puto, quòd verba Dei non debeant ſecundùm incapacitatem audientium ſed ſecundùm Majeſtatem loquentis intelligi.

Regula 19. *Ille ſenſus convenit parti, qui convenit toti.* id eſt, toti doctrinæ. Euſebius l. 6. Demonſt. Evang. Si quis dicat, ſub Antiocho Epiphane hæc completa fuiſſe, etiam atque etiam conſideret, utrùm poſſit etiam reliqua, quæ ex hac Prophetia ſuperſunt, ad Antiochi tempora referre, cujusmodi illud eſt, quod populus ſervitutem ſit paſſus, quòd pedes Domini in monte Olivarum ſteterint, ut dominus in illa die Regnum obtinuerit in omnem terram; utrùm nomen Domini ambierit omnem terram, quo tempore Antiochus Syriam obtinuit.

Regula 20. *Ille ſenſus non convenit verbis, qui non convenit ſimilibus verbis, aut viciſſim.*

Euſe-

Euſebius L. 7. demonſt. Evang. ad illud Eſa. Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet; & erit Juſtitia cingulum lumborum ejus, & poſcetur ſimul lupus cum agno, & bardus cum hædo, &c. Quæ de feris manſuefaciendis dicuntur, per figuram referri poterunt ad mores hominum feros, qui per Chriſti doctrinam feritatem abjecerint. Planiſſimè autem horum figuratus ſenſus aperietur, ſiquis radicem Jeſſe, & virgam, & florem interpretetur, exponatque, qua ratione intelligatur juſtitia latera cinxiſſe, & veritate lumbos induiſſe. Sicut enim hæc non poſſumus aliter, quàm per figuratam expoſitionem interpretari, ita ſequitur, ut ea quoque accipiamus, quæ variis locis ſub animalium nominibus proferuntur Theodoretus in Geneſin. quæſt. 20. Hæretici coacervant mille loca, quibus membra Dei appellantur. Adverſus quos opponemus Scripturæ verba eorum opinioni contraria. ex Zacharia. Septem oculi domini reſpiciunt ſuper univerſam terram. Quòd ſi Deus ſeptem oculos habet, nos autem duos tantùm, non ad ejus ſimilitudinem creati ſumus. ſed neque nos præditi ſumus alis, cùm tamen de Deo dicatur: ſub pennis ejus ſperabis. At quomodo cœlum, cùm ſit ſphæricum; thronus Dei eſſe poteſt, aut terram ſcabellum pedum ejus?

Regula 21. *Denominatio plerumque ſumitur à potiori vel præſtantiori.* Ephrem Serm. exhort. ad fratres Paulus per temperamentum plurium nomina præſtantiorum univerſo attribuit homini, adeò ut ſi caro ſuperaverit, carnalis ſit homo ille; ſin vicerit anima, ſpiritualis. S. Ambroſius l. 1. Hexameron C. 10. ſcriptura diei & noctis tempora diei appellatione concluſit, & tanquam principalis ſibi authoritatem nominis vindicavit. Et hanc ſcripturæ eſſe conſuetudinem, ut

potio-

potiori appellationem deputet. frequentibus exemplis probamus ſiquidem & Jacob dixit Dies annorum meorum vitæ pauci & mali: non & noctes. Deus ergo ſtatuit, ut viginti quatuor horæ diurnæ & nocturnæ diei tantùm nomine definiantur, quia nectuntur ſecunda potioribus. S. Hieronymus Proœm. in Epiſt. ad Gal. Et in Occidente Græci ſepe acuminis reperiuntur ingenia, & in Oriente ſoliditatem barbaram redolent. Nec hoc dicimus, quòd non è regione ubique diverſa naſcantur; ſed quod ex magna parte etiam cętera, quæ non ſunt ſimilia, nuncupentur. Itaque non mirum eſt, ſtultos & ad intelligentiam tardiores Galatas appellatos, cùm & Hilarius Gallus ipſe Gallos indociles vocet. Cyrillus Alexandrinus Epiſt. 1. ad Solitarios: Licet corporum tantum matres fiant, attamen totum hominem parientes, qui ex anima & corpore conſtat, non partem illius parere dicuntur. Quòd ſi alicujus quisquam matrem carniparam, non etiam animæparam dixerit, plavè periſſologiam committet: Peperit enim ex diſſimilibus compoſitum, & ex duobus quidem, attamen unum hominem. Idem Epiſt. 35. ad Acacium. Aliæ voces in Chriſto ita ſunt comparatæ, ut Divinitati potiſſimùm competant; aliæ verò magis ad humanitatem pertinent, ita tamen, ut & divinitati & humanitati competentes voces uni adſcribantur filio.

Regula 22. *Denominatio ſimpliciter talis præſumitur optimè velle explicare naturam.* Sic prima perſona in Trinitate vocatur Pater, non ingenitus. Cyrillus Alexandrinus l. 1. Theſauri C. 2. Nomen Patris filii nomen neceſſariò intellectum inducit. Nomen verò ingeniti, quòd Deus ſcilicet genitus non ſit, genitorum memoriam opponit,

Igitur

Igitur multò melius inde nominare Deum, undè filii quoque cognitio sequitur, quàm indè, undè creaturarum notitia subditur, quæ ad cognitionem Trinitatis nihil conducit.

Regula 23. *Denominatio potest significare omnes possibiles relationes.* v. gr. relationem causæ significat, cùm Christus vocatur mors malis, vita bonis.

Regula 24. *Similitudo præsumitur desumi ab iis, quæ sunt in rebus obvia.* Irenæus l. 2. C. 40. volens probare, quòd duodecim æones non sint præfigurati per mulierem Evangelicam passam duodecim annis profluvium sanguinis, ait: Quia autem hæc undecim omnino annis passa est, & non est sanata, duodecimo autem anno sanata est, quomodo potest esse typus duodecimi æonis, ex quibus undecim omnino nihil passi sunt, solus autem duodecimus participatus est passionem; typus enim & imago secundùm materiam & secundùm substantiam aliquoties à veritate diversus est; secundùm autem habitum & lineamentum debet servare similitudinem, & similiter per præsentia ostendere illa, quæ non sunt præsentia.

Regula 25. *Similitudo non exprimit unitatem ac convenientiam naturæ.* Athanasius l. 4. cont. Arrianos ad illud: Ut sint unum, quemadmodum & nos unum sumus. Illa vox quemadmodum, addita est, quoniam quæ talia ex natura non sunt, qualia illa, cujus imitationem affectant, non eadem, sed similia redduntur.

Regula 26. *Vera similitudo non semper ducitur à re vera.* quia & scriptura ex fabulis sumit comparationes. Gregorius Nyssenus hom. 9. in Cantica. Nemo aspiciens, quòd

quòd non ſint probabilia, quæ dicuntur de cinamomo, reprehendat verbum, ut quod ex iis, quæ non ſunt vera, ſponſæ laudem tribuat. ſit enim ſæpe Sancta Scriptura etiam ab externis fabulas accipere ad opem ſuo ſcopo ferendam, & citra pudorem meminiſſe aliquorum nominum ad ſenſum propoſitum evidentius indicandum, ſicut in filiabus Job, quarum pulchritudinem verbum ſupra modum admiratum etiam per nomina oſtendit excellens earum miraculum, dicens, unam quidem dici diem. alteram verò Caſiam; tertiam autem Cornu Amaltheæ. Hoc autem cuivis perſpicuum, quòd de Amaltheæ fabulosè Græcam confinxit narrationem, quam cùm eſſet capta, fabulantur fuiſſe nutricem illius Arietis, cujus cum cornu cecidiſſet, fabula fecit ex concavo fluere omne genus frugum ac fructuum copiam.

Regula 27. in ſimilibus non eadem materia; ſed una ratio ſimilium quærenda. S. Ambroſius in C. 13. Lucæ ad illud: Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis: Docet nos præſens lectio, naturam comparationum ſpectandam eſſe, non ſpeciem, nunc ex natura ſinapis quæ ſit virtus comparationis, æſtimemus.

Regula 28. In ſimilitudine de eodem diverſa, & ſub iisdem verbis diverſa intelliguntur. S. Auguſtinus, tract. 46. in Joa. Diverſa inter ſe ſunt in rebus humanis paſtor & ovis, oſtiarius & oſtium, & tamen dominus paſtorem ſe dixit & oſtium; idem & ovis dicitur, & oſtiarius. Hæc omnia ſecundùm ſimilitudines accipite. non ſecundùm proprietates. Idem de Monomachia David. C. 6. Quæ allegoricè ponuntur in ſcripturis, non ſemper idem ſigni-

ſignificant. Non ſemper mons dominum ſignificat, non ſemper lapis dominum ſignificat, non ſemper bonum, non ſemper malum. Idem de Jacob & Eſau C. 21. Novimus, quid ſit petra, & tamen de homine abſurdo & duro dicitur, Petra. & de homine robuſto & immobili dicitur, petra; ad laudem indè dixiſti firmitatem, & ad vituperationem duritiam, in leone fortitudinem novimus, & tamen leo etiam diabolus nominatus eſt, & Chriſtus.

Regula 29. *Ubi eſt eadem denominatio, non ſemper eſt eadem cauſa denominationis*, S. Auguſtinus in Enchirid. C. 38. & 39. Illud movet, quomodo dictum ſit, Natus de Spiritu Sancto, cùm filius nullo modo ſit Spiritus Sancti. neque enim, quia Deus mundum iſtum fecit, fas eſt dicere eum Dei filium: aut eum natum de Deo, ſed factum vel creatum, vel hujuſmodi. Hunc ergo cum confiteamur, natum de Spiritu Sancto, & Maria Virgine, quomodo non ſit Filius Spiritus Sancti, & ſit filius virginis Mariæ, cùm & de illo & de illa ſit natus, explicare difficile eſt; procul dubio enim non ſic de illo ut patre, ſic autem de illa, ut de matre natus eſt. non igitur concedendum eſt, quidquid de aliqua re naſcitur, continuò ejuſdem rei filium nominandum, ut enim omittam alia, aliter de homine naſci filium, aliter capillum, pediculum vel lumbricum, quorum nihil eſt filius. Ut ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur, certè qui naſcuntur ex aqua & Spiritu Sancto, non eos aquæ filios ritè dixerit quiſpiam, ſed planè dicuntur filii Dei patris & matris Eccleſiæ. Sic ergo de Spiritu Sancto natus eſt filius Dei patris, non Spiritus Sancti. Nam & illud, quod de capillo, & cæteris diximus, ad hoc tantùm valet, ut admoneamur, non omne, quod de aliquo naſci-

naſcitur, etiam filium ejus, de quo naſcitur, poſſe dici. Sicut non omnes, qui dicuntur alicujus filii, conſequens eſt, ut de illo etiam nati eſſe dicantur; ſicut ſunt, qui adoptantur. Dicuntur etiam filii gehennæ, non ex illa nati, ſed in illam præparati, ſicut filii regni qui præparantur in regnum.

Regula 30. *Quæ dicuntur comparativè talia, non dicuntur abſolutè talia.* S. Auguſtinus de mendacio C. 5. Omnis enuntiatio ad id, quod enuntiat, referenda eſt. De obſtetricibus, de quibus conſtat aliud pro alio nuntiaſſe Pharaoni, dicunt, pro gradu ſuo approbatas, & remuneratas à Deo. qui enim nocendi cauſa mentiri ſolet, ſi jam conſulendi vel proficiendi cauſa mentiatur, multùm proficit. Sed aliud eſt, quod per ſeipſum laudabile proponitur; aliud quod in deterioris comparatione præponitur. aliter enim gratulamur, cùm ſanus eſt homo; aliter, cùm melius habet ægrotus. nam in ſcripturis ipſis juſtificata eſſe dicitur Sodoma in comparatione ſcelerum populi Iſrael. Et ad hanc regulam diriguntur omnia mendacia, quæ proferuntur de veteribus libris, nec reprehenſa inveniuntur, vel reprehendi non poſſunt, ut aut indole proficientium & ſpe approbentur, aut non ſint mendacia.

Regula 31. *Quæ comparantur ad invicem, poſſunt tamen in immenſum differre.* Cyrillus Alexandrinus l. 8. Theſauri ad illud: Tanto melior Angelis factus. Adminiſtrationis hìc & gloriæ, non naturæ inter filium & Angelos comparatio fit, & certè comparatio melioris in Scriptura non in quacunque differentia ſolùm, verùm etiam in immenſa aut ſecundùm naturam, aut ſecundùm dignitatem, aut ſecundùm menſuram gratiæ: dici-

dicitur. Quantum ad menſuram gratiæ. Melior, inquit, una dies in atriis tuis ſuper millia. nihil enim æquale inveniri poteſt cœleſtibus atriis. Et rurſus. Melior eſt ſapientia quàm lapides electi. Et Deus apud Iſaiam de Eunuchis. Dabo eis nomen æternum, quod melius eſt, quàm filii & filiæ. Igitur diverſa ſpecie comparationem melioris ſuſcipiunt. nulla enim communitas naturæ lapidis cum natura ſapientiæ. Non erit ergo Angelis ſimilis filius, ſed melior illis, in infinitum.

Regula 32. *Expoſitio, quæ ducit ad abſurda, etiam ipſa eſt abſurda.* Cyrillus Alexandrinus l. 2. Theſauri. C. 4. ad illud: Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſta. Joannes inter natos mulierum non major tempore dicitur, ſed virtutis ſublimitate, qua ad eos pervenit terminos, quò natura humana pervenire poteſt. Quare etiam Chriſtus non tempore minor dicitur. ridiculum enim eſſet à magnitudine temporis metiri virtutis celſitudinem. Neceſſariò ergo ſequi videtur, in virtute & ſanctitate comparationem fieri, & ſic. ſi comparatio fieret etiam ad Chriſtum, minor Joanne in ſanctitate Chriſtus videbitur, quod abſurdiſſimum eſt. Cùm igitur hæc expoſitio ad abſurda deveniat, rejicienda omnino eſt. Sed nos, inquiunt, veram, ſimplicem, nec magna cura quæſitam expoſitionem inducimus.

Regula 33. *Particulæ comparativæ non important adæquatam ſimilitudinem.* Cyrillus Alexandrinus l. 5. Theſauri C. 1. ad illud: Ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Chriſtus hoc dixit, ut exemplar uniendarum voluntatum naturalem ſuam unitatem cum patre credentibus proponeret. Similitudinis enim adverbia, *ſicut*, *quaſi*, *veluti*,

lati, cæteraque hujuſmodi non totam rem eandem toti ſignificant, ſed ſimilitudinem aliquam oſtendunt.

Regula 34. *Senſus debet deſumi ex antecedentibus & conſequentibus, ubi verba ſunt dubia.* Cyrillus Alexand. l. 8. Theſ. C. 2. ad illud: Melior Angelis effectus. *Fieri & factum eſt*, per ſe ſolumque dictum multa ſignificat, ſed ab antecedentibus, conſequentibuſque verbis poteſtas apparet ſua. Aliud enim ſignificat factus, ſi de homine dicitur, aliud ſi de Architecto, aut lapicida. Si ergo Chriſtus melior Angelis effectus dicitur, comparatio non ad naturam fertur, ſed ut ab antecedentibus conſequentibuſque percipitur, ad honorem atque dignitatem.

Regula 35. *Modus verbo additus quandoque illud tranſfert ad aliud ſignificatum.* Cyrillus Alex. l. 4. de Trinit. ad illud: Dominus condidit me initium viarum ſuarum ad opera ſua. Abſque dubio hic creatum ſe dicit filius, ſed ad opera illius, & initium viarum illius. Igitur creatura in his verbis non ſignificat eam, quæ ex nihilo, abſit, ſed eam, quæ eſt exiſtentis, in quibuſdam faciendis productionem. Nunquid concedes, factum eſſe Deum, ſi à quoquam celebretur: Factus eſt mihi dominus refugium? nullo modo.

Regula 36. *Quod quis potuiſſet clarius dicere, non intendit.* Cyrillus Alexandrinus l. 10. in Joan. C. 13. ad illud: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Si volumus rectè, quæ dicuntur, intelligere, arbitror intentionem ſemper nobis eſſe conſiderandam, & ad quod propoſitum Chriſtus verba faciebat. Conſiderate ergo diligenter oro, qui lecturi eſtis. non intendebat modo Chriſtus alium ſe à Patre natu-

ra ostendere. Cur enim si hoc sibi propositum habuit, nihil aliud attulit? Aut cur similitudine usus est, cùm multo brevius atque clarius solis nominibus Patris & Filii facre illud potuisse? non igitur istud ostendere voluit.

Regula 37. *Textus plerumque prævalent in sensu obvio; adeoque ille erit sensus obvius, qui prævaluit.* Sic Epiphanius rectè observat, textus fundamentales Religionis Christianæ semper prævaluisse in sensu obvio, prout ex decursu operis illius contrà hæreses cuivis liquet.

Regula 38. *Effectus, qui adscribitur causæ non semper illi immediatè convenit.* Tertullianus l. de Baptismo C. 10. & 11. Joannes prædixit, venturum mox in Spiritu & igni. Sed ecce, inquiunt, venit dominus, & non tinxit. Legimus enim. Et tamen is contingebat, verùm discipuli ejus. Non utique oraculum Joannis sic intelligendum est, quasi suis manibus tincturum prædixerit, sed simpliciter dictum more communi; sicut est, v.gr. Imperator proposuit edictum, aut præfectus fustibus cæcidit. Nunquid ipse proponit, aut nunquid ipse cædit? semper is facere dicitur, cui præministratur.

Regula 39. *Propositio reprehensoria non respicit ad futura, sed præsentia vel præterita.* Tertullianus l. 4. cont. Marcion. C. 4. De titulo Evangelii nobis funis contentionis ducendus est, pari hinc inde nisu fluctuante. Ego meum dico verum, Marcion suum. Ego Marcionis affirmo adulteratum, ille meum. quis inter nos determinabit nisi temporis ratio, præscribens authoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius invenietur. Inquantum enim falsum corruptio est veri, intantum præcedat necesse est veritas falsum: adeò verò anti-

antiquius eſt, quod eſt ſecundùm nos, ut & ipſe Marcion ei aliquando crediderit. Id enim Evangelium, quod ſecundùm Lucam refertur, eſt, quod Marcion per antitheſes ſuas aliquando arguit ut interpolatum. Utique non potuiſſet arguere, niſi quod invenerat. Nemo poſt futura reprehendit, quæ ignorat futura. Emendatio culpam non antecedit. Emendator ſanè Evangelii Marcion ſolus & primus eſt. Hoc negotium eſt hæreſis, quæ ſic ſemper emendat Evangelia, dum vitiat.

Regula 40. *Parabolæ ex natura rerum interpretandæ, non viciſſim.* Tertullianus, de Pudicitia C. 8. & 9. Hæretici eaſdem parabolas, quo volunt, tribuunt, non quo debent, aptiſſimè excludunt, quare aptiſſimè? quoniam à primordio ſecundùm occaſiones parabolarum ipſas materias confinxerunt doctrinarum. vacuit ſcilicet illis ſolutis à regula veritatis ea conquirere atque componere, quorum parabolæ videntur. Nos autem, quia non ex parabolis materias commentamur, ſed ex materiis parabolas interpretamur, nec valdè laboramus, omnia in expoſitione torquere, dum contraria quæque caveamus, quare centum oves, & quid utique decem drachmæ, & quæ illæ ſcopæ, neceſſe erat, qui unius peccatoris ſalutem Deo gratiſſimam volebat exprimere, aliquam numeri quantitatem nominaret, de quo unum quidem periſſe deſcriberet, neceſſe erat, ut habitus requirentis drachmam in domo, tam ſcoparum, quàm lucernæ adminiculo accommodaretur. Hujuſmodi enim curioſitates & ſuſpecta faciunt quædam, & coactarum expoſitionum ſubtilitate plerumque deducunt à veritate.

Regula 41. *Senſus interdum variatur per interpunctionem.* S. Auguſtinus in Joannem prin-

principium Evangelii ſic legit; *Hoc erat in principio apud Deum. Quod factum eſt, in ipſo vitæ erat.* Et ex hac lectione ac interpunctione longè alium elicit ſenſum, quàm ſi legatur ſic: *Hoc erat in principio apud Deum, quod factum eſt. In ipſo vita erat.*

Regula 42. *In ſcriptura non inſiſtendum rigori verborum ſecundùm legit Grammaticæ.* Athanaſius de diverſa ejuſdem rei nomenclatura. Mos eſt Sacræ Scripturæ, incuriosè & ſimpliciter dictiones efferre, ita enim & in numeris invenias. Dixit Moyſes Ragueli Madianitæ ſocero Moyſis. Non hic eſt alius Moyſes, qui loquitur, & alius eſt Moyſes Raguelis gener. Secundùm leges Grammaticas debuiſſet dici: Dixit Moyſes Ragueli ſocero ſuo.

Regula 43. *Illa ſignificantur ut diverſa, quę diſtinguuntur proprietatibus, non quæ tantùm ſignificantur diverſis nominibus.* Baſilius l. 2. cont. Eunomium. Mentitur, qui ex diverſitate nominum diverſitatem ſubſtantiæ inferre cavillatur. Nec enim natura rerum nomina ſequitur, ſed poſterius nomina rerum inventa ſunt. Idem Epiſt. 78. Nonnulli ex illis qui impietatem Sabellii ſectantur, Hypoſtaſin & Uſiam idem eſſe arbitrati ſunt. Sed Patres non idem eſſe dixerunt eſſentiam & ſubſiſtentiam. ſi enim voces illæ unam eandemque ſignificationem haberent, quid alterutram ponere opus fuiſſet; ſed liquet ideo poſitas, quia alii quidem, filium eſſe ex patris eſſentia negabant. Alii verò & ipſi filium quidem ex patris eſſentia negabant; adjiciebant autem, ex alia quoque eſſe ſubſiſtentia. Sic & D. Hilarius probat, Chriſtum non eſſe *filium Dei* communi acceptione, nec *à Deo exiſſe* ob vocationem quia hi termini habuerunt diverſos effectus in mente Apoſtolorum, quos non habuiſſent in

ſenſu

ſenſu vulgari. L. 6. de Trinit. ait: Cùm Apoſtoli profitentem Chriſtum audiunt, ſe à Deo exiſſe; hæc eorum reſponſio fuit; Nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis; nunc ſcimus, quia noſti omnia. Quæ rogo hæc verbi hujus admiratio eſt? nunc primùm intelligunt, eum per naturæ virtutem exiſſe à Deo. --- Non eſt Apoſtolica fides, filium Dei nomine potiùs quàm natura credidiſſe. Si enim adoptionis hæc nuncupatio eſt, interrogo, quid illud ſit, quod Petro non caro & ſanguis revelavit? undè hæc in Petro beata confeſſio eſt hoc filio deferente, quod eſt commune Sanctorum?

Regula 44. *In Scriptura ſæpe præteritum ſumitur pro futuro, aut vicissim.* Gregorius Nazianz. Orat. 35. Nonne cuivis perſpicuum eſt, ac præſertim in uſu Scripturæ poſitum, ut pleraque ex his, quæ temporaliter dicuntur, inverſa temporum ratione præferantur, nec ea ſolùm, quæ præteriti temporis ſunt, aut præſentis, ſed etiam, quæ futuram ſignificationem habent. Quo in genere illud eſt; Quare fremuerunt Gentes? nondum enim fremuerunt; & in flumine pertranſibunt pede, id eſt, pertranſierunt. Nimis longum foret, omnes hujuſmodi voces recenſere, quæ à ſtudioſis obſervatæ ſunt. Chryſoſtomus Serm. 2. in C. 2. Eſaiæ. Oſtendam, multa quidem dicta eſſe à Prophetis in eos, qui tribuum Principes erant, porro ea oracula in ipſos reciderunt, qui ex illis erant. v.g. quando Jacob dicit: Simeon & Levi fratres; dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael. Nemo autem videat, hoc in Simone & Levi eſſe factum, ſed in tribubus, quæ ab utroque profectæ ſunt. S. Auguſtinus tract. 105. in C. 17. Joan. ad illud: Ego te clarificavi ſuper terram, opus con-

consummavi, quod dedisti mihi: Quommodo consumavit opus, quod accepit, ut faciat, cùm restet adhuc passionis experimentum, nisi quia consummasse se dicit, quod se consummaturum esse certissimè novit? sicut longè anteà in Prophetia dixit: foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: non ait fodient, & dinumerabunt, quamvis post annos plurimos futurum erat. Et in hoc Evangelio ait: Omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. Quibus ait posteà: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Qui enim certis & immutabilibus causis omnia prædestinavit, quod facturus est, fecit. nam & per Prophetam dictum est de illo. Qui fecit, quæ futura sunt. Idem habet Serm. 109. de tempore fer. 3. post dominicam Passionis Et Gregorius M. l. 34. Moral. l. 7. ad illud: Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Scriptura Sacra ita nonnunquam tempus præteritum & futurum permiscet, ut aliquando futuro pro præterito, aliquando verò utatur præterito pro futuro. Futuro namque pro præterito utitur, cùm Joanni mulier parituram masculum, qui regat Gentes in virga ferrea, demonstratur. quòd quia incarnato Domino jam factum fuerat, res gesta nuntiabatur. Rursum præterito utitur pro futuro, sicut per Psalmistam loquitur Dominus dicens. Foderunt manus meas & pedes meos &c. Quibus verbis species dominicæ Passionis quasi jam transacta describitur; sed tamen adhuc longè futura nuntiatur. Hoc ergo loco, *Cùm sublatus fuerit*, nil obstat intelligi, quia sub futuri temporis modo præterita describuntur.

Regula 45. *Proximè futura jam facta*

dicuntur. S. Auguſtinus tract. 107. in Joan. ad illud: Nemo ex his periit niſi filius perditionis. Filius perditionis dictus eſt traditor perditioni prædeſtinàtus. *Hæc loquor in mundo*. Ecce in mundo ſe loqui dicit; qui paulò ante dixerat. *Jam non ſum in mundo*. Ergo & quia nondum abjerat, hìc adhuc erat; & quia mox fuerat abiturus, hìc quodammodo jam non erat. Idem l. 1. in Geneſin ad litt. C. 7. Informis illa materia, quam de nihilo Deus fecit, appellata eſt primò cœlum & terra, & dictum eſt; In principio fecit Deus cœlum & terram; non quia hoc jam erat, ſed quia hoc eſſe poterit. nam & cœlum poſteà ſcribitur factum. Quemadmodum ſi ſemen arboris conſiderantes dicamus ibi eſſe radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia; non quia jam ſunt, ſed quia inde futura ſunt. Sic dictum eſt: In principio fecit Deus cœlum & terram, quaſi ſemen cœli & terræ, cùm in confuſo adhuc eſſet cœli & terræ materia. Sed quia certum erat, inde futurum cœlum & terram, jam & ipſa materia cœlum & terra appellata eſt. Iſto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cùm dicit: Omnia nota feci vobis, non quia *jam* factum erat, ſed quia certiſſimè futurum erat. Innumerabiles tales locutiones in Scripturis Divinis reperiuntur.

Regula 46. *Aliqua dicuntur talia per anticipationem*. S. Hieronymus in Geneſin, ad illud: Venit Jacob in montem Galaad. Non quòd eo tempore Galaad mons diceretur, ſed per anticipationem, ut frequenter diximus, illo vocatur nomine, quo poſteà nuncupatus eſt. Et poſteà ad illud facti ſunt filii Manaſſe &c. hoc additum eſt. Siquidem id, quod poſteà factum eſt, quaſi per anticipationem factum eſſe deſcribitur

neque

neque enim illo tempore, quo ingressus est Jacob in Ægyptum, ejus ætatis erant Ephraim & Manasse, ut filios procreare potuissent. Ex quo manifestum est, omnes animas, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, fuisse septuaginta. Ipsi septuaginta Interpretes, qui hìc septuaginta quinque animas per προλήψιν eum Joseph & posteris suis in Ægyptum ingressas esse dixerunt, in Deuteronomio septuaginta tantùm ingressas memorant.

Regula 47. *Quæ dicuntur de parentibus, aliquando intelliguntur de posteris.* S. Chrysostomus Serm. in C. 2. Esaiæ. Jacob tot à Patre acceptis benedictionibus ne una quidem perfruitus est. Ipsius enim pater illi prædixerat affuturam exuberantem copiam proventus annui, quodque Esau perpetuò dominaretur. Atqui vix etiam illi suppetebant necessaria, suamque familiam alebat conductitia mercede. Tantum insuper abfuit, ut dominium exerceret in fratrem, ut sibi etiam malè mettueret ab illo, & extremè pereclitaretur. Ad hæc quid nobis dicendum? Quod mendax sit Prophetia? absit. Immò quia mos hic est Prophetis creberrimus, ut dicant, quæ aliis eventura sunt, aliis subjectis personis, & interim abutantur aliorum nominibus pro aliis. Id quod in Chanaan factum cernitur. Neque enim videmus illum fratribus serviviſſe. Neque verò ob id intercidit patris maledictio, sed exitum sortita est in Gabaonitis, qui ex genere Chanaan prognati sunt. Istius generis permulta exempla suppetunt, quæ doceant, quoniam non pauca eorum, quæ dicta sunt à Prophetis de aliis, in alios reciderunt. Quid mirum videatur, si nunc quoque Propheta nomen præferens Judææ & Jerusalem ad Ecclesiam præludit?

Regula 48. *Aliquando pars pro toto, vel totum pro parte accipitur*. Gregorius Nazianz. Orat. 51. Diſputans contra eos, qui negabant in Chriſto animam rationalem, ait: Si huic loco innituntur; Verbum caro factum eſt, ob idque velut futuros craſſiores pelles, ita ipſi, quod in homine præſtantiſſimum eſt, abradunt, ut Deum cum carne conglutinent, tempus eſt, ut ipſi dicant, Deum carnis tantùm eſſe Deum, non etiam animarum, quoniam ſcriptum eſt: dediſti ei poteſtatem omnis carnis. Item; Ad te omnis caro veniet. Aut rurſus dicant; Patres noſtros inviſibiles & incorporeos in Ægyptum deſcendiſſe, quoniam ſcriptum eſt: In ſeptuaginta quinque animabus deſcenderunt in Ægyptum. Et de Joſeph. ferrum pertranſiit animam ejus. Ignorant enim, qui hæc dicunt, res haſce per ſynedochen enuntiari, toto nempe per partem indicato. Ut cùm ait Scriptura: Plejas & Veſperus & Arcturus in memoria ſunt, pro eo ac ſi diceret, omnia ſydera. S. Chryſoſtomus in Pſal. 13. Quoniam dixit: *Omnes declinaverunt*. Illud autem, *omnes*, ſæpe etiam de majore parte accipitur, quemadmodum illud Pauli: *Omnes me dereliquerunt*, cùm tamen veri & ſinceri diſcipuli Paulum non reliquerint, ut oſtenderet univerſi mundi naufragium addit: *Non eſt qui facit bonum, non eſt uſque ad annum*.

Regula 49. *Sæpe ſumitur pluralis pro ſingulari aut viciſſim; vel numerus determinatus pro indeterminato, numerus rotundus pro inæquali*. S. Hieronymus l. 15. in C. 54. Eſaiæ. In Samuelis volumine dicitur: Sterilis peperit ſeptem. Septem filios dicitur genuiſſe Synagoga propter myſterium hebdomadis, ſive pro ſeptem plures intelligendi ſunt juxta

ta Hebræi ſermonis ambiguitatem, quo & Sabbatum ſignificatur & plures. Idem in C. 28. Matth. ad illud: Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Hìc per tropum, qui vocatur σύλλῆψις, pro uno latrone uterque inducitur blasphemaſſe. S. Chryſoſtomus hom. 4. in C. 1. Geneſis. ad illud: Laudate eum cœli cœlorum. ſic dictum eſt: *Cœli cœlorum*, non quòd multi ſunt cœli, ſed quia mos eſt linguæ Hebraicæ, unam rem nominare plurali numero. Dicunt igitur, qui linguæ apprimè gnari ſunt, cœli nomen plurali numero ab Hebræis vocari, quod confitentur & qui Syrorum linguam ſciunt, & nemo ea lingua dicit, cœlum, ſed cœli. S. Auguſtinus Enchiridii C. 44. Etiam adulti per Baptiſmum peccato mori plerumque dicuntur, cùm proculdubio non uni, ſed multis peccatis, omnibuſque moriantur, quæcunque jam propria commiſerunt, quia etiam per ſingularem numerum pluralis ſignificari ſolet; ſicut ait ille: *Uterumque armato milite complent*, quamvis hoc multis militibus fecerint. Et in noſtris litteris legitur, Ora ut auferat à nobis ſerpentem, non ait: Serpentes, quos patiebatur populus. & innumerabilia talia. Cùm verò & illud Originale unum plurali numero ſignificatur, quando dicimus in peccatorum remiſſionem baptizari parvulos? nec dicimus, in remiſſionem peccati; illa eſt contraria locutio, qua per pluralem locutionem ſignificatur numerus ſingularis, ſicut de Herode mortuo in Evangelio dicitur. Mortui ſunt, qui quærebant animam pueri. non dictum eſt, mortuus eſt. Et in Exodo: fecerunt ſibi Deos aureos, cùm unum vitulum fecerint tantùm, de quo dixerunt: Hi ſunt Dii tui

Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti; & hìc ponentes pluralem pro ſingulari. Idem Serm. 63. de diverſis. De Nativitate Domini, C. 22. In generationibus, quas enumerat Matthæus, quadragenarius numerus eminet. Habent enim iſtum morem Divinæ Scripturæ, ut quod exceſſerit certos articulos numerorum, aliquando non computent. Sic etiam quadringenti anni dicuntur, poſt quos egreſſus eſt populus Iſrael ex Ægypto, cùm ſint quadringenti triginta. Sic & una generatio, quæ quadragenarium numerum excedit, non aufert huic numero principatum.

Regula 50. *Expoſitio non petenda ab hoſtibus, niſi ubi teſtantur contra ſe.* S. Auguſtinus de utilitate credendi. C. 6. Quis ſibi unquam libros Ariſtotelicos reconditos & obſcuros ab ejus inimico exponendos putavit? Quis Geometricas litteras Archimedis legere magiſtro Epicuro aut diſcere voluit, contra quas ille pertinaciter, nihil, ut arbitror, intelligens diſſerebat. Agendum enim tecum priùs eſt, ut Authores ipſos non oderis, deinde ut ames; & hoc agendum quovis alio modo potiùs, quàm exponendis eorum ſententiis & litteris; propterea, quia ſi Virgilium priùs odiſſemus, immò ſi non, priuſquam intellectus eſſet, majorum noſtrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis ſatisfieret de ejus quæſtionibus innumerabilibus; nec audiremus libenter, qui cum ejus laude illas expediret, ſed ei faveremus, qui per eas illum erraſſe ac deliraſſe conaretur oſtendere. Nunc verò cùm eas multi ac variè pro ſuo quiſque captu aperire conentur, his potiſſimùm plauditur, per quorum expoſitionem melior ſit Poeta, qui, non ſolùm nihil peccaſſe, ſed nihil non laudabiliter cecinìſſe ab eis etiam, qui illum non in-

intelligunt, creditur; itaque in quæſtiunculâ magiſtro deficienti, & quid reſpondeat non habenti ſuccenſemus potiùs, quàm illum mutum vitio Maronis putamus. Jam ſi ad defenſionem ſuam peccatum tanti Authoris aſſerere voluerit. vix apud eum diſcipuli datis mercedibus remanebunt. quantum erat, ut ſimilem benevolentiam præberemus eis, per quos locutum eſſe Spiritum Sanctum, tam diuturna vetuſtate firmatum eſt.

Regula 51. *Textus, qui in utramque partem æquè explicari poſſunt, pro neutra parte adhiberi debent.* S. Auguſtinus. de unitate Eccleſiæ. C. 23. Deſinite illa teſtimonia commemorare, quæ aut non intelligitis, aut pro nobis contra vos eſſe intelligitis. Quod ſi ambiguè poſita & pro nobis poſſent interpretari, nihil utique adjuvarent cauſa veſtram; quia & nos ſi talibus uti vellemus innumerabilibus uteremur, quæ cauſam noſtram nihil ſimiliter adjuvarent. Sed planè talia malam cauſam vel moras faciendo ſuſtentant.

Regula 52. *Senſus quæſtionis ex reſponſione intelligitur; & viciſſim.* Theodoretus ad illud Geneſis: Quomodo cognoſcam, quod poſſidebo eam? q. 64. Ex reſponſione divina formam interrogationis cognoſcere licet.

§. IV.

Regulæ de libris & opuſculis ſuppoſititiis.

Regula 1. *Barbariſmi, qui reperiuntur in Scriptoribus ſæculi* 3. 4. 5. 6. 7. *non ſunt certum ſuppoſitionis ſignum.* Hæc regula vindicat SS. Patribus multa opuſcula, quæ ab Acatholicis, aliiſque Criticis parum ſobriis tantùm ideo eripiuntur ſuis Autoribus, quia in iis

continentur termini nonnulli barbari, peregrini, elegantia temporum illorum indigni. Demonſtratur autem ab inductione talium terminorum, quos probatiſſimi Authores illorum temporum ſuis indubitatis opuſculis inſeruerunt.

1. Tertullianus. l. contra Valentinianos diſputans C. 27. ait, Chriſtum quatuor ſubſtantiis ſtipant, ſpirituali, Achamothiana, Animali, Demiurgina: corporali *Jeſuaciana*; & illa *Sòtericiana*, id eſt, columbina. & Soter quidem permanſit in Chriſto *inleſibilis*, *inapprehenſibilis*. Proinde nec matris ſemen admiſit injurias, æquè *inſubditivum*, & ne ipſi quidem demiurgo compertum. Patitur verò animalis & carneus Chriſtus, qui ad Achomoth formandam *ſubſtantivali* non *agnitionali* forma cruci fuerat innixus. Et l. de anima C. 3. Paulus Athenis expertus *linguatam* civitatem, cùm omnes ibi ſapientiæ cauponcs deguſtaſſet, concepit præmonitorium edictum &c. alii per *philoſophatas* doctrinas animam immortalem negant. Si qui igitur de nidoribus Philoſophiæ candidum & purum aerem veritatis infuſcant, ea erunt Chriſtianis *enubilanda*, quia animam ex Dei ſtatu, non ex materia vindicamus, muniti divinæ determinationis *in obſcuribili* regula. Et C. 7. *incorporalitas* nihil patitur.

Similia habet plurima.

2. Lactantius. l. 4. Inſtit. C. 29. Cùm probabilia illis videantur quæ dicimus, in hoc uno nos *habere* arbitrantur, quod & alterum & mortalem Deum fatemur. & C. 30. ante omnia ſcire nos convenit, ipſe prædixiſſe, quòd plurimæ *haberent* ſectæ *exiſtere*. & l. 5. C. 2. Porphyrius dicit, ſe ſuſcepiſſe hoc munus Philoſophia dignum & præferret

non

non videntibus lumen ſapientiæ, ut ſuſceptis deorum cultibus *reſaneſcant*. & l. 7. C. 27. omittendæ ſunt hujus præſentis vitæ *illicibiles* voluptates. & l. 8. C. 9. jam Philoſophia *defloruerat*.

3. Interpres Latinus Irenæi, quem Dodvvellus & Oudinus ipſimet concedunt, probantque vixiſſe jam ſæculo 4. l. 3. C. 22. Deus Jonæ *inſperabilem* ſalutem donavit. -- dominus ſalvabat eos, qui per ſemetipſos non habebant ſalvari. -- non à nobis, ſed à Dei adjumento *habuimus ſalvari*. L. 3. C. 25. Spiritus Dei in Prophetis *præconavit*, qualis eſſet adventus Domini. C. 33. Lucas generationem hominum *recapitulatus eſt*. Eva *inobaudiens* facta cauſa facta eſt mortis. Maria facta *obaudiens* facta eſt cauſa ſalutis, propter hoc lex uxorem vocat, in Evam *recirculationem* ſignificans. L. 4. C. 28. Deus populum erudiebat per multas *advocationes præſtraens* eos perſeverare & ſervire Deo. L. 3. C. 30. inimicitiam poſuit inter ſerpentem & mulierem, illo *interpediente* ingreſſus hominis. L. 3. C. 43. Marcion dividens Deum in bonum, & *judicialem* utrumque interimit. L. 4. C. 14. Filius venit ad nos, ſuum plaſma *recapitulans* in ſemetipſum L. 4. C. 37. Prophetæ reliquas ejus *recapitulationis* diſpoſitiones per viſiones videbant, quæ audienda erant, ſermone *præconantes*. L. 4. C. 37. Dilectio nos ducit ad Deum *obaudientes* ei. Non ſolùm autem per ſermones, qui *præconabantur*, ſed & in operationibus viſus eſt Prophetis. C. 39. hic eſt finis humani generis *hæredifi-cantis* Deum. -- deſcendit Chriſtus, id quod erat *inoperatum* conditionis viſurus oculis. C. 40. Eunuchus erat à Prophetis *præcatechizatus*, & in timore Dei *præparatus* C. 41. erant *præinſtructi*, omnia mala

ediri à Deo. -- *præconabant* filium Dei. C. 43. Presbyteris obaudire oportet. C. 44. Super quem *potentatus* sum, aut quem oppressis? C. 45. ubi charismata domini sunt, ibi discere oportet veritatem, apud quos sanum & *irreprobabile*, & *inadulteratum* sermonis constat. C. 47. Si non Ægyptii *plagati* fuissent. C. 51. judicat gentes, *reprobabili* mente universam suam operationem in vanum consumentes.

4. S. Hilarius. l. 4. de Trinit. Confitetur filium ab æterno, non ipsum ab initio, sed ab *ininitiabili*. -- tum quòd solus *innascibilis*. -- tum quòd hunc noverint inconvertibilem, & *indemutabilem* - hunc etiam *inconceptibilem* - in tribu, ex qua *signi habebat* electus, *indemutabilis*. L. 5. discerne siquid potes, & hæretico furore hæc *indefecabilia* decide. l. 6. Hæc omnia apud te *demutantur* in falsa. L. 8. interrogo, utrùm infinitus Deus per formam circumscriptam & imaginem *coimaginari* possit ad speciem? L. 9. affer nunc, quisquis es Hæretice, flexuosæ doctrinæ tuæ *inevolubiles* quæstiones -- cùm differre significatione existimetur *innascibilitas* à nativitate, nativitas tamen non est extra *innascibilitatis* naturam, quia non sumpsit aliundè quod subsistit. nam & si non consecuta sit, ut *coinnascibilis* effecta sit, accepit tamen ex *innascibili* Deo esse. -- in Deo non sunt corporalia, sed absoluta; non *particulata*, sed tota. & l. 12. non patitur hoc in Deo existimari minutarum rerum *particulatas* cogitationes. L. 10 Non tenes, irreligiosè, rerum naturalium causas, & ex ipso sæculi sensu hæretica habetudine *diproficis*. L. 11. nasci non *disproficit* in genere authoris existere; quod autem non *disproficit*, naturam

non

non amisit Authoris. In l. ad Constantium, *Benignifica* natura tua, Domine Auguste. De Synodis. Convenit Patrem non intra tempora confiteri, sed *contemporalem* patri non negare. -- *Obsequelæ* est, tunc posse, cùm videt. -- impietatem per ea ipsa, per quæ *impiebatur*, extinxit. Terminus *obsequæle* octies occurrit in operibus D. Hilarii. In Matth. Can. 11. intelligitur non aliud in filio, quàm quòd in patre *ignorabile* sit, extitisse. Can. 25. veterum *peccaminum* tunicam relaturus. Hoc sæpius reccurrit. Can. 32. utilitati *se dedit* alienæ. In Psal. 54. eodem verbo utrumque *græcitas* elocuta est. Hunc græcitatis terminum habet adhuc decies. -. proprietatem verbi Hebraici *Latinitas* non elocuta est. Idem alibi sæpius. In Psal. 56. ad eum, qui sub *indemutabili* constitutione bonitatis est, clamat. In Psal. 63. Philosophia *ininitiabilem* Dei in mundo dominatum impugnat. In Psal. 118. nisi metallorum usui æternitatis *reposcitæ* gloria præferretur; & *abblandior* mihi erit auri species, quàm cœli? --- patulum domicilium *inconceptibilis* Deo opus est. In Psal. 121. intelligentiam Prophetiæ *magniloquentica* consequetur. In Psal. 118. Hæc *indemutandæ* veritatis constitutio. In Psal. 131. exurge in requiem, introeuntibus *frequentalis* est, quæ in loco *indemutabilis* est. In Psal. 138. *pennigerabant* tanquam aquilæ nuturam evolandi in resurrectionis *demutatione* sumpturi.

5. S. Ambrosius l. 2. de Cain & Abel. C. 1. *juveneulescat* adolescentia, senectus canescat. Et C. 3. quàm beata civitas, quàm *celebrabilis* ore omnium? quàm gaudeo, cùm velut *incanam* quandam Ecclesiæ curiam prætendant. l. 1. de Abraham. C. 13. coquum eligit, aut

focalem. l. 2. C. 1. utraque parte acuta eſt ac ies gladii, ex utraque præliaris. C. 2. Viantes incognitam carpentes viam. l. de Iſaac C. 3. abducebat ſe, & *ablevabat* vitiis ſeculi hujus. l. de bono mortis C. 3. ſe à terrenis cogitationibus attollit & *ablevat*. l. de Jacob. C. 3. non inferiorem putes *libertinitatem* ſub Chriſto, quàm libertatem voluntarium ſervum ſibi diabolus auctionatur. C. 11. *ablevamur* ærumnam, dum fidei paſſionibus delectamur. L. de fuga ſæculi C. 7. hoc eſt fugere, *ablevare* ſe à ſæculo, *ablevare* ſe à corpore. In C. 23. Numer. ad Chromatium. Vis me aliquid de veterum Scriptorum interpretationibus *paginare*. Apolog. David C. 1. Evangelii lectio decurſa eſt -- in alio, qui hodie decurſus eſt, Pſalmo. -- licèt diverſarum ſeries decurſa ſit lectionum. L. de Elia & jejunio C. 4. Declaratum eſt, quòd per cibos mundus *haberet immixui* -- ſciebat, quòd per eſcam culpa haberet intrare -- dum ſupra te eſſe *affectas*, infra te eſſe cœpiſti. C. 8. *tubatum* vides anhelantem advertis; auctionatur pretia. C. 9. non *defœnerata* excludit hæredem aula jejuni. C. 10. Iejunium culpæ interfectorium eſt. Præfat. in Pſal. 1. dies Pſalmum *reſultat*. Hoc repetit decies. in Pſal. 1. tœdiaſti parum, iterum tranſiſti. In Pſal. 35. *inveniabilis eſt*, qui laboravit, ut malum inveniret. - luctando corona quæritur, non reluctando; ſtudio, non *refragio* comparatur. In Pſ. 36. noli *affectare*, quod perpetuum eſſe non poteſt. -- Hæc terra *valleſtris*, illa cœleſtis. In Pſ. 37. gratiam *emeruit*. In Pſ. 40. videtur ſignari, quod *mordere haberet* calcaneum. In Pſalm. 118. oct. 3. ſi quis non *haberet offerre* arietem. Oct. 5. miles *viandi* ordinem non ipſe diſponit -- & tu ſequere hanc legem *viandi*. Hoc alibi ſæpius.

Oct.

Oct. 11. Miſcent aquam vino, & *inſincerum* proferentes. Oct. 13. unde *habuiſti intelligere?* Oct. 17. ut injurias obliviſcereris, *emeruit.* hoc ſæpe. In C. 1. Luc. cauſam mentiendi *indeſponſata* habuit, In C. 3. generationem fatearis eſſe *decurſam.* hoc ſæpiſſime. Præfat. in l. 4. in Lucam. qui mare *litorali* parant navigatione transmittere -- amœnitas locorum *invitet prætermeantem.* In C. 6. amor tibi ejus *inoleſcit.* In C. 10. Omnipotentem agnoſcis, non *decolorem*, non degenerem patris. In C. 11. diabolus nos *auctionatur* ad mortem. In C. 16. Prophetæ *decolores* mores hominum notaverunt. In C. 17. eſt culpa *veniabilis.* -- *decolores* & fœtidos greges Gentium. Veniabile habet ſæpius. -- nemo id *affectat*, quod infra ſe judicat. Frequenter hoc habet. In C. 23. in vaſe *concuerat* humano. In C. 24. quod vix *enodabile* videtur, Joannes ſcripſit. l. 1. de offic. C. 5. cur non eum *mœſtificare* poſſim? l. 1 de fide. C. 9. expreſſum ex *botrione* peregrino. l. 4. C. 7. ad vallem *botrionis* exploratores dimiſit. l. 2. C. 4. Chriſtus hoc *emeruit*. Frequenter. in præfat. l. 2. de Spiritu S. Baptismi figura ſignatur, per quod *habuit* creatura *mundari*. l. 3. C. 16. vide, quid de Spiritu Sancto vox dominia *reſultet.* Frequenter de fide reſurrect. Animi ad altiora ſe *ſubrigunt* de pœnitentia. C. 15. fermenti vitioſioris admixtio maſſam *decolarat.* Exhortat. ad Virgin. Deus mea *orata* ſuſcepit. Ad virginem lapſam C. 1. triſtitiæ *conlugetis*. De Virginibus l. 3. *enodem* habemus aſſertionem. -- meiplum *defenſatum* invenio - caveat, ne bonum improbus *decoloret*. -- ad altiora ſe *ſubrigunt*. - unde mihi *dari habes* aquam? lib. 2. Epiſt. 12. vox Chriſtum *reſultet.* Epiſtola 13. audiſtis librum Job, qui

eſt

est *decursus*. Epist. 17. quot se *offerre habent* tali optioni? -- quis *habet* Synagogam *vindicare*? l. 3. Epist. 24. ibi triumphus quæsitus non *decolore* exitu. Epist. 25. nonne isti *discolores* nobis in hac disputatione videntur? Epist. 29. dona *affectat*. Epist. 30. oracula domini ore *resultabat*. L. 6. Ep. 30. oracula domini ore *resultabat*. L. 6. Epist. 39. ad superiora *se fabricat*. Epist. 41. *decursa* lectione Apostoli -- *culpam incidit*. Omitto plura, ne nimium.

7. S. Hieronymus in C. 2. Oseæ. *Impudorata* estu. Præfat. in Ionam. Commentatoris officium est, ut non *dissertitudinem* ostentet suam. In C. 3. Ionæ. animos dissertitudinis fulgore perstrinxit. In C. 2. Sophon. dissipata est omnis *frondositas* eorum. In C. 4. Epist. ad Galat. Secundum ad intelligentiam *græcitatis*.

8. S. *Augustinus*. In Psal. 51. regnum terrenum *angariat* cives regni cœlorum, & regnum cœleste angariat cives regni terreni. in Ps. 56. vidit dominum expalmatum manibus in Ps. 57. dicit Apostolus: non sic *pugillor* quasi aerem cædens; pugillari enim est *pancratium* facere: In Ps. 66. formidolosa circumstrepunt omnia; vel potiùs non circumstrepunt, sed *circumsilent*. In Ps. 68. sit in te irreverentia; *frontosus* esto. -. tanquam febrientes insaniunt in medium. - non est *stomachatio* maledicentis. In Psal. 70. quilibet hoc sapit. - *brevievit* suam magnitudinem. In Ps. 90. quando audit verba, unde sibi *habet facere* solatium. In Ps. 113. legimus stetisse Iordanem *infrenato* lapsu. -- cur hæc Spiritus Sanctus curat insinuare quasi *inscientibus*. In Psal. 117. constituite diem in *confrequentationibus*. In Ps. 122. *panagorizamur* quotidie medicamentis Dei. In Psal. 123. sæpe in concionibus verba minus latina aut peregrina adhibere his verbis

teſtatur: forſitan pertranſivit anima noſtra. Quomodo enim Latini potuerunt, expreſſerunt, quod Græci dicunt, ἄρα ſic enim: Græca habent exemplaria, ἆρα, quia dubitantis verbum eſt, expreſſum eſt quidem dubitationis verbo, quod eſt fortaſſe, ſed non omnino hoc eſt. Poſſumus illud verbo dicere minus quidem Latinè conjuncto, ſed apto ad intelligentias veſtras. Quod Punici dicunt, Iar, hoc Græci, ἆρα, hoc Latini poſſunt dicere, *putas*, cùm ita loquuntur: *putas*, evaſi hoc? ſi ergo dicatur; *forſitan* evaſi, videtis, quia non hoc ſonat, ſed, quod dixi, *putas*, uſitatè dicitur, latinè non ita dicitur, & potui illud dicere, cum tracto vobis, ſæpe enim & verba non latina dico, ut vos intelligatis. In Scriptura autem non potuit hoc poni, quod latinum non eſſet, & deficiente latinitate poſitum eſt hoc. In Pſal. 24. *pravicordes* ergo ſunt, qui rectum cor non habent. In Pſalm. 128. marmorati parietes ſunt -- ſuperbi omnes *cervicati* ſunt. In Pſal. 126. nihil in vinea tua *grandinatum* eſt. In Pſal. 138. habeo in abſcondito quoddam *oſſum*. Sic enim potiùs loquamur; melius eſt, ut reprehendant nos Grammatici, quàm non intelligant populi. Ergo eſt, inquit, quoddam *oſſum* meum in abſcondito. In Pſal. 143. *veniat* dies, qui te *manifeſtet*. In Pſal. 146. *pravicordius* in illis ſcandalizabitur. Quid eſt pravicordius? *tordicordius*; tortum cor habens. Tract. 6. in Joannem. Quando dicitur: *aloquiemur*, bene ſit nobis. Tract. 16. prodigium appellatum eſt, quaſi *porrodicium*. Tract. 30. Si ægrotus Sabbatho *ſincerare*t. Tr. 53. verbum eſt *cogitabile vel ſonabile*. Tract. 10. in Epiſt. Joannis. *Suſum* me honoras, *juſum* me calcas. De Verbis Domini Serm. 27. Ne videaris conſcientiam cædere,

ſed

ſed malam conſcientiam pugnis *pavimentare*. De verbis Apoſtoli ſerm. 29. reſpondent de vento ſuperbiæ, quo pleni ſunt, quem ventum utinam finirent, *reflarentur* & tacerent. Serm. 1. in Septageſ. Quid ſunt pauperes, quibus damus, niſi *laturarii* noſtri, per quos in cœlum migramus? Serm. in feria 4. Paſchæ. Lignum tractabile eſt; non *fluxibile*. Feria 5. Serm. 2. pœnitentiam in ſalutem *inpœnitendam* operatur. Serm. 3. Dominica 7. poſt Trinit. ſunt, qui ſe divites *affectant*. De diverſis Serm. 7. ſi à terræ ſterilitate abhorretis ſeminatori & *complutori* veſtro redditis abertatem. Serm. 44. de diverſis. De Jacob & Eſau. Una res multis modis ſignificatur, quæ nihil horum eſt per *videntiam*; omnia ſunt per figuram. Chriſtus & leo & agnus potuit eſſe; ſed nec leo, nec agnus per *videntiam*, ſed per figuram. Sic Eccleſia nec hœdi, nec veſtis per *videntiam*, ſed per figuram. Serm. 48. de div. in orat. dom. In ſpiritu noverant, quibus *habebat evenire* malè, quibus bene. Serm. 51. de Div. de S. Stephano. *Apocabatur* Angelus cum Jaonne. Serm. 81. de div. 5. in Paſch. revireſcite, *granaſcite*, maturaſcite. Serm. 110. de div. de Machab. miſit diabolus in cor Judæ: qualis *organarius*, tale organum. Ser. 111. de div. de S. Laurentio. multa paſſus eſt, quæ *horrent audiri*. Serm. 116. de S. Cypriano. Malis meis velut jam vernaculis *adfavebam*. -- Eccleſiæ *cordiſſimum* vinculum humilitate ſervabat. Serm. 117. latro in cruce dicebat: Domine *in mentem me habe*.

7. Gregorius M. dedicat. in Job. C. 5. quod docta manus imperat, quaſſata organa *reſultant*. Præfat. in Job. C. 8. interficiant, quidquid tumidum *ſapiebant*. l. 1. Morc. 3. Job promptus largitatibus memoratur;

tur; *penſemus* ergo. Hoc ſæpiſſimè. L. 1. C. 26. undè pertimeſcit, ſe *enerviter* cadere, indè accipit fortiter ſtare. L. 5. C. 8. cùm authoritati vocis à nullo reſiſtitur, lingua licentius per abrupta *defrænatur*. L. 5. C. 25. Omnis creatura non *ſtare habet*, ſed defluere. L. 7. C. 12. ad inferendas contumelias *efrenatur*. Hoc frequenter. L. 8. C. 7. tela ſuperius *deplicatur*. L. 9. C. 11. Spina *denſeſcit*. L. 10. C. 4. Laſſeſcendo proficit. -- L. 12. C. 4. Areſcit fluvius *vacuefactus*. C. 8. poſt *prædicamenta* fortia corda roborentur. L. 13. C. 5. cum erroris ſui mala prædicare non metuunt, *prædicamenta* rectæ fidei irridenț. L. 14. C. 22. Turba Redemptoris *prædicamenta* deſpexit. L. 18. C. 16. Matthæus ad cœleſtia *prædicamenta* fortis factus eſt. L. 12. C. 19. Impius hoc *penſare* negligit. Hoc centies. L. 12. C. 3. Sunt, qui de externis malis *deſperabiliter* affligantur. L. 14. C. 24. potibus vacant, qui de opprobrio alienæ vitæ ſe *deebriant*. L 16. C. 26. amore *deebriatur* æternitatis. L. 15. C. 23. vulgaris locutionis uſus eſt, ut bovem maſculum, & vaccam fœminam vocet, ſed litteraturæ locutio bovem communis generis appellat; undè nunc dicitur: Bos eorum concepit, & non abortivit. L. 19. C. 9. ſe *irreprobabiles* Dei obtutibus parant. L. 20. C. 2. Non ſolùm exhibenda ſunt, quæ *deebriant*. L. 20. C. 5. Dici infirmis fortia prohibet, ne dum *incapabilia* audiunt. L. 30. C. 8. cùm populus Iſrael *inveniabilem* contraxiſſet offenſam. L. 20. C. 20. Electorum animam nunc marceſcit, poſtmodum æterna exultatione *virideſcit*. L. 23. C. 9. arrogantes elationis ſuæ *tortitudine* depravantur. L. 24. C. 7. Authoris ſui *inconverſibilem* ſpeciem reſpicit. L. 25. C. 6. Accedent ad *ſecretarium* judicis intra ſinum cordis. L. 29.

C. 12.

C. 12. dona Spiritus *diſpariliter* ſinguli accipiunt. L. 30. C. 6. contra *tentamenta* conſiſtere. L. 31. C. 20. interna infirmis auditoribus *incapabilia* ſunt. L. 32 C. 7. *reverſatur* panis ſubcinericius. L. 33. C. 24. Reatum in Authorem *relidit*. L. 34. C. 12. in luna mutabilitas *temporalitatis* accipitur. L. 34. C. 18. Humilitatis *fundamina* non procurant. Proœmio. in Pſalmos pœnit. Dulciter *hymnizat* in Evang. hom. 1. Redemptor finem mundi *innoteſcit*. Hom. 38. Terrenus divina penſare *diſſimulat*. Hom. 40. Nolite miſericordiæ tempora perdere & remedia *diſſimulare*. Paſtoral. part. 3. admon. 16. ſe per diſciplinas. Ligare diſſimulat. In Evang. hom. 39. *funditus* finitur, quod diligitur. In Proœm. Paſtor. de curæ paſtoralis *gravedine* exprimo, quod penſo. L. 1. Epiſt. 2. *diſpendioſorum* lucrorum cauſas deportamus. L. 1. Epiſt. 81. abſtinendum ab omni ejus *incardinatione* L. 1. Epiſt. 82. ſi *lentata* fuerit prœceptio. L. 2. indict. 11. Epiſt. 1. in hac cauſa *ſolatiari* feſtinet. L. 3. indict. 12. Epiſt. 32. non leve peccatum eſt, ſi Hæretici inveniant licentiam *reſerpendi*. Ibid. Epiſt. 38. ne *indiſciplinationi* videamini conſentire. L. 6. indict. 15. excedentes Monachos perhibet *defenſari*. L. 7. indict. 1. Quid enim debet pauper, niſi ea, quæ *paupera* ſunt. L. 7. indict. 2. Epiſt. 54. in eis culpa *groſſeſcit*. L. 8. indict. 3. Epiſt. 51. per Epiſtolas vos *pulſare* *babui*.

8. Iſidorus. L. 1. Synon. aſſiduo uſu *innaturatus* vitium. -- tu noſti, Deus, ubi lapſus ſum, ubi *fluxus ſum*. L. 2. Synon. C. 8. ſint tibi patrum exempla diſciplinæ *imitamenta*. L. 2. C. 16. qui præſentia *affectat* Exhort. ad pœnit. totum *prædamnare* feſtina in Geneſin C. 2. diſpoſuit Deus

ſoli-

ſolidamentum Sanctarum Scripturarum. C. 3. fecit Deus hominem, qui ipſam veritatem *contemplabiliter* intuendo operatur juſtitiam. C. 31. tranſcendunt *implicamenta* ſæculi hujus in Exod. C. 45. Prophetæ ſuo *geſtamine* ſtructuram Eccleſiæ ſuſtentant. Et C. 48. Prophetæ ſuo *fundamine* ſtructuram Eccleſiæ geſtant. In Levit. C. 2. hujus ſacrificii *imitamenta* celebrarunt pagani in Deut. C. 10. Debet *neceſſamen* ſpes & formido conjungi in Iudicium. C. 5. pro magno *penſamus* Alleg. V. T. *caliginatam* legem illuminat. Alleg. N. T. Doctores *prædicamentis* Evangelii bene uſi ſunt. De Nativ. C. 4. trinam ſanctificationem cœleſtis *perſultat* exercitus. C. 12. Chriſtus *potentialiter* natus. L. 1. Sent. C. 27. conſumitur à Deo *innox*, quando à Deo ipſa innocentia examinatur. L. 2. C. 7. *inattingibilem* divinam juſtitiam. L. 2. C. 40. ruina adulterii excipitur *deſtina* matrimonii. Hæc pro exemplo ſufficiant. Clarum ergo eſt, etiam in antiquis illis Scriptoribus nonnunquam, quamvis rariùs, inſpergi barbaros terminos; ut proin, niſi barbariſmi turmatim in aliquod opuſculum irruant, non propterea pro ſuppoſititio haberi debeat; idque præcipuè verum eſt de homeliis quorundam Patrum.

Regula 2. *Styli diverſitas non certò probat diverſum Autborem.* Hoc oſtenditur ex eo, quia idem Author nonunquam mutat ſtylum ſuum. Baſilius de vera fide. Tractandum propoſitum nobis eſt longè diverſum ab argumentis illis, à quibus aliàs ad ſcribendum inducebamur. Eo tempore de hæreſi confutanda agebatur; nunc autem ſimplex fidei explanatio propoſita eſt. Quò fit, ut cùm tractatio nunc diſſimilis ſit, diſſimilis etiam eſſe debeat ſtylus. Quemadmodum

enim

enim non eadem inſtrumenta in manus ſumat & qui prælium initurus eſt, & qui colere agrum velit; alia enim ſuppellex inſtrumentorum iis congruit, qui in pacis quiete res ſibi ad victum neceſſarias parant; alii armorum apparatus iis, qui in bello ſe adverſum hoſtiles copias inſtruunt; ſimiliter quoque nequaquam eodem dicendi genere utatur, & qui in ſana doctrina cohortetur, & qui in diſputatione ſibi repugnantes redarguit; ſiquidem eſt aliud genus dicendi, quo utimur in refellendo; aliud, quo in cohortando. Itemque alia eorum ſimplicitas, qui in pace veram pietatem prædicant, alii illorum ſudores, qui adverſus oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ fortiter dimicant. Quamobrem nos quoque diſponentes ſermones noſtros in judicio, ubique ſive defendenda, ſive tradenda ſimpliciter fides fuerit, operam dabimus, ut ab ſubjectam materiam ſtylum accomodemus, modo videlicet iis, qui diabolico aſtu illam conantur evertere, majore cum acrimonia & contentione refutandis; modò iis, qui in ea ædificari voluerint, ſimplicius & ad illorum intelligentiam accommodatius ipſam fidem exponendo; nihilque aliud faciendo, quàm quod dictum eſt ab Apoſtolo: ut ſciamus, quomodo oporteat nos unicuique reſpondere. S. Hieronymus L. 1. adverſus Pelagianos. C. 8. In ipſis controverſiis, in quibus pueri aliquando luſimus, non omnes ſimiliter vel in proœmiis, vel in narrationibus vel in exceſſibus, vel in argumentis, vel exemplorum copia, & epilogorum dulcedine ſe agunt, ſed eloquentiæ ſuæ alia, atque alia in parte diſſimiles ſunt. De viris magis Eccleſiaſticis loquar; multi ſuper Evangelia bene diſſerunt, ſed in explanatione Apoſtoli impares

pares ſui ſunt. Alii cùm in Inſtrumento novo optimè ſenſerint, in Pſalmis, & Veteri Teſtamento muti ſunt.

S. Ambroſius l. 5. in Hexam. C. 12. fugerat nos, fratres; in priori concione de natura avium diſputatio, & ſermo hujuſmodi nobis cum ipſis avibus evolaverat. Fit enim natura quadam, ut hi qui aliquid intuentur, vel dicendo exprimere volunt, eorum qualitatem, quæ vel intuentur vel loquuntur, aſſumant; ut & cum pigrioribus immoremur, & cum velocibus celeri rapiamur aſpectu, ſtylo quoque aut tardiore utamur, aut rapido. S. Gregorius l. 11. Moral. C. 1. Quamvis in prolixo opere eſſe culpabilis ſtili mutabilitas non debeat, ne quis tamen me ex locutionis mutatione reprehendat, in epiſtola libris præmiſſa cauſam reddidi, cur tertiam hujus operis partem ad aliarum uſque ſimilitudinem minimè emendando perduxi. Quibus ſcilicet excluſis hoc quoque additur, quòd in hac parte tam multa ſint, ut in uno corpore comprehendi non poſſint, niſi ſub magna brevitate dicerentur. Igitur, quoniam in ea multa ſunt, ſicut me loquente excepta ſunt, ita dereliqui. Immutationem ſtyli Lector meus æquanimiter accipe, quia & ſæpe eosdem cibos edentibus diverſitas placet coctionis.

Regula 3. Diverſitas ſententiarum non certò probat diverſum Autorem. Quia Patres nonnunquam mutarunt ſuam mentem. Sic Gregorius Nazianzenus aliquando approbaverat ſcripta Vitalii Apollinariſtæ, quæ poſteà rejecit. Orat. 52. ſic habet: Quoniam eædem voces, ſi rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ ſunt, ſi perperam exponantur, impietate non carent, quid mirum, ſi Vitalii quoque verba

in

in pium ſenſum accepimus, alii autem ad eorum, quæ ſcripta ſunt, mentem exaſperantur & inflammantur? quod etiam in cauſa fuiſſe reor, cur ipſe quoque Damaſus, cùm poſteà rectiùs edoctus fuiſſet, ſimulque in priſtinis eos expoſitionibus perſtare audiiſſet, eos ab Eccleſiæ cœtu abdicarit, fideique libellum cum anathematiſmo deleverit, tum etiam, quòd fraudem eam, in quam inciderat, permoleſtè ferret. Quòd S. Hieronymus quondam Originem ſummi fecerit Ruffinus in ſua Invectiva fusè probat. In præfat. ad Exech. ait: Magnum eſt, mi amice, quod poſtulas, ut Origenem faciam Latinum, & hominem juxta Didymi videntis ſententiam alterum poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum Romanis auribus donem. In præfat. Hebra: nom. Novi Teſtamenti nomina interpretatus ſum, imitari volens ex parte Origenem, quem poſt Apoſtolos Eccleſiarum Magiſtrum nemo niſi imperitus negat. Hunc verò Origenem à D. Hieronymo diris omnibus devotum fuiſſe, teſtantur paſſim ejus ſcripta adverſus Ruffinum, & Auguſtinus D. Hieronymo ſcribens ait: Origenem & Didymum reperio reprehenſos abs te in recentioribus Opuſculis tuis, & non mediocriter, nec de mediocribus quæſtionibus, quamvis Origenem mirabiliter ante laudaveris. S. Chryſoſtomus, ubi probat Religionem per homines indoctos, adeoque divinis viribus propagatam eſſe, Paulum indoctum fuiſſe ſcribit; de Sacerdotio verò oſtendit Paulum doctum fuiſſe. Quoties D. Auguſtinus mentem ſuam mutaverit, patet ex libris retractationum.

Regula 4. *Diverſa explicatio ejusdem textus non probat certò diverſum Authorem*. Exempla talium diverſarum explicationum ejusdem textus ab eodem Authore occurrunt plurima

in Patribus verb. grat. in Augustino explicante illa verba Matthæi : super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; quæ intelligit aliquando de Petra Christo , aliquando de Petra confessionis fidei , aliquando de Petro. S. Basilius de vera fide . Hæc sunt , quæ duxi vobis explicanda , ut omnis ex animis vestris dubitatio de fide tolleretur , orta fortasse propter diversam rationem eorum , quæ aliàs alio modo exposita à nobis sunt .

Regula 5. *Diversa lectio ejusdem textus non certò probat diversum Authorem* . Sic S. Augustinus illum textum Ecclesiastis . 1. in Expositione propositionum quarumdam Epistolæ ad Romanos legit ; Vanitas vanitatum & omnia vanitas ; alibi verò sæpius legit : Vanitas vanitantium & omnia vanitas .

Regula 6. *Contradictio etiam aperta non est certum signum diversi Authoris* . Ratio est , quia Scriptores non semper recordantur quid priùs dixerint , aut scripserint . S. Augustinus in præfatione ad octoquæstiones Dulcitii : Queris , quare dixerit Dominus : Elegi David secundùm cor meum , cum ille talia & tanta commiserit , ubi tractaverim , & quomodo id exposuerim ? non potui reperire , & utrùm sit in aliquo libro meo vel epistola nescio . Merito hoc S. Augustinus dicit , quia solutio ad illam quæstionem non videtur convenire cum doctrina illius de meritis in aliis libris verb. grat. in Expositione propositionum Epist. ad Romanos . Eusebius l. 13. Præparat . Evang. ostendit , Platonem sibi ipsi contradixisse , inquantum alicubi vult , Poetis circa Deos adhibendam esse fidem , alicubi idem negat . Si habet : Vide , quid Plato de populari hac & publica circa Deos opinione suis etiam legibus sancita voluerit . Dæmonum , inquit ille , procreationem vel explicare vel nosse res est nostra facultate major , Quare hoc in

genere

genere priſcis illis teſtibus adhibenda fides, qui ut deorum, quod ipſi ajunt, nepotes erant, ita majores ſuos maximè notos habuerunt. nec fieri omnino poteſt, ut fides eorum filiis detrahatur; etiamſi nullis demonſtrationibus neceſſariis, aut ne probabilibus quidem argumentis ipſorum teſtimonia comprobentur; ſed neceſſe planè eſt, ut iis, quomodo lex imperat, tanquam ſuarum in rerum commemoratione credamus. Illorum ergo Deorum procreationem, utì Poetæ ſcribunt, ita nos quoque de ea ſtatuamus ac loquamur. Terræ cœlique liberi Oceanus & Thetys; horum Phorcyon, & Saturnus, & Ops, cæterique fratres. Ex Saturno & Ope Jupiter, Jono ac reliqui &c. Eapropter hic ſanè nobis Philoſophus relinquendus erit; qui nec, utí Philoſophum docuit, nec ſecum ipſe conſentiens, fabuloſas in Diis Poetarum Genealogias ſimularit. Nam audi quomodo idem loquatur in Republica: In majoribus inquit, fabulis minores etiam facilè videbimus. neceſſe enim eſt, ſpeciem ullam aliquam eſſe, vimque, minoribus æquè majoribuſque communem. An non ita ſentis? Equidem, inquit ille; ſed quas tu majores dicas non capio. Quam Heſiodus inquam, atque Homerus cæterique Poetæ commemorant. illi enim falſas hominibus fabulas commenti & narrabant olim, hodieque narrant: Ea videlicet, quæ paulò ante retulimus.

Regula 7. Aliquæ propoſitiones minus convenientes genio, pietati, aut moderationi Authoris non ſunt certum ſuppoſitionis ſignum. Quia etiam Sancti aliquando in perturbatione aliqua faciunt, quæ aliàs non facerent. S. Auguſtinus. Contra Mendac. C. 9. Conſiderandum eſt in eo, quod fecit

Loth

Loth volens proſtituere filias, utrùm exemplum ſit, quod imitari, an potiùs, quod vitare debeamus. Magis enim videtur intuendum, & notandum, cùm tam horrendum malum ex impietate flagitioſiſſima Sodomitarum ſuis impenderet hoſpitibus, quod cuperet depellere, nec valeret, ſic etiam juſti animum potuiſſe turbari & vellet facere, quod non humani timoris nebuloſa tempeſtas, ſed divini juris tranquilla ſerenitas, ſi conſulatur, à nobis faciendum non eſſe clamabit. Et jubebit potiùs, ut ſic noſtra peccata caveamus, ne ullorum prorſus alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille vir juſtus timendo peccata, quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in Scripturis Sanctis legimus, non ideo, quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla. An verò quia juravit David ſe occiſurum eſſe Nabal, & clementi conſideratione non fecit, propterea illum imitandum eſſe dicemus, ut temerè juremus, non eſſe facturos, quod non eſſe faciendum poſteà videamus? ſed ſicut illum timor, ut proſtituere filias vellet, ſic iſtum, ut temerè juraret, ira turbavit. Poſſet ille reſpondere: timor & tremor venerunt ſuper me & contexerunt me tenebræ. Poſſet etiam dicere iſte. Turbatus eſt præ ira oculus meus. Ut non miraremur, vel illum in timoris tenebris, vel iſtum oculo turbato non vidiſſe, quod videndum fuit, ne facerent, quod faciendum non fuit.

Regula 8. *Diverſitas ſtyli aut propoſiti, aut methodi etiam in eodem opere non eſt certum interpolationis aut ſuppoſitionis ſignum.* Sic Ambroſius in eodem Opuſculo eandem materiam tractat per modum concionis coram populo,

partim per modum Epistolæ l. 3. de Virginibus. Quid alienigenis apud te soror utor exemplis hæreditariæ castitati inspirata successio, parentis infusione Martyris erudivit. Qui enim fieri posset, ut Sancta Sotheris tibi non esset mentis Author, cui Author est generis &c. Dein statim quasi ad populum loquens ait: Hoc loco non mediocrem advertite quæstionem, ne dubitare de resurrectione virgines debeatis. Et paulò post: Accusati sumus, & nisi fallor, accusatores nostri plerique de vobis sunt; horum affectus redarguere malo, quàm personas prodere.

Regula 9. *Anachronismi non sunt certa suppositionis nota.* quia Authores optimi non sunt semper accurati in computatione temporum. Sic Hieronymus in Epist. ad Theodoram. Refert Irenæus vir Apostolicorum temporum, quòd Marcus quidam ad Gallias venerit; &c. hoc ille scripsit ante annos circiter trecentos, & scripsit in iis libris, quos adversus hæreses composuit. Scripsit Irenæus anno 176. Hieronymus circa annum 400. quomodo ergo ante annos circiter trecentos &c. Idem Epist. 65. ad Pamachium. Parcas fidei, quæ Apostoli voce laudata est; cur post quadringentos annos docere nos niteris, quod ante nescivimus? cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? mortuus est D. Hieronymus anno 420. quomodo ergo ante annos 400. Apostolus prædicasse dicitur? S. Chrysostomus in 1. Epist. ad Corinth. C. 3. hom. 9. Quater millia annorum præterierunt, & Sodomitarum adhuc manet & viget supplicium. Idem in 1. Epist. ad Timoth. C. 5. homil. 15. Christus dicit: quemadmodum in diebus Noe, ita & nunc; prædixerat ante multos annos, & modò prædicit; jam quadringentesimus annus excessit, & nemo applicat animum. S. Chrysostomus

anno

anno 410. jam erat mortuus, quomodo ergo à prædicatione Chriſti jam annus 400. exceſſit? Idem de Verb. Apoſt. in 2. ad Corinth. Habentes ſpiritum fidei. Serm. 26. Paulinæ Epiſtolæ fontes ſunt, quia nunquam deficiunt. Et hoc evidenter declarare poteſt totum tempus, quod præteriit. Siquidem ex quo Paulus vixit, quingenti jam elapſi ſunt anni, totoque hoc tempore multi commentatores exhauſerunt, ſed non exinanire potuerunt. Idem in inſcriptionem Altaris Serm. 51. ait: nonne videtis in cœlo ſtellas? jam per annos ſexies mille nobis lucent, nec ipſarum ulla facta eſt obſcurior. Idem in 1. Epiſt. ad Corinth. C. 3. hom. 9. dicit, quinque annorum millibus ſtare mundum: quod juxta 70. Interpretes verum eſſe videri poterat, ſed ſex annorum millia uſque ad tempora Chryſoſtomi ex nullo documento erui poterat. Idem in l. 1. quòd Chriſtus ſit Deus; narrat quomodo templum Jeroſolymitanum deſtructum fuerit. Dein addit: Nunc ſupra quadringenteſimum annum eſt, & nulla ſpes eſt, quòd inſtauretur. Idem in Pſal. 8. Judæos alloquens ait: Poſtquam manus in Dominum injeciſtis, vobis deinceps evaſit ulcus immedicabile, & ideo quadringenti jam anni præterierunt, ex quo civitatis vel ipſum ſolum periit, ſublatum eſt Sacerdotium, confuſæ tribus. &c. Hæc omnia oſtendunt, etiam in Authoribus doctis computationem temporum non eſſe accuratam; neque ex nota temporum ſemper judicandum de ætate Authorum. Huc pertinet Theodoretus qui quæſt. 38. in Deuteronom. loquens de promiſſa Judæis reductione in terram ſuam, ait: Quod quidem ſæpenumero factum eſt, ut clariſſimè patet ex libro Judicum, & hiſtoriis, poſtremò tamen debacchantes in Salvatorem in univerſam terram

& mare dispersi sunt; & jam quadringentesimus annus agitur, ex quo non sunt revocationi consecuti. Mortuus est Theodoretus anno 457. dispersio autem Judæorum nondum facta erat anno 57.

Regula 10. *Lapsus indigni Authore erudito non probant certò suppositionem.* Constat enim, quòd etiam eruditi Authores aliquando labantur memoria, aut malè allegent textus, aut alia habeant vitia. Sic D. Hieronymus in C. 66. Esajæ: David duos genuit filios, Ammon & Absalon, quorum alter fratris, alter Patris extitit homicida. Hoc falsum est, cùm Ammon non occiderit fratrem, sed Absalon parricida. Idem in C. 4. Jeremiæ. Septuaginta & Theodotio posuerunt μαιμάσσει, quod verbum usque in præsentiarum quid significet ignoro. Attamen hoc verbum nunc ubique habent dictionaria.

Regula 11. *Imperitiæ in citando non semper est certus Character imperiti Authoris.* Sic Lactantius. l. 4. Instit C. 15 ait: Christus tinctus est à Joanne in Jordane: tunc vox de cœlo audita est, Filius meus es tu, ego hodie genui te; quæ vox apud David prædicta invenitur. Hæc tamen verba non reperiuntur in Baptismo Christi dicta esse.

Regula 12. *Ex eo, quod aperi sint immixtæ fabulæ, non certo sequitur, totum tanquam fabulosum rejiciendum esse.* Origenes contra Celsum l. 11. negat: Spiritum Sanctum visum à Servatore in columbæ specie. Quis, inquit, hanc visionem vidit testis, qui fide dignus sit. Quis audivit vocem à cœlo adoptantem te Deo filium? priusquam defensionem aggrediamur, dicendum, fermè omnium narrationum, etiamsi veræ sint, velle asserere veritatem, & opinioni infigere

esse

esse rem perdifficilem, & quibusdam impossibilem. Finge enim, aliquem negare, unquam fuisse bellum Trojanum, præsertim cùm quædam ei narrationi admixta sint impossibilia, de Achille marinæ Deæ filio & hominis Pelei, de Jovis Sarpedone, Ænea Veneris, quomodo astruemus talia, si urgeamur figmentis manifestariis? quamvis jam invaluerit opinio, revera bellum gessisse Græcos cum Trojanis ad Illium. Eadem non credere de Jocasta & Oedipide communibusque liberis Eteocle ac Polinice propter insertam narrationi Sphingem semipuellam, quomodo hoc demonstrabimus? idem sentiendum de Epigonis ut vocantur, horum sociorumque filiis, etiamsi ea narratio careat figmentis similibus, deque profectione in Peloponesum filiorum Herculis, cæterisque innumeris, attamen candidus & circumspectus lector etiam illa rectè dijudicabit, quibusdam assentietur, in aliis figmentum olentibus scrutubitur sensum tropologicum, rursum aliis fidem abrogabit, ut scriptis ad gratiam.

Regula II. *Non omnis historia eo ipso rejicienda, si est desumpta ex libris aut documentis apogryphis, quando Author præditus est prudenti judicio quoad discretionem veri à falso.* Sic Origenes Prologo in Cantica ait: Locutus est Salomon tria millia parabolarum, & erant cantica ejus quinque millia. Ex his ergo quinque millibus canticis volunt hoc unum esse canticum, quod habemus. Sed usquequo vel ubi cantata sint, non solùm ad usum, sed ne ad notitiam pervenit Ecclesiarum Dei. Operosum est autem, & procul ab opere proposito, si nunc velimus inquirere, quam multorum librorum commemoratio fiat in Scriptura, quorum lectio nulla omnino nobis tradita est. Sed neque apud Judæos haberi quidem u-

ſum hujuſmodi reperimus lectionum, quæ ſive pro eo, quòd aliqua ſupra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui Sancto aufferri de medio, ſive quòd eſſent de Scripturis his, quæ appellantur apocryphæ, pro eo, quòd multa in eis corrupta, & contra fidem veram inveniuntur à majoribus tradita, non placuit eis dari locum, nec admitti ad authoritatem, ſupra nos eſt pronuntiare de talibus. Illud tamen palam eſt, multa vel ab Apoſtolis, vel ab Evangeliſtis exempla eſſe prolata, & Novo Teſtamento inſerta, quæ in his Scripturis, quas canonicas habemus, nunquam leginus, in apogryphis tamen reperiuntur, & evidenter oſtenduntur ex eis aſſumpta. Sed ne ſic quidem locus apocryphis dandus eſt. Non enim tranſeundi ſunt termini, quos ſtatuerunt Patres noſtri. Potuit enim fieri, ut Apoſtoli vel Evangeliſtæ Sancto Spiritu repleti ſciverint quid aſſumendum eſſet ex illis ſcripturis, quidve refutandum. Nobis autem non eſt abſque periculo, aliquid tale præſumere, quibus non eſt tanta Spiritus abundantia.

Regula 12. *Quando in aliquo opere fit mentio Authoris, non eſt certum ſignum, opus eſſe alterius Authoris; quia Authores nonnunquam loquuntur de ſeipſis tanquam de aliis*: Sic Ambroſius in Pſal. 118. oct. 18. ſi dicas; Ambroſium Baſſum intus eſſe; unus putatur; ſin autem aſſeras; Ambroſium & Baſſum intus eſſe, duo utique intelliguntur. Sanct. Hieronymus in C. 3. Malach. Hoc, quod dicitur, Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, ex perſona Chriſti dicitur, quòd Joannem miſerit in deſerto prædicare Baptiſmum pœnitentiæ. Quod autem ſequitur: Et ſtatim veniet ad templum ſuum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Teſtamenti quem vos vultis. Ita de ſe quaſi de

altero

altero loquitur juxta consuetudinem scripturarum. Nullique dubium, quin Dominator iste Salvator sit, qui Angelus Testamenti appellatur. S. Augustinus in C. 2. Epist. 1. Ioan. tr. 2. Per cujus nomen remmittuntur peccata? nunquid Augustini? ergo per nomen Donati. Videris, quis Augustinus, aut quis Donatus. Nec per nomen Pauli, nec per nomen Petri. nam dicit: Nunquid Paulus crucifixus pro vobis est? aut in nomine Pauli baptizati estis? S. Gregorius l. 1. Moral. C. 1. Iob suæ victoriæ gesta narravit; nec movere debet, quod in eodem libro dicitur: dixit Iob. &c. Hæc & illa pertulit Iob. Moris enim Scripturæ Sacræ est, ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illa, quasi de aliis loquantur. Hinc est enim, quod Moyses ait: erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabuntur in terra. Hinc Ioannes dicit: Hic est discipulus ille, quem diligebat JESUS. Hinc Lucas ait: Quòd ambularent duo ex discipulis in via, Cleophas, & alius. Quem profectò alium, dum tam studiosè tacuit, ut quidam dicunt, quid nisi seipsum esse monstravit. Scriptores igitur sacri eloquii de se quasi de aliis testimonium proferunt. Undè & Job potuit sua gesta, quasi non sua scribere.

Regula 13. *Defectus non sunt certum signum Authoris mali*. quia omnis Author sua vitia habet, & crescente ætate proficit. Sic D. Hieronymus nonnulla in suis scriptis carpi posse fatetur. Proœm. l. 13. Ezech. C. 41. Æmulorum maledicta prævenio, qui non quid ipsi possint, sed quid ego non possim, considerant, & cùm nostra dijudicent, sua judicanda non præbent, nunquam in agone pugnantes, sed de pugnantibus otiosoi imò superboanimo judicantes. Facile est dare dictata de populo, & in singulos ictus caluminari,

ac de alieno ridere sanguine; & ubi vulnus infligi debuerit, imperiti lanistæ more differre. Ego in explanatione templi Ezechielis, & cæterorum, quæ ad finem ipsius voluminis pertinent, fateor me pro rei magnitudine nihil dignum scribere. Illud Rhetoris Victorini admoneo, ut obscuritatem voluminum ex tribus rebus fieri intelligas, vel rei magnitudine, vel Doctoris imperitia, vel audientis duritia, quorum primum & secundum liquidò in hoc opere confitebor. Idem Proœm. ad Pamachium in Abdiam: Cùm essem parvulus ut parvulus loquebar, ut parvulus sapiebam, ut parvulus cogitabam; postquam factus sum vir, quæ parvuli erant, deposui. Si Apostolus proficit, & quotidie præteritorum oblivisceus in priora se extendit, quanto magis ego, qui necdum ad ætatem perfecti viri veni, mereri debeo veniam, quod in adolescentia mea, provocatus ardore & studio Scripturarum allegoricè interpretatus sim Abdiam Prophetam, cujus historiam nesciebam? ardebat animus cognitione mystica, & quia legeram omnia possibilia credentibus, ignorabam diversa esse charismata; litteras sæculi noveram, & ob id putabam me librum legere posse signatum. Stultus ego; necdum de Altari carbo sublatus labia mea purgaverat; necdum error veteris ignorantiæ igne Spiritus Sancti fuerat circumcisus, & audacter loquebar ad Dominum; Ecce ego, mitte me. Sperabam in scriniolis latere, quod scripseram, & ingenioli mei primam temeritatem ignibus voveram, cùm subitò de Italia affertur exemplar à quodam juvene tot annis, quot & ego aliquando scripseram; laudante opusculum meum. Fateor miratus sum, quòd, quantumvis aliquis malè scripserit, invenit similem lectorem sui. Illi prædicabat, ego erubescebam; illi quasi my-

mysticos intellectus ferebat ad cœlum; ego demisso capite confiteri meum pudorem prohibebar. Quid igitur? condemnamus, in quibus pueri lusimus? minimè. Infans eram, necdum scribere noveram, titubabat manus, tremebant articuli, nunc, ut nihil aliud profecerim, saltem Socraticum illud habeo; Scio, quod nescio. Dicit & Tullius tuus; sibi adolescenti inchoata quædam & rudiora excidisse. Si hoc ille tam de libris ad Herennium, quàm de Rhetoricis, quos ego vel perfectissimos puto, ad comparationem senilis peritiæ dicere potuit, quanto magis ego liberè profitebor, & illud fuisse puerilis ingenii, & hoc maturæ senectutis. In libris quoque contra Marcionem Tertullianus hoc idem passus est, & Origenes in Cantico Canticorum, & Quintilianus in 12. libris Institutionis Oratoriæ. Ex quibus perspicuè ostenditur, unamquamque ætatem in suo esse perfectam & ex annorum debere numero judicari. Idem l. 3. in Zachar. Proœm. Urget me Frater Sisinnius incompta & impolita transmittere; ut non dicam emendandi, sed ne relegendi quidem habeam facultatem. Ille festinat in opus suum, nos in nostro opere minus facimus, dum eruditio incassum vertitur, & quidquid sensu concipimus, composito non licet ornare sermone. Rudes igitur non mea culpa, sed studio portitoris suscipe libros. Quamvis enim elegans sit, exercitatumque ingenium, & longo usu trita curiat oratio, tamen nisi Authoris manu curata fuerit & polita, redolet sordes negligentiæ, & vel nimio verborum flore luxuriat, vel hiulca vocalibus fit, vel aspera consonantibus unde & de Virgilio traditum est, quod libros suos quasi ursorum fœtus lingua composuerit, & lambendo fecerit esse meliores. Idem Proœ l. 5. in Epist. ad Gal-

Loquar? sed omnem & sermonis elegantiam, & Latini eloquii vanustatem stridor lectionis Hebraicæ sordidavit; nostis enim & ipsæ, quòd plus quàm quindecim anni sunt, ex quo in manus meas nunquam Tullius, nunquam Maro, nunquam Gentilium litterarum quilibet Author ascendit; & si quid fortè indè, dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somnii recordamur. Quid autem profecerim ex linguæ illius infatigabili studio, aliorum judicio relinquo, ego quid in mea amiserim, scio. Accedit ad hoc, quia propter oculorum & totius corpusculi infirmitatem manu mea ipse non scribo, nec labore & diligentia compensare queo eloquii tarditatem. Verùm accito Notario aut statim dicto quodcunque in buccam venerit, aut si paululum voluero cogitare melius aliquid prolaturus, tunc me tacitus ille reprehendit, manum contrahit, frontem rugat, & se frustra adesse toto gestu corporis contestatur. Oratio autem & si de bonæ indolis ingenio sit profecta & distincta inventionibus & ornata flore verborum, tamen nisi Authoris sui manu limata fuerit & polita, non est nitida, non habet mixtam cum decore gravitatem, sed in modum divitum rusticorum opibus suis magis arguitur, quàm exornatur.

Regula 14. *Liber, in quo aliqua applicantur ex Auctore damnato, non est necessario Authoris perversi.* D. Hieronymus l. 1. in Epist. ad Titum C. 1. ad illud: Dixit quidam ex illis proprius illorum Propheta; Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ ventres pigri. Integer versus de Epimenide Poeta ab Apostolo sumptus est, & ejus Callimachus in suo poemate est usus exordio. Putant quidam Apostolum reprehendendum, quod eum versiculum approbarit. Quibus respon-

spondendum est ; sicut in eo , quod ait ; corrumpunt mores bonos colloquia prava. Et in illo : Ipsius enim & genus sumus , non statim totam Menandri Comœdiam , & Arati librum probavit , sed opportunitate versiculi abusus est , ita & in præsenti loco non totum opus Callimachi sive Epimenidis , quorum alter laudes Jovis canit , aliter de oraculis scriptitat , per unum versiculum confirmavit . Sed Cretenses tantùm mendaces vitio gentis increpavit . Qui autem putant , totum librum debere sequi eum , qui libri parte usus sit , videntur mihi & Apogryphum Enochi , de quo Apostolus Judas in Epistola sua Testimonium posuit , inter Ecclesiæ Scripturas recipere , & multa alia , quæ Apostolus Paulus de reconditis est locutus. Possumus enim hoc argumento dicere , quia apud Athenienses ignotum Deum se colere dixit , quem illi in ara annotaverant , debere Paulum & cætera , quæ in ara scripta fuerant , sequi , & ea quæ Athenienses faciebant ; facere , quia cum Athenientibus in cultura ignoti Dei ex parte consenserat. Nemo est tam sicarius & parricida , qui non aliquid boni aliquando fecerit ; ergo si unum bonum illius videns probavero , & in cæteris mihi incumbet necessitas , quæ mala fuerint , approbandi . *S.* Augustinus l. 3. de doct. Christ. 30. Ticonius , qui contra Donatistas invectissimè scripsit , cùm fuerit Donatista , & illic invenitur absurdissimi cordis , ubi eos non omni ex parte relinquere voluit , fecit librum , quem regularum vocavit , quia in eo quasdam septem regulas executus est , quibus quasi clavibus Scripturarum Divinarum aperirentur arcana ; quæ quidem considerata , sicut ab ipso aperiuntur , non parùm adjuvant quæ tecta sunt Divinorum eloquiorum . Quæ ideo dicenda putavi ,

ut liber & legatur à ſtudioſis, quia plurimùm adjuvat ad ſcripturas intelligendas, & non de illo ſperetur tantum, quantum non habet. Cautè ſanè legendus eſt non ſolùm propter ea, in quibus ut homo erravit, ſed maximè propter illa, quæ ſicut Donatiſta Hæreticus loquitur.

Regula 15. *Non ſemper tribuenda Authoribus, quæ videntur ab ipſis aut dubia, aut erronea, aut indecentia dicta eſſe.* Sic D. Auguſtinus dicit, ſe nihil aſſertivè voluiſſe de Origine animarum ſtatuere, licèt oppoſitum videatur. Epiſt. 7. ad Marcellinum ait: Diligenter advertant, qui putant me aliquid de anima humana velut certum ſtatuiſſe & fixiſſe, quod vel ex parentibus per propaginem veniat, vel in actibus vitæ ſuperioris atque cœleſtis peccaverit, ut corruptibili carni mereretur includi; & videant, ſic à me verba fuiſſe perpenſa, ut retento eo, quod certum habeo, poſt peccatum primi hominis naſci cæteros homines in carne peccati, ita omnia ſonarent ut nulli præjudicarent opinionis quatuor illarum, quas poſteà digeſſi atque diſtinxi, non confirmans aliquam, ſed interim quod agebam ſequeſtrata illarum diſcuſſione determinans, ut quæcunque illarum vera eſſet, Deus ſinè dubio laudaretur. S. Gregorius l. 12. Mor. C. 8. nonnunquam à fortibus infirmitatis verba ſuſcipienda ſunt, ut per eorum poſt prædicamenta fortia infirmorum corda gratiùs roborentur. Undè beatus Job, cùm quaſi dubitantis verba protulit, dicens: Putaſne mortuus homo rurſum vivat, illico ſententiam ſuæ certitudinis adjunxit, qua ait: Cunctis diebus exſpecto, donec veniat immutatio mea. Idem l. 8. Mor. C. 9. Qui facit Arcturum, & Orionas, & Hyadas, & interiora Auſtri. Nequaquam ſermo veritatis vanas Heſiodi, Arati, & Cal-

Callimachi fabulas sequitur, quasi Orion gladium teneat, amator insanus. Hæc quippe astrorum nomina à cultoribus sapientiæ carnalis inventa sunt, sed Scriptura Sacra idcirco eisdem vocabulis utitur, ut res quas insinuare appetit, notitia usitatæ appellationis exprimantur.

Regula 16. *Quando Authores loquuntur in nominativo plurali, si inconvenientia sunt, non ea sunt, nota characteristica Authorum.* S. Chrysostomus in 1. Epist. ad Corinth. C. 4. hom. 12. Hoc universum orbem conturbat, quòd ad homines aspicientes omnia agimus; quando scortamur, homines magis veremur, quàm Deum. Similia habet sæpius.

Regula 17. *Non debet asseri Authoris interpolatio, nisi probetur per alia exemplaria.* S. August. l. 11. contra Faustum. Ubi sic manifesta veritate præfocantur, ut obsessi dilucidis verbis Sanctarum Scripturarum exitum in eis fallaciæ suæ reperire non possint, id testimonium quod prolatum est, falsum esse respondent. O vocem à veritate fugacem, in amentia pertinacem! usque adeò invicta sunt, quæ adversus vos divinis codicibus proferuntur, ut non sit aliud, quod dicatis, nisi eos esse falsatos. Quæ jam authoritas litterarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet scripturæ ad convincendos errores vestros exeri potest, si hæc vox admittitur, si alicujus ponderis æstimatur? aliud est, ipsos libros non accipere, & nullo eorum vinculo detineri, quod pagani de omnibus libris nostris, quod Judæi de Novo Testamento faciunt, quod denique nosipsi de vestris & aliorum Hæreticorum, si quos suos & proprios habent, vel de iis, qui appellantur apocryphi; non quòd habendi sint in aliqua authoritate secreta, sed quia nulla testifi-

ca-

cationis luce declarati, de neſcio quo ſecreto: neſcio quorum præſumptione prolati ſint. Aliud eſt ergo authoritate aliquorum vel librorum vel hominum non teneri; & aliud eſt, dicere, iſte quidem vir Sanctus eſt, & omnia vera ſcripſit, & iſta Epiſtola ipſius eſt, ſed in ea ipſa hoc ejus eſt, hoc non eſt ejus. Ubi cùm ex adverſo audieris, proba. Non confugias ad exemplaria veriora, vel plurium codicum, vel antiquorum, vel linguæ præcedentis, undè hoc in aliam linguam interpretatum eſt, ſed dicas; inde probo hoc illius eſſe, illud non eſſe, quia hoc pro me ſonat, illud contra me. Itaque ſi de fide exemplarium quæſtio verteretur, ſicut in nonnullis, quæ & paucæ ſunt, & ſacrarum litterarum ſtudioſis notiſſimæ ſententiarum varietates vel ex aliarum regionum codicibus, undè ipſa doctrina commeavit, noſtra dubitatio dijudicaretur; vel ſi ibi quoque codices variarent, plures paucioribus, aut vetuſtiores recentioribus præferrentur; & ſi adhuc eſſet incerta varietas, præcedens lingua, undè illud interpretatum eſt, conſuleretur.

Regula 18. *Continua traditio eſt certum argumentum de authentica libri*. S. Auguſtinus l. 33. contra Fauſtum C. 6. Quid vobis (Manichæis) faciam, quos ita obſurdefecit iniquitas, ut quidquid adverſum vos ex ſcripturis prolatum fuerit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo falſario ſub ejus nomine ſcriptum eſſe dicere audeatis? infelices animæ! de quo libro certum erit, cujus ſit, ſi litteræ quas Apoſtolorum dicit Eccleſia, ab ipſis Apoſtolis propagata, per omnes gentes declarata, utrùm Apoſtolorum ſint, incertum eſt? in litteris ſæcularibus ſub Authorum nominibus multa prolata ſunt & ideo repudiata, quia vel

his

his ſcriptis, quæ eorum eſſe conſtabat, minimè congruerunt, vel eo tempore quo illi ſcripſerant, nequaquam innoteſcere, & per ipſos familiariſſimos eorum in poſteros prodi meruerunt. Ut alios omittam ſub Hippocratis Medici nobiliſſimi nomine quidam libri prolati in authoritatem à Medicos recepti non ſunt, quando comparati eis, quos verè Hippocratis eſſe conſtabat, impares judicati ſunt; & quòd ab eo tempore, quo & cætera ejus ſcripta, non innotuerunt, quòd verè ejus eſſent. Hos autem libros, quibus illi comparati reſpuuntur, ſiquis neget eſſe Hippocratis, non refellitur, ſed ridetur. Cur? quia ſic eos ab ipſo Hippocratis tempore uſque ad hoc tempus & deinceps ſucceſſionis ſeries commendavit, ut hinc dubitare dementis ſit. Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejuſmodi Authorum libros undè noverunt homines, quòd ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt, undè conſtat, quid cujus ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quiſque ſcripſit, quibus potuit inſinuavit, atque edidit & indè in alios atque alios continuata notitia, latiuſque formata ad poſteros etiam uſque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quiſque liber ſit, non hæſitemus, quid reſpondere debeamus. Sed quid pergam in longè præterita? Ecce iſtas litteras, quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus ~~vitæ~~ hujus noſtræ vel illas Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas, undè convincitur, niſi quia illi, qui nunc iſta noverunt, notitiam ſuam ad longè etiam poſt futuros continuatis poſterorum ſucceſſionibus trajiciunt? quæ cùm ita ſint, quis tandem tanto furore cœcatur, niſi

dæ-

dæmoniorum mendaciloquorum malitia subversus sit, qui dicat, non mereri potuisse tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam ut eorum Scciptura fideliter ad posteros trajicerent, cùm eorum cathedras usque ad præsens certissima successione servaverit.

Regula 19. *Nonnunquam ab Hæreticis aliqua operibus Patrum inserta non præjudicant toti operi.* S. Augustinus l. 1. contra Julianum Pelagianum loquens de scriptis Orientalium Patrum Basilii, Gregorii &c. ait: Quid vobis prodest, quod nescio quas ansas atque uncos arte nescio cujus perplexitatis insertis, ne simplicia pateant, & clara luceant?

Regula 20. *Multi libri supposititii ab Hæreticis conficti sunt.* Epiphanius cont. Hær. Cap. 38. Contra Cataros. libellum quendam ex nomine Judæ inscriptum fuerunt, quem Evangelium Judæ vocant. Sed & alia quædam Scripta eodem modo confingunt. Alium, libellum finxerunt ex nomine Apostoli Pauli, nefariis actionibus refertum, quem ascensum Pauli vocant, occasione inventa ab eo, quod Apostolus dicit se ascendisse in tertium cœlum, & audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et hæc sunt, inquit, arcana verba. S. Basilius Epist. 43. ad Gregorium Nyssenum fratrem. Unam mihi epistolam contexuisti, ac tanquam à venerando & communi nostro patruo scriptam attulisti, fallens me; cujus gratia; ignoro. Accepi illam tanquam ab Episcopo communique patre per te allatam. Quid enim non credidissem? ostendi illam quamplurimis amicorum præ gaudio, egique DEO gratias. Deprehensum est figmentum, ipso Episcopo epistolam à se scriptam propria voce per-

pernegante. Erubui super hac epistola; optavimus terram nobis dehiscere, quod fallaciæ, mendacii, ac seductionis probro expositi essemus. Alteram denuo mihi tanquam ab eodem Episcopo missam per domesticum tuum Asterium reddidisti. Neque illam verè miserat Episcopus. S. Hieronymus l. 1. contra Pelag. de Ruffino loquens ait: Illam autem temeritatem, imò insaniam ejus quis digno possit explicare sermone; quod librum Christi Pythagorei, hominis absque Christo atque Ethnici immutato nomine Sixti Martyris & Romanæ Ecclesiæ Episcopi prænotavit? Idem in Apologia adversus Ruffinum. C. 7. scribit frater Eusebius, se apud Affros Episcopos epistolam quasi meo nomine scriptam reperisse; in qua agerem pœnitentiam, & me ab Hebræis in adolescentia inductum esse testarer, ut Hebræa volumina in Latinum verterem, in quibus nulla sit veritas. quod audiens obstupui. Et quia in ore duorum aut trium stat omne verbum, unique testi nec Catoni creditum est, idipsum multorum me ex urbe fratrum scripta docuerunt; sciscitantium an ita se haberet, & à quo ipsa Epistola disseminata esset in vulgus lacrymabiliter indicantium. Qui hoc ausus est facere, quid aliud non audeat? bene, quod malitia non habet tantas vires, quantos conatus. Perierat innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia. Stylum meum, qualiscunque est, & formam eloquii vir disertissimus exprimere non potuit, sed inter ipsas præstigias, & alterius personam, qua se induerat ostendit. Ergo ille, qui sub nomine meo pœnitentiæ finxerat, quòd malè Hebræo volumina transtulissem, objicere dicitur. S. Chrysostomus hom. 1. in 2. Ep. ad Thessal. Aggrediebantur alii quidem verba solùm mittere,

tere, tanquam quæ dicebantur à Paulo; alii autem etiam fingere epiſtolas, tanquam ab eo ſcriptas. Propterea omne iter eis intercludens, dicit: Ne terreamini neque per ſermonem, neque per epiſtolam tanquam per nos miſſam. Undè ergo ſciemus inquit? propterea adjecit: Salutatio meæ manu Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola. Ita ſcribo; Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Non hoc dicit, quòd hoc ſit ſignum. eſt enim veroſimile, alios quoque hoc eſſe imitatos, ſed ſalutationem meâ manu ſcribo. nam ex ſubſcriptione, fiunt manifeſtæ litteræ eorum, qui mittunt. Cyrillus Epiſt. 28. ad Joannem. Cognovimus, quòd celeberrimi Patri noſtri Athanaſii ad B. Epictetum epiſtolam orthodoxè loquentem nonnulli à ſe corruptam ediderunt, ita ut hinc multi lædantur, utile hoc ac neceſſarium fratribus rati ex vetuſtis exemplaribus, quæ ſincera apud nos ſunt, tranſumpta ſanctitati tuæ miſimus. Idem teſtatur ad Acacium Epiſt. 29. Et ad Succeſſum Epiſcopum de Incarnatione. Theodoretus l. 1. hæret. fabul. de Tatiano. Is compoſuit Evangelium, quod dicitur, per quatuor, amputatis genealogiis, & aliis, quæcunque oſtendunt Dominum natum ſecundùm carnem. Eo autem uſi ſunt non ii ſolùm, qui ſunt illius ſectæ, ſed ii etiam, qui dogmata Apoſtolica ſequuntur, compoſitionis fraudem non cognoſcentes, ſed ſimpliciùs eo, tanquam libro compendioſo utentes. Ego quoque inveni plus quàm ducentos hujuſmodi libros, qui in honore habebantur in noſtris Eccleſiis. Quos cùm omnes ſimul coegiſſem, depoſui, & loco eorum repoſui quatuor Evangeliſtarum Evangelia. S. Gregorius l. 9. Epiſt 69. indict. 4. Inter alia, quæ Andreas Monachus peſſimè cogitavit & fecit,

eam

eam quoque quam ad nos miſiſtis, dum apud ipſum à tabulario eſſet depoſita, ita falſavit epiſtolam, ut quicunque eam legeret, vos nec Catholica, nec recta ſapere evidenter argueret, ex qua re contingit, ut dum veritatem ſtudiosè quæreremus ejus, quæ latebat, iniquitas vulgaretur. Et quia inter diviſa mala aliquos etiam ſermones ſcripſit, atque eos ex noſtro nomine titubavit, & ſuſpecti ſumus, ne eos alicubi tranſmiſerit, fraternitas veſtra ſollicitudinem gerat, & ſi quid tale repererit, eos & exſcindi, & omnino faciat aboleri, ut quod noſtro nomine præno-tavit, quorundam animos non poſſint inficere.

PARS VI.

Principia Artis Criticæ demonſtrata.

CAP. I.

Probabile eſt, quod communius verum eſt.

HIc terminus, τὸ *Probabile*, ab Authoribus in duplici ſenſu accipitur, in ſtricto ſcilicet, & latiori. In latiori ſenſu, quæ præterito ſæculo inter Probabiliſtas invaluit, idem ſignificat ac quævis *opinio nitens fundamento gravi non enervato*, in quo ſenſu aliqua opinio vocatur probabilis, etiamſi communiùs vera non ſit: v.g. ſi aliqua opinio pro ſe habeat quatuor Authores graves; ejus verò contradictoria pro ſe habeat decem Authores æquè graves, utraque opinio dicitur probabilis, etiamſi communiùs ac frequentiùs contingat, illam opinionem veram eſſe, pro qua ſtant decem Authores

quàm

quàm eam, pro qua tantùm stant quatuor Authores; si tamen cætera sint paria. In sensu verò strictiori *Probabile* tantùm illud dicitur, *quod frequentius contingit esse verum.* In hoc sensu τὸ *Probabile* frequenter sumpsisse veteres, ex Aristotele, Cicerone, Quintiliano, D. Thoma, S. Antonino, Oldendorpio, & Cujacio manifestum fiet ex textibus mox referendis. Ratio docet, terminum, cui varius atque inconstans sensus subjicitur, à quolibet accipi posse in eo sensu, in quo voluerit: erit itaq; & mihi liberum, τὸ *Probabile* sumere in sensu strictiori, & definitione nominis arbitraria dicere: *Probabile voco, quod communius verum est.* Aristoteles l. 1. Rhet. C. 2. sic ait: *Enthymema Syllogismum Rhetoricum appello; verùm quoniam pauca eorum, de quibus agunt Syllogismi Rhetorici, necessaria sunt; plurima verò, quæ ut plurimùm accidunt, patet ea, ex quibus ea Enthymemata stuant, quædam fore necessaria, plurima verò hujusmodi, ut ferè semper soleant fieri. Fluunt namque Enthymemata ex probabilibus; probabile autem est, quod ferè semper solet fieri.* l. 2. Rhet. C. 27. idem sic ait: *Omnia Enthymemata fluunt ex probabili; & sunt ex probabilibus; quæ colliguntur ex iis, quæ ut plurimùm aut sunt, aut esse videntur. Quoniam igitur probabile non semper, sed ut plurimùm verum est, perspicuum est, possibile esse, ut hujusmodi Enthymemata semper solvantur objectione allata; qua quidem objectio non semper est vera, sed tantùm apparens solutio, eò quòd, qui objicit, non dissolvat verisimilitudinem, sed tantùm probet, eam non esse necessariam; nam cùm v. g. in judicio actor per probabilia confirmet, semperque, quod ut plurimùm est, pro se afferat, non est eadem solutio, quòd non sit probabile, & quòd non sit necessarium; quare non satisfecit reus, cùm*

solvit

ſolvit; *& probat*; *non eſſe neceſſarium*; *ſed ſolvendum eſt, quòd non ſit probabile*; *quod eveniet, ſi objectio magis ut plurimùm eſt*. Idem l. 1. Topic. C. 1. ait: *Probabilia autem ſunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, & præcipuis probabilibus: falſigraphus autem non ſyllogiſat ex probabilibus; neque enim, quæ omnibus videntur, ſumit; neque quæ probabilibus, neque quæ pluribus; neque quæ ſapientibus, & his neque pluribus; neque probabilioribus, & præcipuis.* L. 1. Topic. C. 3. ait: *Propoſitio dialectica eſt poſitio probabilis, aut omnibus, aut plurimis, aut ſapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis vel maximè familiaribus non inopinabilis; ponet enim aliquis, quod videtur ſapientibus, niſi id contrarium ſit malorum opinionibus.* Ex his probabilitatis definitionibus Ariſtotelicis ſatis appareret, Ariſtotelem illam ſententiam vocaſſe probabilem, cujus principia, ratio videlicet, vel authoritas, nos frequentius non fallunt, quæque relatè ad hoc vel illud principium ac fundamentum ut plurimùm vera eſt. v. g. ſi dico; *nocte rubet cœlum*; *ergo cras ſerenum erit*; principium ac fundamentum meæ opinionis de craſtina ſerenitate eſt rubedo cœli nocturna; & ſtante hac rubedine ut plurimùm, ac communiùs verum eſt ſequi ſerenitatem: itaque opinio mea hæc probabilis eſt. Vel ſi dico: *ferè omnes conſiliarii Regis uno alterove excepto, diſſuaſerunt bellum*; *ergo erit infaustus belli exitus*. Principium ac fundamentum hujus meæ opinionis eſt authoritas ferè omnium Conſiliariorum Regis, quæ plerumque, ac frequentiùs non ſolet fallere, itaque mea opinio erit probabilis; nec ſatisfaciet ex mente Ariſtotelis,

qui

qui voleus meam opinionem refutare diceret : *Possunt hi consiliarii errare ; sunt etiam illi consiliarii Regis prudentes, qui suaserunt arma Principi &c.* talis enim refutatio præcisè ostenderet, opinionem meam non esse necessariam ; minimè verò ostenderet, eam non esse ut plarimùm atque à potiori veram, seu probabilem, prout etiam observavi part. 1. §. 4. n. 17. sed jam ad alias authoritates progredior.

Cicero l. 1. de Invent. n. 56. ait : *Probabile est id, quod ferè fieri solet : in eo genere, quod ferè fieri solet, probabile hujusmodi est : Si mater est, diligit filium.* Idem hoc loco plura alia affert probabilitatis exempla, in quibus semper fit argumentatio ab eo, quod frequentius solet contingere.

Quintilianus Init. Orat. l. 5. C. 10. ait : *Credibilium* (probabilium) *genera sunt tria ; unum firmissimum, quod vere accidit, ut liberos à parentibus amari. Alterum velut propensus. v. g. eum, qui rectè valeat, ad crastinum perventurum. Tertium, tantùm non repugnans* v. g. furtum in domo factum ab eo, qui domi Omnia aut credibilia, plerumque, non semper : alioquin essent indubitata, non argumenta.

S. Thomas 2. 2. q. 70. a. 2. C. ait : Dicendum, quòd secundùm Philosophum l. 1. Eth. C. 3. *Certitudo non est similiter quærenda in omni materia ; in actibus enim humanis non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quòd sunt circa contingentia & variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus à veritate deficiat. Est autem probabile, quòd magis contineat veritatem dictum multorum, quàm dictum unius.*

S. Antoninus Part. 1. tit. 3. C. 10. ad f. ait : *Certitudo, quæ requiritur in materia morali,*

non

non eſt certitudo evidentiæ, ſed probabilis conjecturæ - non enim conſurgit certitudo moralis ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis, groſſis, & figuralibus, magis ad unam partem, quàm ad aliam ſe habentibus: Dicitur autem probabile, quod pluribus, & maximè ſapientibus apparet verum.

Oldendorpius, prout refertur in Notis ad ff. l. 22. tit. 3. in Topicis de præſumpt. ait: *Præſumptio eſt conjectura collecta per rerum circumſtantias ex argumentis vel indiciis frequenter evenientibus.* Et Cujacius l. cit. ait: *Præſumptiones ſunt anticipationes quædam de eo, quod in re eſt, communi ſenſu perceptæ ex eo, quod plerumque intelligitur, quod pleramque fit.*

Ex dictis itaque patet, τὸ *probabile* in ſenſu ſtrictiore, quem communiter ſolet exhibere definitio nominis, ſignificare judicium mentis, cujus principia, ratio vel authoritas plerumque non fallunt. Et in hoc ſenſu τὸ *probabile* antiquitus non ſolùm acceperunt communiter Ariſtotelici, Theologi, & Juriſtæ, ſed ipſi etiam Academici, ſi eorum mentem rectè inſpicimus. Plato in Timæo non obſcurè innuit, ſe id probabile dicere, quod tanquam veroſimilius mentem ad aſſenſum pertrahit. Sic ait: *Ne mireris, O Socrates, ſi de mundi generatione rationes probatiſſimas afferre non poſſim. Satis enim factum putare debebis, ſi non minus probabiles, quàm quivis alius rationes attulerim æquum eſt meminiſſe, & me, qui diſſeram, & vos qui judicabitis, homines eſſe, ut ſi probabilia dicentur, nihil ulterius requiratis - quocirca, ſicut ratio nobis probabilis perſuadet, dicendum eſt, hunc mundum animal eſſe. —— nunc de hominis compoſitione probabili ratione monſtrandum. —— Quod autem ab initio dixi, veriſimilitudinis vim ſervabimus, ſtudebimusque in rationibus veriſimilibus aſſignandis nulli cedere.* En! Pla-

to

το dicit, ultra ſuas rationes probabiles *nihil ulterius poſſe requiri*, & in iis *ſe nulli cedere*, quod non convenienter diceret, niſi crederet eas eſſe veriſimiliores, easque minus fallere; immò addit, ſed ab iis *perſuaſum* eſſe, & converſionem animæ ad ſenſibilia ait *opiniones*, *fideique aſſenſiones firmas producere*. S. Auguſtinus de Academicorum probabilitate loquens agnoſcit, eos illud vocaſſe probabile, quod videtur verius eſſe, ac frequentius. verùm, licèt de abſoluta veritate rei nihil intellectus pronuntiet; affertque talis probabilitatis exemplum in ſerenitate, quæ de nocte rubens cælum frequentius ſubſequitur: l. 2. Cont. Acad. C. 11. ſic ait: Id probabile vel veriſimile Academici *vocant*, *quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt invitare*; *ſine aſſenſione autem dico*, *ut id*, *quod agimur*, *non opinemur verum eſſe*, *aut nos id ſcire arbitremur*, *agamus tamen*, *ut verbi cauſa*; *utrùm heſterna nocte tam liquida ac pura hodie tam lætus Sol exoriturus eſſet*, *ſi nos quiſpiam rogaret*, *credo*, *quod nos id ſcire negaremus*, *diceremus tamen*, *ita videri*; *talia*, *inquit Academicus*, *mihi videntur omnia*, *quæ probabilia*, *vel veriſimilia putavi nominanda*, *quæ tu*, *ſi alio nomine vis vocare*, *nil repugno*; *non enim vocabulorum opificem*, *ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem*.

Cicero l. 4. Acad. quæſt. dum contra Academicos diſputat, agnoſcit, eos per τὸ *Probabile* intellexiſſe id quod proximè ad verum accedit: *Quod eſt igitur*, *inquit*, *veſtrum probabile? nam ſi quod cuique primo quaſi aſpectu probabile videtur*, *id confirmatur*, *quid eo levius? ſi dicent*, *id ſe ſequi*, *quod ex circumſpectione aliqua & accurata conſideratione viſum fuerit*, *tamen exitum non habebunt*. *nam*, *cùm dicant*, *accidere poſſe ſapienti*, *ut*, *cùm omnia fecerit*, *& diligentiſſime circumſpexerit*, *exiſtat aliquid*,

quod

quod & veriſimile videatur, & abſit longiſſimè à vero; quomodo, ſi magna parte quidem ut ſolent dicere, ad verum ipſum, aut quàm proximè accedant, confidere ſibi poterunt? inquiunt, cùm Deus falſa viſa, velut ea, quæ in ſomniis videntur, Deus efficere poſſit probabilia, quenam modo, quæ proximè accedunt ad veritatem, efficere non poſſit? Sextus Empiricus l. 1. Pyrrhon. Hypotypos. C. 33. teſtatur, Recentiores Academicos ſui temporis ſtatuiſſe tria genera probabilitatum; quarum tamen quodlibet verſatur circa id quod apparet veriſimilius. Sic ait: *Novæ Academiæ Alumni aliquid eſſe bonum & malum dicunt, ſimul perſuaſi, veriſimilium eſſe, id, quod dicunt bonum, bonum eſſe, quàm contrarium. Præterea phantaſias alias non probabiles; quin & probabilium ſtatuunt diverſa genera. Alias enim probabiles tantùm eſſe dicunt, alias autem probabiles, & accurata conſideratione probatas; alias probabiles, & probatas accurata conſideratione, & quæ nullo dubio impediuntur. v. g. ſi quis ingrediatur domum tenebricoſam, & videat funem contortum & convolutum, probabilis ei phantaſia fit, ſe videre ſerpentem. Si autem exactè intuitus fuerit, apparet, eſſe funem, per phantaſiam probabilem, & accurata conſideratione probatam. Præferunt igitur novi Academici ei phantaſiæ, quę ſimpliciter eſt probabilis, eam, quæ eſt probabilis, & per accuratam conſiderationem probata; utrique autem harum eam, quę eſt probabilis, & per accuratam conſiderationem probata, & quæ nullo dubio impediatur.*

Ex his omnibus patet, τὸ *probabile* convenienter ſumi pro judicio, cujus principia, ratio, aut authoritas, frequentiùs non fallunt, quàm fallunt.

CAP. II.

Gradus probabilitatis per numeros exhiberi posſunt.

1 Cùm probabile illud ſit, quod frequentiùs contingit verum eſſe, clarum eſt, eò majorem fore probabilitatem, quo frequentius attingit veritatem. v. g. ſi ex centum obſervationibus, quas de ſubſecuta ad rubedinem cœli nocturnam tempeſtate inſtitui, deprehendi, ſexageſies ſerenam tempeſtatem ſubſecutam eſſe, probabile erit, nocte rubente polo craſtina die ſerenum futurum; adhuc verò major probabilitas erit, ſi ex centum obſervationibus octuageſies ſerenum ſubſecutum eſt; maxima probabilitas erit, ſi in centum obſervationibus nonagies, aut nonagies novies ſerenum contingit. In primo enim caſu, quo dico, ſerenum futurum, ſexagies quidem continget, prædictionem meam veram futuram; quadragies autem falſam. In altero caſu continget, prædictionem meam octogies veram eſſe, vigeſies autem falſam. In tertio caſu continget, prædictionem meam veram futuram nonagies, aut nonagies novies, falſam autem futuram tantùm decies, aut ſemel. Itaque in primo caſu continget, aſſertionem meam frequentiùs quidem veram futuram, ejusque principia minus frequenter fallere; ſed longè frequentiùs eam aſſertionem futuram veram eſſe in ſecundo caſu, ac frequentiſſimè in tertiò caſu.

2 Cuivis manifeſtum eſt, in allato exemplo gradus probabilitatis ſic exhiberi poſſe, ut in primo caſu probabilitas ſe habeat, ut $\frac{60}{100}$ in altero caſu, ut $\frac{80}{100}$ in tertio,

90 99
tio, ut —— vel —— & sensus erit, intra
100 100
recurrentem centum casuum seriem, sexagies, octuagies, nonagies, aut nonagies novies verum dicturum, si futuram serenam tempestatem nocte rubente cœlo prædicturus sum. Sicut in allato exemplo gradus probabilitatis per numeros exhibentur, ita etiam in omni alia controversia fieri potest, cujus fides ab authoritate Doctorum, numero & idoneitate testium dependet. v. g. ponamus pro aliqua sententia stare 70. Authores, prout pro mea *Thesi* de *fructu indulgentiarum* tot Authores protuli. Ponamus insuper, pro opposita sententia stare 100. aut 150. aut 200. Authores, prout in ea indulgentiarum materia produci posse nullus dubito, clarum erit, oppositam sententiam, si præcisè attendatur authoritas, cæteris paribus, longè fore credibiliorem, & in primo casu se habituram ejus probabilitatem, ut
10 150
—— in altero casu, ut —— in tertio casu,
170 220
200
ut —— sensus erit: si colligantur vota &
270
testimonia Authorum, in primo casu 100. vota ex 170. votantibus futura pro opposita sententia; in altero casu ex 220. votantibus 150. vota; in tertio casu ex 270. votantibus 200. vota pro opposita sententia depositura esse.

4 Sicut in primo exemplo gradus probabilitatis ex numero casuum veritati adminiculantium, ab inductione per experientiam cogniro, rectè exprimitur in numeris
60 80 90 99
—— —— —— —— ita in omni alia con-
100 100 100 100

60 80 90 99
100. 100. 100. 100.

troversia fieri potest, etiamsi probabilitas non fundetur in experientia, prout in primo casu, aut in authoritate, prout in secundo exemplo. *Demonstratur.* Omnis propositio probabilis ideo est probabilis, quia *ut plurimum non fallit*, ut patet ex definitione probabilitatis C. 1. igitur omnis propositio probabilis ideo est probabilis, quia aut deprehensa est per experientiam ab inductione in data aliqua casuum consimilium serie minus frequenter fallere; aut quia nata apta est, in aliqua data possibili casuum consimilium serie minùs frequenter fallere. Ea propositionis in data casuum possibilium serie frequens vel minùs frequens fallibilitas dicit quatuor. Primò, dicit, finitam ac determinatam casuum possibilium seriem, relatè ad quam dicitur frequenter aut minùs frequenter fallere: neque enim ea series infinita poni potest, cùm in infinito sciri non possit, quid ut plurimùm fiat, aut, si hoc sciri possit, ipsum infinitum quoad eam proportionem ac commensurabilitatem finito æquivalere necesse sit. Secundò dicit ea fallibilitas in illa finita ac determinata casuum possibilium serie determinatum numerum casuum, secundùm quem fallit. Et tertiò dicit in eandem serie determinatum numerum casuum, secundùm quem non fallit. Quartò dicit ea fallibilitas præparationem causarum, quæ sic dispositæ sunt, ut meritò prævideri possit, recurrente casuum possibilium serie toties veritatem propositionis secuturam, toties non secuturam fore verb. grat. si statim primo die conditi mundi *nocte rubente polo* Adamus dixisset, *crastino serenum futurum*;

ejus

ejus assertio fuisset probabilis, etiamsi ex nulla prævia experientia, atque inductione casuum consimilium eam probabilitatem didicisset. Ratio est, quia si Adamus habuisset scientiam causarum naturalium, si cognovisset constitutionem universi, simul agnovisset, causas naturales sic præparatas esse, ut recurrente centum aut mile casuum consimilium serie incomparabiliter frequentiùs, verb. grat. sexagies, octuagies, nonnagies &c. fere-num futurum sit. Demonstratum autem est in exemplis, & patet ex legibus Arithemeticis, quamcunque relationem numerorum numeris exprimi posse. Igitur, cùm tota major vel minor fallibilitas propositionis nihil aliud dicat quàm relationem causarum præpatatarum ad numerum casuum fallentium vel non fallentium in determinata casuum possibilium serie, ea tota propositionis fallibilitas ac consequenter probabilitas universim numeris exprimi poterit. Q. E. D.

5 Quando in primo, & secundo exemplo probabilitas se haberet, ut $\frac{60}{100}$ $\frac{80}{100}$ $\frac{90}{100}$ $\frac{70}{100}$ $\frac{150}{220}$ $\frac{200}{270}$ ea probabilitas facilè ad minores terminos redigi posset, ut patet ex legibus Arithemeticis, videlicet, ad sequentes, $\frac{6}{10}$ $\frac{8}{10}$ $\frac{9}{10}$ $\frac{7}{19}$ $\frac{15}{22}$ $\frac{20}{27}$ Ea ad minores terminos reductio in plurimis aliis casibus fieri potest, ut patet considenanti.

6 Quando probabilitas non poteſt accuratè reduci ad minores terminos, verb. gr. hæc $\frac{15}{22}$ $\frac{20}{27}$ $\frac{31}{47}$ &c. poterit tamen reduci ad fractionem decimalem per approximationem. v. g. hæc fractio $\frac{15}{22}$ quàm proximè æquivalet huic fractioni $\frac{7}{10}$ altera fractio $\frac{20}{27}$ quàm proximè æquivalet huic fractioni $\frac{7}{10}$ vel $\frac{8}{10}$ tertia fractio $\frac{31}{47}$ quàm proximè æquivalet huic fractioni $\frac{6}{10}$ vel $\frac{7}{10}$ Itaque probabilitas, ut $\frac{15}{22}$ $\frac{20}{27}$ $\frac{61}{41}$ per approximationem equivalebit probalitati ut $\frac{7}{10}$ $\frac{8}{10}$ $\frac{6}{10}$ inveniesautem eum valorem per approximationē, ſi dicas per Regulam de Trj: ut ſe habet v. g. 22. ad 10. ita ſe habet 15. ad 7. 22: 10:: 15: 7.

7 Cùm itaque omnis probabilitas per reductionem ad minores terminos, & approximationem in ratione decimali exprimi poſſit, reȝè omnes gradus probabilitatis per ſequens Schema exhiberi poterunt.

Schema:

Schema

Rationis decimalis probabiliſticæ.

$\frac{0}{10}$ $\frac{1}{10}$ $\frac{2}{10}$ $\frac{3}{10}$ $\frac{4}{10}$ $\frac{5}{10}$ $\frac{6}{10}$ $\frac{7}{10}$ $\frac{8}{10}$ $\frac{9}{10}$ $\frac{10}{10}$

In hoc ſchemate propoſitionem certam voco, cujus principia nunquam fallunt. ut $\frac{10}{10}$

— propoſitionem moraliter certam voco, $\frac{10}{10}$ cujus principia ferè nunquam fallunt, ut $\frac{90}{10}$

— propoſitionem probabilem voco, cujus $\frac{10}{10}$ principia frequentiùs non fallunt, quàm fallunt, ut $\frac{8}{10}$ $\frac{7}{10}$ $\frac{6}{10}$ propoſitionem dubiam voco, cujus principia æquè fallunt, ac non fallunt, ut $\frac{5}{10}$ propoſitinem denique improbabilem voco, cujus principia frequentiùs fallunt, quàm non fallunt, ut $\frac{4}{10}$ $\frac{3}{10}$ $\frac{2}{10}$ $\frac{1}{10}$ $\frac{0}{10}$.

CAP III.

Regulæ determinandi gradum probabilitatis ex Inductione.

1 GRadus probabilitatis determinatur per hoc, quod assignetur, quoties in determinata casuum serie propositio fallat, aut non fallat, v. g. quoties nocte rubente polo intra centum casus contingat sequi serenum, quoties id non contingat. Hoc autem sciri potest vel *à posteriori*, vel *à priori*. à posteriori cognoscitur *ex inductione* atque experientia casuum consimilium, eo quòd jam longa experientia observatum sit, quoties propositio fefellerit, aut non fefellerit. à priori id cognoscitur ex præparatione ac dispositione causarum, è quibus effectus in data casuum serie natus aptus est toties sequi, toties non sequi. Regulas, per quas à priori cognoscitur, quoties effectus secuturus aut non secuturus sit, *Leges Contingentium* voco, easque communiter indigito his duabus Litteris L. C.

2 Regulæ determinandi gradum probabilitatis à posteriori sunt sequentes.

Prima. Quando probabilitas propositionis desumitur ab inductione casuum consimilium tanta inductio fieri debet, ut comprehendat omnes causas & circumstantias effectum diversificantes, verb. gr. si quæro, quanta sit probabilitas, quòd nocte rubente polo crastino die serenum futurum sit, non sufficeret ad validam inductionem faciendam per decem dies continuata observatio, posset enim contingere decem illis diebus semper fuisse serenum: & sic malè concluderem, probabilitatem

$\frac{10}{10}$

esse, ut $\frac{10}{10}$, seu tantam, ut semper nocte

cte rubente polo altero die ſerenitas ſubſequatur. Debet ergo obſervatio per plures annos in hoc exemplo eſse continuata, quia facilè agnoſcit quilibet, ad conſtituendam ſerenitatem plures cauſas ac circumſtantias concurrere, verb. grat. humiditatem, ſiccitatem, calorem, frigus, & gravitatem, aut levitatem aeris, ſeu altitudinem atmoſphæræ, ventos orientales, meridionales, occidentales, ſeptentrionales, aut medios; turbines ventorum, anni tempora, hyemem, ver, æſtatem, autumnum, æquinoctia, ſolſtitia, plenilunia, acceſsus perigæos, & receſsus apogæos Solis & Lunæ, evaporationes & diſpoſitiones locorum particularium &c. Hæ omnes cauſæ & circumſtantiæ diverſificare poſsunt ſerenitatem, ac tempeſtatem aeris; earumque evolutio non poteſt fieri intra hebdomadam, menſem, aut annum, ſed requiritur obſervatio plurium annorum, ad hoc, ut inductio omnes cauſas, circumſtantias, ac caſus poſsibiles comprehendat. Idem ergo in omni alia legitima inductione obſervari debet.

3 *SECUNDA REGULA. Quando fit inductio, omnes caſus, à quibus fit inductio, conſimiles eſſe debent.* verb. grat. quando ex rubedine cœli nocturna prædico ſerenitatem, ea rubedo, quam obſervo, priori rubedini ſæpius obſervatæ ſimilis eſse debet, ficca videlicet, fulgida, ac ignea; non humida, ac limpida; ex hac enim potius pluviæ, quàm ſerenitas, conſequi ſolent.

4 *TERTIA. Caſus, à quibus fit inductio, tunc cenſentur eſſe conſimiles, quando ab illis omnibus caſum diverſificantibus adhuc remanet ſimilitudo utilis ad confirmationem intenti.* v. g. dum aſsero, nocte rubente polo eras

ſerenum futurum; idque probo ab inductione caſuum conſimilium, legitima erit inductio, etiamſi una obſervatio facta fuerit in hyeme, altera in æſtate; una flante vento orientali, altera occidentali &c. quia ablatis his circumſtantiis caſum diverſificantibus, adhuc remanet ſimilitudo unius rubedinis obſervatæ in aere ad alteram, & hæc ſimilitudo utilis eſt ad confirmationem intenti, qui facit ſpem, hac rubedine poſita ſerenitatem eodem modo ſecuturam, prout ſecuta eſt in præcedentibus; incredibile enim videtur, eam rubedinem non eſſe partem, aut proprietatem, aut characterem, aut terminum quomodocunque connexum cauſarum naturalium per ſe inducentium ſerenitatem, utpote quæ cum iis cauſis, quamvis nobis fortè incognitis, ſemper conjuncta eſſe experientia conſtanti comprobatur.

QUARTA: Quando inductio apparet eſſe imperfecta, ad reperiendum verum probabilitatis gradum reſidua caſuum poſſibilium ſeries ex Legibus Contingentium *ſuppleri debet.* v. g. ſi in æſtate per integrum menſem obſervavi nocte rubente polo ſerenum ſubſecutum eſſe, facilè tamen agnoſco, inductionem ex obſervationibus unius menſis factam adhuc imperfectam eſſe. Itaque conſulendæ ſunt *Leges Contingentium*, & conſiderandum eſt à priori, quoties in reſiduis poſſibilibus circumſtantiis temporum, ventorum &c. poſita rubedine cœli nocturna ſerenitas ſperari poſſit. Si videatur, reſiduam caſuum & circumſtantiarum ſeriem nullum alium effectum, quàm præteritam, producturum fore, tota probabilitas ex præterita caſuum ſerie atque inductione, quamvis imperfecta, ſatis colligitur. Si verò videatur, reſiduam caſuum & circum-

circumſtantiarum ſeriem alium effectum productúrum, æſtimetur ea effectus probabilitas ex *legibus Contingentium*, & addatur ad probabilitatem ex inductione præteritorum reſultantem, ſumma dabit probabilitatis gradum quæſitum. v. g. ſit probabilitas futuræ ſerenitatis ex inductione obſervationum præcedentium, ut $\frac{9}{10}$ ſed eadem probabilitas ex æſtimatione aliarum circumſtantiarum poſſibilium, in quibus non tam frequenter creditur ſecutura ſerenitas ad rubedinem cœli nocturnam, ſit per L. C. ut $\frac{7}{10}$ ſi utraque probabilitas addatur, fiet probabilitas $\frac{16}{20} = \frac{3}{10}$.

C A P. IV.

Regula determinandi Gradum probabilitatis ex Legibus Contingentium.

REGULA 1. *Contingentia non procedant uniformiter.* Senſus eſt: quòd cauſa æqualiter diſpoſita ad plures effectus, v. g. ad ſex, decem, centum &c. non conſtanter producat eundem effectum, ſed modò hunc, modò alium; Ratio eſt, quia in cauſa æqualiter diſpoſita ad plures diverſos effectus contingentes nulla reperitur determinatio ad unum effectum, adeòque æqualis eſt determinabilitas, & conſequenter æqualis ſpes ad quemlibet effectum; cumque etiam Deus, & aliæ cauſæ univerſales

ſoleant agere juxta capacitatem, ac præparationem ſubjecti, ſolet evenire; quòd ex talibus cauſis non ſequatur idem effectus, ſed modò hic, modò alius, ut ſic ſucceſſivè actuetur tota capacitas ac diſpoſitio ſubjecti producendo omnes effectus contingentes ex tali cauſa producibiles. Hanc Regulam conſtans experientia, & virorum Doctorum obſervatio confirmat. Si enim ſumamus teſſeram perfectè cubicam, adeoque æqualiter diſpoſitam ad jaciendum numerum unum, dualem, ternarium, quaternarium, quinarium, aut ſenarium; videbimus, non conſtanter unum eundemque numerum eventurum, ſed modò hunc, modò illum; quia videlicet Contingentia non proceduntuniformiter, prout infinitis exemplis demonſtrari poteſt: Hac ipſa Regula uſus eſt Tertullianus P. adverſus Hæreticos C. 28. ubi oſtendit, impoſſibile eſſe, omnes Eccleſias univerſi orbis contingenter in unum univerſalem ac uniformem errorem prolapſas eſſe, niſi illum errorem è traditione accepiſſent, quod dici non poteſt. *Age nunc*, inquit, *omnes erraverint; deceptus ſit & Apoſtolus; neglexerit Officium Vicarius Chriſti, ſinens Eccleſias aliter credere, quàm ipſe prædicabat*: *Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint*: Nullus inter multos eventus eſt unus exitus; *varieſſe debuerat error doctrinæ Eccleſiarum; cæterùm quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum*.

2. REGULA 2. *Quod poteſt fieri & non fieri, in innumeris circumſtantiis aut occaſionibus aliquando fit, & aliquando non fit*. Ratio eſt: *quia contingentia non procedunt uniformiter*. verb. grat. ſi habeas teſſeram perfectè cubicam, poterit fieri, ut jacias numerum ſenarium; & poterit hoc non fieri; interim

terim tamen neceſſe eſt, ut in innumeris jactibus aliquando etiam jacias numerum ſenarium. Hac Regula uſus eſt S. Chryſoſtomus, dum aſſerit, neceſſe eſſe, ut homo conſtitutus in frequentibus occaſionibus propinquis mœchandi, aut pejerandi, aliquando in laſciviam, aut perjurium prolabatur. Homilia 17. in Matth. ſic ait: *Quid eſt*, inquis, *ſi video, & concupiſco quidem mulierem ſed tamen turpe nihil ago? Et ſic quidem jam in adulterorum parte numeraris; nam ſemel quidem, & ſecundò, & tertiò ſic videns poſſis fortaſſe animum continere; ſi verò frequenter id feceris, fornacemque iſtam ſponte ſuccendas profectò capieris; neque enim extra naturam, aleamque humanam conſiſtis; qui enim in ſe flammam cupiditatis accenderit, etiam abſente muliere, quam vidit, jugiter apud ſemetipſum turpium rerum ſimulacra depingit, & neceſſe eſt, hujusmodi nonnunquam ad flagitium ipſum opere pervenire.* Homil. 15. ad Pop. Antioch. ait: *Habet juramentum & aliud malum; quod neque volentibus, neque ſtudentibus ſæpius poſſibile eſt bene jurare; quippe continuò jurans, & volens & invitus, & neſciens & ſciens, & ſerio & joco loquens, & ab ira ſæpe elatus, & à multis aliis omnino pejerabit. & bis contradicet nemo; uſque adeò eſt conceſſum & manifeſtum, quòd multum jurantem, & perjurum eſſe neceſſarium eſt.* Eadem Homilia de eadem conſuetudine jurandi loquens ſimiliter affirmat, neceſſe, ut ob inconſtantiam rerum contingentium ex ore juramentis aſſueto juramentum etiam falſum aliquando egrediatur. Eodem modo probat Tertullianus, etiam virum probum frequentantem turpia ſpectacula aliquando in peccatum labi, videlicet ob inconſtantiam animi, contin-

gen-

genter in bonum vel malum operantis. L. de ſpectac. C. 15. ſic ait: *Siquis modeſtè & probè ſpectaculis fruitur pro dignitatis, vel ætatis, vel etiam naturæ ſuæ conditione, non tamen immobilis animi eſt, ſinè tacita Spiritus paſſione; nemo ad voluptatem venit ſinè affectu; nemo affectum ſinè caſibus ſuis patitur.*

3 REGULA 3. *Quod in innumeris circumſtantiis aut occaſionibus nunquam fit, non eſt aliquid contingens, ſed impoſſibile, relatè ad tales circumſtantias.* Ratio patet, quia *contingentia* in innumeris circumſtantiis *non procedunt uniformiter.* Hanc Regulam ſecutus S. Hieronymus l. 1. 2. & 3. adverſus Pelagianos, pronunſavit abſolutè, impoſſibile eſſe, longo ac toto vitæ tempore ſinè gratia Dei ſpeciali ſervare omnia præcepta Dei, quia hoc nunquam factum eſt. L. 1. C. 2. Dialogus ſic habet: *CRITO.* (Pelagianus). *Ego hoc aſſero, qui poteſt uno die ſe abſtinere à peccato, poſſe & altero; qui duobus, poſſe & tribus; qui tribus, poſſe & triginta, atque hoc ordine poſſe & trecentis, & tribus millibus, & quamdiucunque ſi voluerit abſtinere. ATTICUS.* (S. Hieronymus) *da ergo, qui majorum noſtrorum plenè voluerint, & potuerint* non peccare? *CRITO. Quando dico, hominem poſſe eſſe ſinè peccato, ſi velit, non contendo aliquos fuiſſe, aliud, namque eſt poſſe, aliud eſt eſſe. ATTICUS. ſinè peccato eſſe perpetuò, ſolius divinæ eſt poteſtatis. Itaque aut da exemplum, qui abſque peccato fuerint in perpetuum; aut ſi dare non potes, confitere imbecillitatem tuam.* Et C. 3. *aut ſi nunquam factum eſt, fieri non poſſe concede.*

REGULA 4. *Quando in cauſis ad plures eſſe-*

effectus reperitur æqualis diſpoſitio, probabilitas pro uno effectu determinato habet ſe, ſicut unitas ad numerum reliquorum effectuum poſſibilium. verb. grat. ſumatur teſſera perfectè cubica, in qua ſit æqualis diſpoſitio ad jaciendum numerum unum, dualem, ternarium, quaternarium, quinarium, vel ſenarium. Dico: probabilitatem pro jaciendo numero aliquo quocunque determinato fore ut $\frac{1}{6}$ ad $\frac{1}{6}$. Ratio eſt, quia, cùm contingentia non procedant uniformiter, neuter effectuum poſſibilium habet determinationem, ut frequentius ſequatur, quàm alter.

REGULA 5. Quando effectus æquè poteſt fieri ac non fieri, toties regulariter fit, quoties non fit. verb. grat. in teſſera perfectè cubica poteſt æquè fieri, ut jaciam numerum parem 2. 4. 6. ac fieri poteſt, ut jaciam numerum imparem 1. 3. 5. itaque ſpes eſt, me toties jacturum numerum parem, quoties numerum imparem jacturus ſum. Ratio eſt, quia in hoc caſu æqualis eſt diſpoſitio teſſeræ ad numerum parem & imparem; igitur ex præcedente Regula probabilitas determinati effectus verb. grat. numeri paris erit, ut $\frac{3}{6} = \frac{1}{2}$.

REGULA 6. Quando in cauſis reperitur ad plures effectus æqualis diſpoſitio, tanto major eſt unius effectus præ alio probabilitas, quanto ſæpius principia ac diſpoſitiones ad unum effectum recurrunt. verb grat. ſumantur duæ teſſeræ perfectè cubicæ; adeoque eſt æqualis diſpoſitio ad jaciendum numerum. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & ſic probabilitas cujuslibet numeri determinati jaciendi

jaciendi esset $\frac{1}{12}$. verùm quia principia constitutiva unius numeri frequentiùs occurrunt quàm principia constitutiva alterius numeri, ideo etiam est inæqualis eorum jaciendorum probabilitas. Principia constitutiva numerorum 2. 3. 11. 12. tantùm semel occurrunt intra seriem casuum possibilium. Quia 2. solùm constituitur ex 1†1. 3. Ex 2†1. 11. Ex 5†6. 12. Ex 6†6. Econtrà principia constitutiva numerorum 4. 5. 9. 10. recurrunt intra seriem casuum possibilium bis, quia numerus potest constitui ex principiis 2†2. vel 3†1. numerus 5. ex 4†1. vel 3†2. numerus 9. ex 6†3. vel 5†4. numerus 10. ex 5†5. vel 6†4. denique numeri 6. 7. 8. habent maximam probabilitatem, quia eorum principia constitutiva ter recurrunt intra seriem casuum possibilium. namque numerus 6. constituitur ex 3†3. 5†1. 4†2. numerus 7. ex 6†1. 5†2. 4†3. numerus 8. ex 4†4. 6†2. 5†3. Itaque cùm in duabus tesseris 21. diversi jactus contingere possint, erit probabilitas numerorum 2. 3. 11. 12. ut $\frac{1}{21}$. probabilitas numerorum 4. 5. 9. 10. ut $\frac{2}{21}$. probabilitas numerorum 6. 7. 8. ut $\frac{3}{21}$. Eadem veritas patet etiam in Moralibus. Ponamus hominem æque disposítum ad verba lasciva, contumelioſa, blasphemiæ, perjurii. Clarum est majorem probabilitatem fore ad proferenda verba lasciva, aut contumelioſa, quàm blasphemiæ, & perjurii, quia dispositiones seu occasiones frequentiùs ad illa recurrunt.

REGULA 7. Quod pronum est fieri, regulariter fit. Sensus est: quòd causæ communiter creant in illum effectum, ad quem potentiùs inclinantur veritas hujus regulæ

patet

patet ex Moralibus & Phyſicis verb. grat. collapſura domus, arbor, rupes communiùs in illam partem cadit, in quam jam vergit ac inclinatur. teſſera, ſi qua parte majori feratur ac inclinetur ad terram ponderе, frequentiùs in illam partem terræ illabitur. Omnia conſilia, negotia, molimina, ac deſideria hominum communiùs illum aſſequuntur exitum, ad quem ſuo motu feruntur, ac non impedita protenduntur.

REGULA 8. *Tanto frequentiùs ſit effectus, quantò plures, aut propinquiores, aut fortiores diſpoſitiones & principia adminiculantia concurrunt*, v. gr. tantò frequentiùs ſequitur in bello victoria, quantò major eſt militum numerus, robur, experientia bellica: tantò frequentiùs ſequitur peccatum, quantò major eſt in homine ad peccandum proclivitas. Bene autem obſervandum eſt, proclivitatem cauſæ aliquando terminari ad effectum, in magna circumſtantiarum ſerie tantùm ſemel, bis, aut ter recurrentem; aliàs verò terminari non tantùm ad ſingularitatem effectus, ſed etiam ad ejus frequentiam ac multiplicitatem, v. gr. ſi in aliquo datur magna propenſio ad iram, rixam, homicidium, ea propenſio non eſt ad quotidiana homicidia committenda, ſed præcisè datur periculum in tot rixis aliquando committendi homicidium. Eadem tamen propenſio eſt ad frequentiores actus rixæ, quàm homicidii, & ad frequentiores actus iræ, quam actus rixæ. Quando ergo dicitur. *Quod pronum eſt fieri, regulariter fit*, non ſic intelligendum eſt, quòd v. g. pronus ad committendum homicidium frequenter ac communiter debeat committere homicidium, ſed ſic eſt intelligendum, quòd communiùs & frequentiùs in tanta irarum, ac rixarum continuatarum ſerie aliquando ſolear con-

tin-

tingere homicidium. Ante omnia enim attendendum eſt, quidnam fieri pronum ſit, an ſingularitatem effectus, an frequentiam effectus, & qualem; item, attendendum eſt, ex quali ac quanta ſerie circumſtantiarum, diſpoſitionum, & cauſarum illam ſingularitatem, aut frequentiam effectus fieri pronum ſit. Sic S. Chryſoſtomus hom. 14. ad Pop. Antioch. cùm obſervaſſet juramentis aſſuetos pronos eſſe ad pejerandum, eamque proclivitatem terminari ad frequentia perjuria, intulit vi hujus Regulæ, impoſſibile eſſe, ut ex jurandi conſuetudine non ſequantur frequentia perjuria. *Impoſſibile eſt*; inquit, *impoſſibile, os jurare aſſuefactum non frequenter ac aſſiduè pejerare.*

REGULA 9. Probabilitatis menſura, quæ ex proclivitate ac diſpoſitione cauſæ deſumitur, debet deſumi ex ratione diſpoſitionum datarum ad complexum omnium diſpoſitionum ad effectum infallibiliter obtinendum aut ſperandum concurrentium. Ad hanc Regulam intelligendam, ſciri debet, 1. ad omnem effectum concurrere plures diſpoſitiones, non unam tantùm: eæ diſpoſitiones finitæ ſunt; omneſque ſimul ſumptas voco *complexum diſpoſitionum ad effectum concurrentium*: Poteſt autem fieri, quòd hoc complexum aliquando conſiſtat in 10. 20. 50. 100. aut mille diſpoſitionibus. Sciendum, diſpoſitiones ad effectum concurrentes plerumque non poni omnes ſimul, ſed ſucceſſivè; v. gr. ponuntur ab initio duæ, tres, 5. 15. 30. &c. uſque dum deveniatur ad complexum omnium diſpoſitionum adæquatum. In hoc ergo ſucceſſivo diſpoſitionum progreſſu datur ille ſtatus cauſæ, quem nominamus *pronitatem*, *proclivitatem*, ac *propenſionem* cauſæ ad effectum; cùmque neceſſe ſit, numerum datarum diſpoſitionum ad complexum adæ-

qua-

quatum omnium diſpoſitionum habere determinatam proportionem, etiam neceſſe erit, promitatem cauſæ per certam proportionem numerorum exprimi poſſe. v.g. conſiſtat complexum adæquatum omnium diſpoſitionum ad prudenter ac infallibiliter ſperandam victoriam in 1000. Diſpoſitionibus. Defacto autem nondum dentur omnes, ſed tantùm 600. 700. 800. &c. erit ergo adhuc proclivè credere, exercitum obtenturum victoriam, ſed probabiliter tantùm, quia poſito tali numero diſpoſitionum 600. 700. 800. &c. ſuperſunt caſus poſſibiles pro oppoſito, licèt minùs frequentes; ut itaque æſtimetur probabilitas victoriæ; ea conſiſtet in ratione diſpoſitionum datarum ad complexum adæquatum diſpoſitionum, videlicet ea erit, ut

600 700 800
—— —— —— *Sciendum* 3. numerum di-
1000 1000 1000

ſpoſitionum deſumendum eſſe non tantùm ex poſitione principiorum, & circumſtantiarum ad effectum adminiculantium, ſed etiam ex remotione obſtaculorum, cauſarum, motivorum, & circumſtantiarum retrahentium & impedientium, quo enim plura tolluntur effectus impedimenta, eò major eſt ad effectum diſpoſitio, & proclivitas. *Sciendum* 4. hos terminos, *major*, *propinquior*, *fortior*, *melior* diſpoſitio, nihil aliud dicere, quàm numerum plurium diſpoſitionum, aut certè aliquid æquivalens pluribus diſpoſitionibus. v. gr. ſi dico, unum lignum per calorem magis eſſe diſpoſitum ad concipiendum ignem, quàm alterum; eo quòd calor ſit fortior, ac intenſior, ſenſus eſt, plures partes caloris eſſe in illo ligno, quod magis diſpoſitum eſt, aut certè aliquid æquivalens pluribus partibus caloris: ſive enim intenſior calor conſiſtat in intruſione

plu-

plurium igniculorum, ſive in remotione contrarii, ſive in additione graduum homogeneorum, ſive in productione graduum heterogeneorum, ſive in majore radicatione formæ in ſubjecto &c. verum tamen erit, intenſionem caloris per partes, ſeu gradus caloris explicari poſſe, prout actu explicatur à Philoſophis numerantibus *calorem*, *ut duo*, *calorem ut tria*, *calorem ut quatuor*, *calorem ut quinque*, *ut ſex*, *ut ſeptem*, *ut octo*. Idem ergo modus numerandi adhiberi poterit in exprimenda propinquitate, fortitudine, ac proclivitate aliarum diſpoſitionum ad effectum. v. g. ſi robuſtior cum debiliore certamen ineat, cæteris paribus dici poterit, *juxta æſtimationem noſtram* vires prioris ad vires alterius eſſe ut $\frac{7}{10}\ \frac{8}{10}$ vel $\frac{9}{10}$ ad $\frac{5}{10}\ \frac{6}{10}\ \frac{7}{10}$ *Sciendum* 5. proclivitatem quandoque conſiſtere in rerum inconſtantia; ſic proclive eſt, quempiam frequenter cum periculis luctantem aliquando ſuccumbere, & tunc, quo quis frequentiùs jam evaſerit, eo major eſt probabilitas, eum poſthac non evaſurum, niſi fortè ipſa frequentatio periculi augendo peritiam minuat rationem periculi; ſic probabile eſt, militem, qui jam vigeſies in pugna evaſit, proxima vice non evaſurum, quia è centum millibus militum poſt vigeſimam pugnam vix centum relinquuntur, adeoque probabilitas mortis in tali milite, erit, ut $\frac{99900}{100000}$. $\frac{9}{10}$ veriùs $\frac{10}{10}$ *Sciendum* 6. in hac mortalis vitæ denſa caligine nullum eſſe mortalium, qui ſpondere audeat, ſe perfectè cognoſcere præparationem cauſarum ad effectum omnimodam

modam, omnes dispositiones requisitas, omnia impedimenta retrahentia, & vim omnium circumstantiarum inenarrabili connexione in effectum influentium; itaque probabilitas humanarum opinionum de effectu, & exitu rerum conjectantium innititur cognitioni precisè *respectivè bonæ*, inquantum videlicet alius homo meliorem non habet, aut habere potest. v.g. potest quis dicere: Ego consideratis omnibus dispositionibus, motivis allicientibus, ac retrahentibus, præparatione armorum, minis, &c. judico Turcarum Imperatorem cum Russis, aut Polonis initurum bellum; quilibet tamen videt, aliam esse præparationem causarum in illud bellum influentium, quàm videt homo plebejus præcisè ex novellis, aliam, quàm videt Politicus ex iisdem novellis, aliam, quàm vident Ministri Paincipum ex accuratiore relatione & peritia politica, aliam quàm videt Minister ac Legatus Constantinopoli præsens, aliam denique, quàm vident ipsi Ministri Imperatoris Turcici. Itaque tota probabilitas humanarum opinionum est tantùm hypothetica, & respectiva, quia quo quis universim profundiùs, ac longiùs inspexerit, videbit se, ne mediam quidem cognoviisse omnium circumstantiarum, impedimentorum, & dispositionum partem, à quarum accurata cognitione justa æstimatio ac probabilitas de eventu rei penderet. Melius tamen utique fuerit, has ipsas imperfectas probabiles cognitiones quàm accuratissimè possumus sub certa mensura exprimere, quàm earum imperfectionem ipsa Methodi confusione auctam certo errori involvere.

CAP.

CAP. V.

Regula ſtatuendi gradum probabilitatis, quando concurrunt plura argumenta probabilia aliis probabilibus, ſed tamen oppoſitis.

REGULA 1. *Quando pro duabus ſententiis contradictoriis ſtant utrinque æqualiter fortia argumenta, judicium in neutram partem probabile ferri poteſt.* Ratio eſt, quia ex definitione probabilitatis patet, judicium probabile illud eſſe, quod in unam contradictionis partem inflectitur, quodque ut plurimùm non fallit, ſed frequentiùs verum dicit: quando autem ex utraque contradictionis parte ſtant æquè fortia argumenta, non poteſt prudenter judicium ſpe melius ac ſecurius aſſequendi veritatem inflecti in unam contradictionis partem; neque verum erit dicere, argumenta hujus potiùs ſententiæ minùs frequenter fallere, quàm argumenta alterius ſententiæ. Verum quidem erat, talia argumenta ſeorſim conſiderata eſſe probabilia; quia ſeorſim conſiderata inclinant intellectum potiùs ad aſſenſum ſuæ ſententiæ, quàm ad ejus diſſenſum; & ratio vel authoritas, cui talis ſententia innititur, ſecundùm ſe ſpectata, quando nil obſtat in oppoſitum, frequentiùs non fallit. Sed judicium aliquod de abſoluta veritate ſententiæ prudenter ſuperſtrui non poteſt talibus argumentis ſeorſim conſideratis, quando conſtat ſupereſſe argumenta pro oppoſita ſententia. Itaque Judicium in tali caſu ex argumentis comparativè ſumptis reſultans erit, ut $\frac{5}{10}$ ſeu tale, quod æquè poſſit fal-

li,

li, ac non falli: & tale judicium vocavi *dubium*.

2 *REGULA* 2. *Quando pro duabus sententiis contradictoriis stant utrinque argumenta inæqualis probabilitatis, tunc probabilitas unius sententiæ comparativè sumpta erit ut summa ex numeratore positivo unius probabilitatis & numeratore defectivo alterius probabilitatis ad summam denominatorum.* v. g. sit probabilitas unius sententiæ seorsim sumptæ ut $\frac{7}{10}$ probabilitas verò alterius sententiæ contradictoriæ, ut $\frac{6}{10}$ erit itaque *numerator positivus* prioris probabilitas, qui indicat casus, in quibus argumentum non fallit, 7. & *numerator* illius *defectivus*, qui indicat casus, in quibus argumentum fallit; 3. nam hic est sensus probabilitatis $\frac{7}{10}$, quòd videlicet in decem occurrentibus casibus argumentum septies verum, ter autem falsum diceret. Econtra in probabilitate oppositæ contradictoriæ sententiæ *numerator positivus* est 6 *numerator defectivus* est 4. itaque addendo denominatores, & addendo numeratorem positivum ad numeratorem negativum alterius erit probabilitas comparativa prioris sententiæ ut $\frac{11}{20}$ & probabilitas comparativa alterius sententiæ ut $\frac{9}{20}$ seu nulla. Quòd verò in dimetienda probabilitate comparativè tali sic procedi debeat, ostenditur sic. Quando pro duabus sententiis contradictoriis afferuntur utrinque argumenta seor-

seorsim, v.g. ut $\frac{7}{10}$ & $\frac{6}{10}$ tunc pro judicanda absoluta veritate proponuntur intellectui viginti casus, videlicet decem casus ex parte prioris sententiæ, & decem alii diversi casus ex parte posterioris sententiæ: pro prima sententia stant septem casus ex prioribus decem casibus, & quatuor casus ex posterioribus decem casibus: cùm enim posterioribus decem casibus argumentum dicatur sexies non fallere, quater autem fallere, clarum est, quòd inter hos decem posteriores casus contradictoria probandæ sententiæ, videlicet prima sententia, quater vera erit. Itaque è viginti casibus habemus casus septem, & quatuor seu undecim pro veritate primæ sententiæ; pro posteriore verò sententia tantùm residui sunt novem casus. Q. E. D. Qualis autem in omni casu possibili sit comparativa probabilitas unius sententiæ ad alteram, exhibet adjequm.

Schema

Schema

Probabilitas Abſoluta Sent. A.	Probabilitas Abſoluta Sent. B.	Probabilitas comparativa Sent. A.	Probabilitas comp. par. Sent. B.
9/10	8/10	11/20	9/20
9/10	7/10	12/20	8/20
9/10	6/10	13/20	7/20
8/10	7/10	11/20	9/20
8/10	6/10	12/20	8/20
7/10	6/10	11/20	9/20

3 REGULA 3. *Tanta eſt probabilitas concluſionis, quæ in aliquo ſyllogiſmo ex duobus præmiſſis tantùm probabilibus deducitur, quanta eſt probabilitas unius præmiſſarum imminuta fallibilitate alterius præmiſſæ.* Ponamus hunc ſyllogiſmum:

Quod Ariſtoteles docet, eſt verum:
Sed Ariſtoteles docet, Elementa manere formaliter in mixtis;
Ergo Elementa manere formaliter in mixtis, eſt verum.

Ponamus majorem eſſe probabilem, ut $\frac{8}{10}$ minorem eſſe probabilem, ut $\frac{7}{10}$, (licebit enim hoc mihi ſic ponere per modum hypotheſis, non per modum aſſertionis) dico: concluſionem fore, ut $\frac{5}{10}$ adeoque non fore ampliùs probabilem, ſed dubiam. Id oſtendo ſic: Concluſio contrahit fallibilitatem utriuſque præmiſſæ. Atqui fallibilitas utriuſque præmiſſæ in præſenti caſu eſt ut quinque; Ergo etiam fallibilitas concluſionis erit ut quinque, ſeu $\frac{5}{10}$ pro intelligenda hac demonſtratione obſervandum eſt, per fallibilitatem alicujus propoſitionis me nihil aliud intelligere, quàm illos caſus, in quibus propoſitio fallit verb. gr. quando propoſitio eſt probabilis, ut $\frac{8}{10}$ ſunt octo caſus, in quibus ea propoſitio non fallit, duo verò, in quibus fallit; adeoque fallibilitas talis propoſitionis erit, ut duo: Quando propoſitio eſt probabilis, ut

ut $\frac{7}{10}$ erunt septem casus, in quibus propositio non fallit; tres verò casus, in quibus fallit; adeoque fallibilitas hujus propositionis erit, ut tria. Jam verò clarum est, conclusionem hanc:

Ergo Elementa manere formaliter in mixtis, verum est.

Ex parte Majoris, & ex parte Minoris, adeoque ex parte utriusque præmissæ fore fallibilem: Ponamus enim, conclusionem evadere fallibilitatem Minoris, nec ex parte Minoris fallere; non tamen propterea statim evadet fallibilitatem Majoris; neque eoipso statim vera erit, quòd minor vera sit: & similiter, etiamsi conclusio evadat fallibilitatem Majoris non tamen propterea evadet fallibilitatem *Minoris*. Igitur conclusio non solùm patietur periculum falsitatis, formidinem, & fallibilitatem ex incertitudine *Majoris*, sed etiam ex incertitudine *Minoris*; adeoque augebitur ipsius fallibilitas contracta ab una præmissarum ex fallibilitate alterius præmissarum, & sic contrahet fallibilitatem utriusque præmissæ. Ponamus enim, quòd *conclusio*, *sequendo debiliorem partem*, contrahat fallibilitatem *Minoris*, adeoque quòd in præsenti casu *conclusio* sit tantùm probabilis, ut $\frac{7}{10}$ fallibilis autem, ut tria. hanc probabilitatem, & fallibilitatem haberet conclusio in præsenti casu, etiamsi *Major* certa esset. Si enim dicerem: *Quod Deus docuit, verum est: Sed Deus docuit Elementa formaliter manere in mixtis: ergo Elementa formaliter manere in mixtis, verum est* In hoc, inquam, syllogismo, posito per hypothesin, quòd *Minor* sit probabilis, ut

$\frac{7}{10}$ etiam *concluſio* non haberet majorem probabilitatem, utpote *quæ ſequeretur debiliorem partem*. Itaque ſi etiam *Major* non ſit certa, *concluſio* erit minus probabilis, & adhuc magis fallibilis, quod fieri non poteſt, niſi ad fallibilitatem contractam ex *Minore* addam fallibilitatem *Majoris*; ſicque probabilitatem *Minoris* influentem in concluſionem minuam fallibilitate *Majoris* ſeu duabus partibus; ut ex probabilitate $\frac{7}{10}$ fiat $\frac{5}{10}$ Q. E.D. Ex hoc patet, qualiter inveniri debeat probabilitas concluſionis in omni caſu poſſibili ex adjecto ſchemate.

Major

Major	Minor	Conclusio
9/10	9/10	8/10
8/10	8/10	6/10
7/10	7/10	4/10
6/10	6/10	2/10
9/10	8/10	7/10
9/10	7/10	6/10
9/10	6/10	5/10
8/10	7/10	5/10
8/10	6/10	4/10
7/10	6/10	3/10

REGULA 4. Probabilitas propositionis, quæ ex alia propositione probabili tantùm probabiliter deducitur, habet se, sicut probabilitas conclusionis deductæ ex duabus præmissis probabilibus. v. g. ponamus hoc Enthymema: *Aristoteles docuit, Elementa formaliter manere in mixtis. Ergo manent formaliter in mixtis.* Ponamus etiam, antecedens tantùm esse probabile, ut $\frac{7}{10}$ & posito, quòd Aristoteles hoc docuerit, non tamen infallibiliter, sed tantùm probabiliter sequitur, ac deducitur, quòd hoc verum sit; ponamus ergo probabilitatem consecutionis esse, ut $\frac{8}{10}$ dico: propositionem illatam habituram eandem probabilitatem, ac habuit conclusio syllogismi, *Regula* 3. adducti, hujus videlicet: *Quod Aristoteles docuit, hoc verum est; sed Aristoteles docuit, Elementa formaliter manere in mixtis; ergo Elementa formaliter manere in mixtis, verum est.* Cuivis enim manifestum est; Enthymema, quod syllogismus imperfectus dicitur, aut quamcunque aliam illationem Enthymemati æquivalentem ad similem syllogismum reduci posse.

5 *REGULA 5. Quando ex eadem sententia plura conglomerantur argumenta, tunc omnia junctim sumpta non inducunt probabilitatem, quæ ab absoluta rei certitudine seu unitate deficiat parte unitatis orta ex divisione producti casuum non probantium per productum casuum omnium in universis argumentis.* ut vult Bernoullus. Pro explicatione hujus regulæ ponamus pro aliqua sententia stare duo argumenta; primi argumenti probabilitas sit

v. g.

v.g. $\frac{8}{10}$ ſecundi argumenti probabilitas ſit

v.g. $\frac{6}{10}$ erunt itaque in primo argumento octo, & in ſecundo argumento ſex caſus, in quibus argumentum non fallit, ſed legitimè probat: Econtrà caſus, in quibus argumentum nihil probat, ſed fallit, in primo argumento erunt duo, in ſecundo argumento quatuor. Ipſa veritas ſeu certitudo, quam hìc unitatem vocamus, erit ut $\frac{10}{10}$ productum caſuum non probantium, videlicet ex 2. & 4. erit 8. Productum omnium caſuum in utroque argumento, videlicet ex 10. & 10. erit 100. Si itaque productum 8. dividas per productum 100, ac quotientem $\frac{8}{100}$ ſubtrahas ab abſoluta certitudine, videlicet $\frac{10}{10}$ fiet probabilitas ſententiæ $\frac{92}{100}$ ſeu 10.

tundè $\frac{9}{10}$ ſimili methodo procedes, ſi concurrant tria, quatuor, quinque, aut plura adhuc alia argumenta. Sint verb. gr. tria argumenta pro eadem ſententia, quorum primum ſit probabile ut $\frac{8}{10}$ ſecundum ut $\frac{7}{10}$ tertium ut $\frac{6}{10}$ erit ergo numerus caſuum nihil probantium in primo argumento 2. in ſecundo 3. in tertio 4. & productum horum

caſuum non probantium erit 24. Econtra numerus omnium caſuum probantium erit 8. † 7. † 6. & productum omnium caſuum in his tribus argumentis erit 10. 10. 10. ſeu 1000. ſi itaque productum 24. dividas per 1000, erit quotiens $\frac{24}{1000}$ & ſi hunc ſubtrahas ab abſoluta certitudine ſeu à $\frac{10}{10'}$ erit probabilitas totius ſententiæ ut $\frac{976}{1000}$ ſeu $\frac{9}{10'}$ aut proximè $\frac{10}{10'}$

Hæc eſt explicatio doctrinæ Bernoullianæ, ſequenti forma Algebraica à Jacobo Bernoullo in ſua Arte Conjectandi part. 4. C. 3. num. 4. comprehenſæ. Si plura concurrant argumenta ad ejuſdem rei probationem, vocentur.

Numeri caſuum, argumenti	1.2.3.4.5.&c.&c.
omnium	a.d.g.p.s.&c.
probantium	b.e.h.q.t.&c.
non probantium	c.f.i.r.u.&c.

vis probandi ex omnium argumentorum concurſu ſic æſtimatur. Pondus primi argumenti ſeorſim ſpectati erit $\frac{b}{a}$ $\frac{a-c}{a}$ Accedat nunc alterum argumentum, quòd e vel d. f caſibus probat rem ſeu i, & f caſibus nil probat, ſolumque adeo pondus primi argumenti, quod oſtenſum eſt, eſſe

$\frac{a-c}{a}$ esse efficax relinquit. Valebit pondus ex utroque argumento conflatum.

$\frac{d--f.\ i \dagger f.\ a-c : a}{d} = \frac{a\ d--c\ f}{a\ d} = \frac{c\ f\ i}{a\ d}$ rei.

Jungatur & tertium argumentum erunt h. seu g - i casus, qui probant rem, & i casus, quibus nullum est argumentum, solaque duo priora vim suam probandi $\frac{ad--c\ f}{ad}$ retinent; undè vis omnium trium est:

$\frac{g--i.\ i\dagger i.\ ad--c\ f : a\ d}{g} = \frac{a\ d\ g-c\ f\ i}{a\ d\ g} = \frac{c\ f\ i}{a\ d\ g}$

Jam dico; Hanc doctrinam Bernoullianam non esse veram, quia aliàs sequeretur positis duobus argumentis probabilibus, semper jam resultare moralem certitudinem sententiæ, quod repugnat manifestæ experientiæ. Error Bernoulli consistit in eo, quòd casus probantes, & non probantes secundi argumenti permisceat cum casibus primi argumenti omnibus; cùm tamen secundùm argumentum considerari debeat per modum novi tentaminis pro indaganda veritate, prout videbimus sequenti Regula.

REGULA 6. Pro invenienda Probabilitate duorum argumentorum dic: Ut se habet numerus casuum omnium possibilium ad numerum casuum non probantium primi argumenti, ita se habet numerus casuum probantium secundi argumenti, ad quartum, addendum numero casuum probantium primi argumenti, verb. grat. sit argumentum

$\frac{3}{10}$ $\frac{2}{10}$ fiet: 10: 7:: 2: $1\frac{4}{10}$ summa duorum argumentorum erit $4\frac{4}{10}$ Eodem modo procedes, si plura sint argumenta, semper summæ priorum argumentorum addendo argumentum consequens. Demonstratio est hæc: Secundum argumentum est novum tentamen veritatis, in quo licebit sumere iterum v. g. decem casus. Tanta ergo est probabilitas tollendi numeros defectivos prioris argumdnti seu vincendi, quanta est probabilitas, me in secundo tentamine victurum, igitur quantum accedit spei per secundum argumentum tantum deficit à numeris defectivis, & accedit ad numeros positivos primi argumenti. Q. E. D. Ut verò melius perspiciatur impossibilitas Regulæ Bernoullianæ, exhibeo in sequenti Tabula Gradus Probabillitatis ex additione argumentorum Bernoulliana resultantes. Numeri sunt Argumenta, P est probabilitas resultans.

1.	2.	P.
9/10	9/10	99/100
9/10	8/10	98/100
9/10	7/10	97/100
9/10	6/10	96/100
8/10	8/10	96/100
8/10	7/10	94/100
8/10	6/10	92/100
7/10	7/10	91/100
7/10	6/10	88/100

1.	2.	3.	P.
9/10	9/10	9/10	999/1000
9.	9.	8.	998
9.	9.	7.	997
9.	9.	6.	996
9.	8.	8.	996
9.	8.	7.	994
9.	8.	6.	992
9.	7.	7.	991
9.	7.	6.	988
9.	6.	6.	984
8.	8.	8.	992
8.	8.	7.	988
8.	8.	6.	984
8.	7.	7.	982
8.	7.	6.	976
8.	6.	6.	968
7.	7.	7.	973
7.	7.	6.	964
7.	6.	6.	952
6.	6.	6.	936

1.	2.	3.	4.	P.
9/10	9/10	9/10	9/10	9999/10000
9.	9.	9.	8.	9998
9.	9.	9.	7.	9997
9.	9.	9.	6.	9996
9.	9.	8.	8.	9996
9.	9.	8.	7.	9994
9.	9.	8.	6.	9992
9.	9.	7.	7.	9991
9.	9.	7.	6.	9988
9.	9.	6.	6.	9984
9.	8.	8.	8.	9992
9.	8.	8.	7.	9988
9.	8.	8.	6.	9984
9.	8.	7.	7.	9982
9.	8.	7.	6.	9976
9.	8.	6.	6.	9968
9.	7.	7.	7.	9973
9.	7.	7.	6.	9964
9.	7.	6.	6.	9952
9.	6.	6.	6.	9936
8.	8.	8.	8.	9984
8.	8.	8.	7.	9976
8.	8.	8.	6.	9968
8.	8.	7.	7.	9964
8.	8.	7.	6.	9952
8.	8.	6.	6.	9936
8.	7.	7.	7.	9919
8.	7.	7.	6.	9892
8.	7.	6.	6.	9856
8.	6.	6.	6.	9808
7.	7.	7.	7.	9801
7.	7.	7.	6.	9774
7.	7.	6.	6.	9738
7.	6.	6.	6.	9694
6.	6.	6.	6.	9744

1.	2.	3.	4.	P.
8.	8.	6.	6.	9936
8.	7.	7.	7.	9946
8.	7.	7.	6.	9928
8.	7.	6.	6.	9904
8.	6.	6.	6.	9872
7.	7.	7.	7.	9919
7.	7.	7.	6.	9892
7.	7.	6.	6.	9856
7.	6.	6.	6.	9808
6/10	6/10	6/10	6/10	9744/10000

CAP. VI.

Qualiter & quousque argumenta per præsumptiones contrarias enerventur.

REGULA 1. *Præsumptiones genericæ à specificis, specificæ ab individualibus, universaliores à magis particularibus, communes à propriis, remotiores à propinquioribus penitus enervantur.* Pro explicatione & probatione hujus Regulæ, sumamus exemplum, quod ponit Jac. Bernoullus l. cit. num. 7. De Contractu quodam scripto dubium movetur, an dies testamento appositus fraudulenter sit anticipatus? Argumentum pro negativa hoc esse potest, quòd Instrumentum signatum sit manu Notarii, id est, personæ publicæ & juratæ, quem non verisimile est, quidquam commisisse fraudis, cùm id sine summo honoris ac fortunæ suæ periculo facere non potuisset; ac propterea inter 50. vix unus reperiatur, qui isthuc nequitiæ procedere audeat.

Argumenta verò pro affirmativa possunt esse, quòd Notarii hujus fama pessimè audiat; quòd ex fraude maximum potuisset exspectare lucrum, & præsertim, quòd talia attestetur, quæ nihil probabilitatis habent, veluti si scripsisset, quendam alteri mutuò locasse 10000. Aureos eo tempore, quo ex omnium æstimatione vix centum in universis bonis habere poterat. Hìc sr argumentum characterе ejus, qui scripsit, seorsim consideres, censere poteris probabilitatem authenticæ

Instrumenti velut $\frac{49}{50}$ certitudinis valere.

Sin argumenta in contrarium expendas, agnoscere teneris, fieri vix posse, quin Instrumento falsum insit, adeòque fraudem in illo commissam moralem planè certitudinem: hoc est, velut $\frac{999}{1000}$ certitudinis habere. Inde verò concludi non debet, probabilitatem authenticæ ad probabilitatem fraudis esse in ratione $\frac{49}{50}$ ad $\frac{999}{1000}$, hoc est, in ratione penè æqualitatis. Dum enim Notarium pono diffamatæ fidei, hoc ipso pono, eum non comprehendi in casu horum 49. proborum Notariorum, qui fraudes detestantur; sed esse illum ipsum quinquagesimum, qui sibi religioni non ducit, perfidè in officio suo versari; id, quod vim omnem illius argumenti, quod aliàs authentiam argumenti probare posset, prorsus tollit ac totaliter destruit. In hoc exemplo videmus argumenti affirmativi præsumptionem desumi ab Officio Notariatus: hoc officium est aliquid adhuc generale, universale, ac commune multis hominibus; est insuper motivum adhuc remotum ad servandam fidelitatem, quia ad hanc servandam vel non servandam solent homines determinari à motivis immediatioribus ac magis particularibus. Itaque præsumptionem à circumstantia officii desumptam ob suam generalitatem *genericam universalem*, *communem* voco. Econtra circumstantia famæ pessimæ in Notario

est

eſt circumſtantia individualis; motivum lucri eſt motivum immediatius, ad quod ſolent homines attendere, dum immediatè ponunt aliquam actionem; & Falſitas circumſtantiæ inſtrumento inſertæ eſt character ſpecificus falſariorum. Itaque ob hanc præſumptionem ductam à circumſtantiis individualibus, propinquioribus, & magis ſpecificis, quam propterea præſumptionem *individualem, ſpecificam*, ac *propinquam* voco, dico præſumptionam generalem prorſus enervari, quia præſumptio individualis monſtrat, caſum particularem hunc inter eos caſus, qui plerumque contingunt, non comprendi, quo oſtenso utique ceſſat præſumptio, utpote quæ unicè deſumitur à communiter contingentibus. Aliud exemplum habemus, ſi verb. gratia agatur de commiſſo homicidio à Petro. adſunt verb. gratia viginti teſtes, qui teſtantur de fama publica, Petrum eſſe homicidam, teſtentur alii decem, Petrum eſſe aliàs impotentis iræ, eum cum defuncto geſſiſſe inimicitias, eum minatum eſſe mortem, eum præparaſſe arma, eum exiſſe bene armatum: teſtentur inſuper alii decem teſtes, ſe obſervaſſe in occiſore nigras veſtes, quales communiter ſolet deferre Petrus: Denique Petrus productus in judicium totus expalleſcat; & ferant contra ipſum centum judices ſententiam. Si poteſt omnes has præſumpiones & numerum teſtium ac circumſtantiarum prodeant duo aut tres teſtes fide digni, qui teſtentur, ſe ipſa hora ac momento occiſionis vidiſſe Petrum in loco prorſus à loco homicidii remoto, enervantur omnes priores præſumptiones; quia circumſtantia loci, temporis, & viſus eſt circumſtantia individualis, & teſtes de viſu propiùs accedunt ad veritatem quàm

cen-

centum judices, qui tantùm fundantur in præſumptione ex circumſtantiis remotioribus aut magis communibus ducta : teſtes etiam de fama publica, aut de veſtimento non attingunt circumſtantiam individualem : teſtes de inimicitiis, de minis, & de præparatione armorum attingunt quidem aliquam actionem *individui*, quæ tamen non eſt *individualis* quia inimicitiæ, minæ, & præparatio armorum poteſt eſſe pluribus communis, quàm ſoli occiſori. Hanc Regulam in aliquo ſenſu agnoſcere videntur etiam Juriſtæ, dum dicunt *Species derogat generi*.

2. REGULA 2. *Argumenta homogenea ſibi invicem oppoſita priùs ad gradum probabilitatis comparatiuæ reduci debent, antequam ad conſtituendam probabilitatem omnium argumentorum ſimul ſumptorum adhibentur*. Argumenta homogenea voco, quæ ſumuntur ab eodem loco topico v. g. ab authoritate judicis, vel ab authoritate teſtis, vel à pari, vel ab exemplo, vel à genere, ſpecie, individuo, proprio, vel ab adjunctis & connexis; eas etiam circumſtantias homogeneas voco, quæ ſua univerſalitate ac communitate æqualiter à circumſtantiis individualibus recedunt v. g. ſit quæſtio de commiſſo homicidio à Petro.. dicant tres teſtes, ſe die & hora Monachii comiſſi homicidii vidiſſe Petrum Auguſtæ : adſit alius teſtis, qui dicat ſe eo die vidiſſe Petrum Monachii. Adſint decem teſtes, qui dicant, occiſorem habuiſſe nigras veſtes, adſint alii quatuor, qui dicant, occiſorem habuiſſe veſtes punicei coloris; adſint teſtes quinque qui teſtentur de inimicitiis, minis, præparatione armorum; ſuccedant alii tres, qui dicant Petrum eſſe reconciliatum, aut frequentiùs cum pluribus tales inimicitias,

tias habuiſſe absque ſecuto homicidio; judicent denique ſexaginta judices pro innocentia Petri, quadraginta eum condemnent. Dico in tali caſu argumenta homogenea eſſe quæ ſumuntur 1. à *judicio judicium*. 2. à *contractis inimicitiis*. aut aliàs frequenter exercitis; quia hæ circumſtantiæ eandem univerſalitatem, & paritatem habent. 3. à *circumſtantia veſtium*, quæ æquè eadem amplitudine videtur redundare in plures homines. 4. *à circumſtantia individuali loci*. Itaque dico: hæc argumenta ſingula priùs ſeorſim ad ſe invicem comparanda eſſe, antequam ex iis ſimul ſumptis confletur ſententiæ affirmativæ vel negativæ probabilitas.

REGULA 3. Argumenta heterogenea non deſtruunt mutuam ſuam probabilitatem, etiamſi in eodem aut inæquali probabilitatis gradu contra ſe invicem militent. v. g. queritur de homicidio Pauli à Petro commiſſo. Contra Petrum ſtat, quòd viſus ſit ſtricto gladio ſanguine reſperſus è loco commiſſæ cædis fugere: pro Petro ſtat, quòd fuerit hominum manſuetiſſimus, & intimus ſemper amicus Pauli: in hoc caſu ergo ſtant pro Petro circumſtantiæ manſuetudinis, & amicitiæ, quæ plerumque ſolent excludere homicidium: contra ipſum ſtant circumſtantiæ, quæ plerumque ſolent eſſe conjunctæ cum actu homicidii; Et quia abſolutè poſſunt ambæ circumſtantiæ ſimul ſtare cum homicidio, non deſtruent ſe invicem hæ præſumptiones; ſed ſervient ſimul cum aliis argumentis ad formandum judicium pro affirmativa, aut negativa ſententia. Et bene notandum eſt, verum quidem eſſe, quòd duæ ſententiæ oppoſitæ in eodem probabilitatis gradu ſe invicem deſtruant, quia eorum probabilitas immediatè;

ordi-

ordinatur ad formandum judicium de veritate objecti; judicium autem in tali caſu ſuſpenditur. Econtrà probabilitas argumentorum non ordinatur immediatè ad formandum judicium de veritate objecti, ſed ordinatur ad conſtituendam probabilitatem adæquatam reſultantem ex omnibus argumentis ſimul ſumptis.

REGULA 4. Argumentum, quod ſimul contingenter exiſtit, & ſimul contingenter indicat, *antequam cum aliis argumentis aſſumatur ad conflandam totalem probabilitatem ſententiæ, prius in infimum ſuæ probabilitatis gradum reſolvi debet.* Ad hoc intelligendum, obſervandum ex Bernoullo l. cit. num. 1. eſſe triplicis generis argumenta. Aliqua contingenter ſeu probabiliter exiſtunt, & contingenter indicant ſeu probant. Alia neceſſariò exiſtunt, & contingenter indicant; & ſunt, quæ neceſſariò ſeu certò exiſtunt, & neceſſariò probant verb. grat. quæritur, an Petrus occiderit Paulum? Pro innocentia Petri ſit argumentum primum, quia homines habent Petrum pro viro manſuetiſſimo & amico intimo Pauli. Hoc argumentum tantùm probabiliter exiſtit, & ſimul tantùm probabiliter probat: nam, etiamſi homines habeant Petrum pro viro manſueto, & amico Pauli; ea tamen manſuetudo & amicitia non exiſtit certò, ſed probabiliter tantùm. Dein, poſito etiam, quòd revera exiſtat ea manſuetudo & amicitia, non tamen propterea certò probatur, ſed probabiliter tantùm, quòd Petrus non occiderit Paulum. Probabilitas ergo hujus argumenti eodem modo æſtimanda & reducenda eſt, ſicut æſtimandam docui probabilitatem ſententiæ, quæ ex duabus præmiſſis tantùm probabilibus, aut ex una præmiſſa probabili tantùm probabiliter deducitur, vide C. 5. Reg. 3. & 4.

Argu-

Argumentum *neceſſariò exiſtens, & contingenter indicans* eſſet, ſi dicerem: conſtat Petrum fuiſſe manſuetum, & amicum Pauli; & *neceſſariò exiſtens, ac ſimul neceſſariò indicans foret*, ſi dicerem: conſtat, Petrum ipſa hora cædis commiſſæ Monachii fuiſſe Auguſtæ. Et ſi dicerem: fama eſt, Petrum non fuiſſe Monachii ipſa hora cædis, eſſet argumentum *probabiliter exiſtens, ſed neceſſariò indicans* deberetque ejus probabilitas æſtimari eſſe eadem, ac ſi eſſet *neceſſariò exiſtens & contingenter indicans*.

REGULA 5. Unicum argumentum probabile per oppoſita argumenta aut per reductionem non enervatum enervat totaliter moralem certitudinem aut probabilitatem oppoſitæ ſententiæ ex collectione omnium argumentorum conflatam. Hoc Paradoxum ſic explicatur & demonſtratur. Sumamus aliquam ſententiam, quæ habeat pro ſe duo, aut tria argumenta verb. gr. $\frac{8}{10}$. $\frac{5}{10}\frac{6}{10}$. Erit ergo probabilitas, ſeu moralis certitudo ex his tribus argumentis conflata, ut $\frac{24}{1000}$. prout Cap. 5. Reg. 5. oſtenſum eſt; adeoque probabilitas ea erit tanta, ut vix unquam poſſit aut ſoleat fallere; & de hoc dubitare non licet, ſi probabilitatem argumentorum $\frac{8}{10}$. $\frac{7}{10}\frac{6}{10}$. ritè æſtimavimus. Quòd ſi autem aliquis probaret, nos eam argumentorum probabilitatem non ritè æſtimaſſe, tota utique ex his argumentis conflata certitudo concideret

& ene-

& enervaretur. Jam verò unicum argumentum probabile, quod ex opposita sententia relinquitur, sufficienter probat, nos probabilitatem argumentorum non rectè æstimasse; ostendo; præcisè est probabile, nos rectè æstimasse de probabilitate argumentorum; eaque probabilitas est præcisè negativa, inquantum judicamus, nos omnia considerasse, quæ ad æstimandam argumentorum probabilitatem considerandæ erant, nec quidquam nobis occurrit, quod attentione dignum fuerit à nostra consideratione omissum: & hoc verum esse, non solùm patet ex ipsa natura rei, sed etiam demonstratur per reductionem ad impossibile. nam, si ferè semper rectè æstimaretur argumentorum probabilitas, sequeretur ferè omnes sententias etiam contradictorias esse moraliter certas; quia in plurimis sententiis etiam contradictoriis duo aut tria argumenta, ex quibus moralis certitudo enascitur, produci possunt; atqui hoc est impossibile; quia tali modo illæ sententiæ essent moraliter certæ, & non essent moraliter certæ. Essent moraliter certæ; quia haberent pro se tria argumenta. Et simul non essent moraliter certæ; quia est necesse, plurimas sententias habentes tria argumenta frequenter fallere, quod repugnat morali certitudini; profectò reclamat experientia, quòd positis duobus aut tribus argumentis statim nascatur moralis certitudo; dantur multæ sententiæ, quæ pro se adducunt decem, viginti, aut triginta argumenta, & tamen moraliter certæ non sunt. Itaque non est certum, sed tantùm probabile, quòd moralis certitudo alicujus sententiæ, quam ex tribus argumentis conflavimus, sit legitima, nulloque careat falso supposito; adeoque semper periculum est, ne erraverimus in æstimanda probabilitate argumentorum, quæ probabilia verb. gratia ut

8 7 6
—.—.—. æſtimavimus. Jam verò error, qui
10 10 10
in æſtimanda probabilitate, atgumentorum poteſt irrepere, potiſſimum oriri poteſt ex eo, quòd non cognoſcamus omnes caſus & circumſtantias poſſibiles, relatè ad quas ſperamus effectum toties ſecuturum, toties non ſecuturum, verb. grat. ſi quæratur, quanta ſit probabilitas felicis eventus belli, quod Turcarum Imperator meditatur cum Venetis inire; poteſt quidem fieri, ut conſiliarii prævideant centum aut mille caſus & circumſtantias poſſibiles, quorum pleræque ſpondent felicem eventum; interim tamen poſſibiles ſunt infiniti alii caſus non prævi-ſi, qui aleam belli longè aliter vertant quàm ſperabatur: itaque probabilitas, quam conſiliarii habent de eventu felici belli, eſt tantùm probabilitas probabiliter talis & negativa, inquantum poſſunt dicere: *Nos conſideratis omnibus caſibus & circumſtantiis poſſibilibus, quæ à nobis prævidentur, judicamus in eorum caſuum longè pluribus eventum belli futurum felicem*: licèt reipſa dentur infiniti alii caſus poſſibiles à conſiliariis non prævi-ſi: fiet itaque, ut, dum conſiliarii dicunt; pro-
900
babilitas felicis eventur belli eſt ut —
1000
quia poſitis mille caſibus poſſibilibus in horum nongentis ſequetur victoria, & tantùm in centum caſibus clades, fiet, inquam, ut ea probabilitas aut moralis certitudo fortè omnino nulla ſit, quia neſciunt, quid in aliis infinitis caſibus à ſe non prævi-ſis futurum ſit. Quod in hoc exemplo contingit, ferè in omni alia probabilitate verſante circa humanas actiones, aut naturales effectus contingit, quia ſemper ferè infinitæ nos latent

cau-

cauſæ, circumſtantiæ, relationes, conditiones, & caſus poſſibiles, quæ in effectum contingentem influunt, quarumque conſideartio diſtincta notabiliter mutaret judicium de futuro rei eventu, aut rei veritate. Neque enim putandum eſt, eodem modo ſe habere probabilitatem circa res humanas, & circa res naturales, prout ea ſe habet in luſu aleæ, aut chartarum, ac rebus Mathematicis; in luſu aleæ, & chartarum certi ſumus nos cognoſcere omnes caſus poſſibiles, & certi inſuper ſumus, nos cognoſcere, quoties in numero caſuum poſſibilium ille vel ille eventus recurrat. v. g. ſi ſumo duas teſſeras, certus ſum, non eſſe poſſibiles caſus plures, quàm 36., aut 216. ſi ſumo tres teſſeras. Certus inſuper ſum in duabus teſſeris tantùm poſſibilem eſſe unum jactum, qui 2. aut 12. efficiat; duos jactus, qui 3. aut 11. efficiant, tres jactus, qui 4. aut 10. efficiant, quatuor jactus, qui 5. aut 9. efficiant, quinque jactus, qui 6. aut 8. efficiant, & ſex jactus, qui 7. efficiant. Itaque in tali caſu mirum non eſt, me certum eſſe poſſe de gradu probabilitatis, quam habec ad quemcumque jactum; quia poſſum certo dicere, probabilitatem ad jactum numeri 2. vel 12. eſſe ſicut $\frac{1}{36}$. ad numeri 7. ut $\frac{6}{36}$ $=$ $\frac{1}{6}$. in allis autem objectis & eventibus nec certò ſcimus numerum caſuum poſſibilium, nec certò ſcimus, quoties eventus in illo numero caſuum poſſibilium ſperari poſſit. Si quis ante duos annos de futuro ſtatu Europæ probabilem conjecturam ferre debuiſſet, quis prævidiſſet rebellionem Perſicam, ſubitam

Tyranni mortem, turbas Polonicas, mortem Imperatoris Ruſſiæ, ſucceſſionem Imperatoris Ruſſiæ, fœdus inter Imperatorem Romanum, & Philippum V. tunc temporis agentem vitam privatam, conjugium Regis Galliæ cum filia Stanislai, rupta inter Galliam, & Hiſpaniam connubii fœdera, mortem Aurelianenſis Ducis, & Cardinalis du Bois, & mille alia, de quibus nec ſuſpicari licuit? idem fit in factis particularibus, etiam hominum ſingularium, quorum cor inſcrutabile; & in operibus naturæ, in quibus homo nec initium nec finem reperit. Clarum ergo eſt, timidiſſimos nos eſſe oportere in *dijudicanda* argumentorum probabilitate, quæ meritò æquatur cuidam *Infinito* incognito, cujus omnes partes pertranſire numerando non licet. Quando autem occurrit aliqua circumſtantia probabilis pro oppoſita ſententia, eoipſo certi eſſe poſſumus, nos, dum noſtram ſententiam putamus eſſe certam, non comprehendiſſe omnes circumſtantias; alioquin illa ipſa oppoſitæ ſententiæ circumſtantia fuiſſet cognita, nosque à ferendo judicio revocaſſet; aut ſi illa circumſtantia cognita fuit, non tamen fuit cognita ejus relatio ad omnes alias circumſtantias objecti, & vis influendi conjunctim cum aliis circumſtantiis in effectum; alioquin cognita ea relatione ac vi ſtatim appareret, quidnam ſimpliciter conſideratis omnibus potiùs ſperandum ſit de veritate objecti. Ponamus, Conſiliarios Regis judicare, probabilitatem

999

de felici eventu belli eſſe, ut — —. extet au-

1000

tem in Scriptura vaticinium, quod de hoc ipſo bello probabilius ſiniſtrum exitum vaticinetur; aut ſurgat Propheta, qui mala nuntiet; aut emiſſarii, ac ſpeculatores in regiones hoſtiles miſſi diſſuadeant bellum &c. dico, horum

rum quodcunque testimonium ac probabile argumentum sufficere, ut Consiliarii suspicentur, ac existiment, se nondum omnia ad æstimandam probabilitatem de eventu belli requisita ritè perpendisse, ex quo tota illorum probabilitas concidet. licèt argumenta opposita tantùm essent probabilia, puta, quia tantùm probabile esset, Scripturam Sacram loqui de hoc bello, aut Prophetam illum esse verum Prophetam missum à Deo, aut speculatores in suo judicio non falli.

REGULA 6. Quando moralis certitudo, conflata ex pluribus argumentis simul sumptis, enervatur per aliquod argumentum probabile oppositæ sententiæ nondum enervatum, tunc ex omnibus argumentis faciendum est unicum argumentum, cujus probabilitas directè æstimari debet. Pro intelligenda hac Regula observandum est, omnia argumenta principaliter revocari posse ad tria argumentorum genera, videlicet ad *argumenta per se existentiæ ad Argumenta per accidens existentiæ*, & *ad argumenta ab authoritate judicum*. Argumenta *per se existentiæ* voco, quæ sumuntur à circumstantiis semper, aut plerumque objectum comitantibus; quæ proin exiguntur ab objecto, verb. gratia secutum est homicidium; ergo dabatur etiam inimicitia aut lis. Argumenta *per accidens existentiæ* voco, quæ non semper aut plerumque comitantur objectum, si tamen dantur, semper aut plerumque ponunt objectum, verb. grat. constat, Petrum præparasse arma, & dixisse, se hac hora occisurum Paulum; tales minæ non semper aut plerumque solent comitari homicidium, si tamen dantur plerumque trahunt post se homicidium, Argumenta *ab authoritate* voco illa, quæ præcisè interponunt judicium hominum de veritate objecti, non verò illa, quæ continent testimonium de aliqua circumstantia. verb. grat. si argumentum

dicat,

dicat, duo teſtes teſtantur, Petrum præparaſſe arma, & minatum eſſe mortem; hoc argumentum non eſt ab authoritate, ſed à circumſtantia: ſi verò dicas, centum judices jam condemnarunt Petrum, hoc argumentum voco ab authoritate. Quando ergo omnia argumenta reduxiſti ad hæc tria argumentorum genera, tunc conſiderabis, an in illa materia, quam tractas, de facili ſoleant aut poſſint reperiri plures circumſtantiæ attentione dignæ, quàm actu conſideraſti: Quod ſi judices, vix poſſe reperiri plures circumſtantias conſideratione dignas, quàm actu jam conſideraſti, moraliter certam ſpem habebis, te probabilitatem argumentorum rectè conſtituiſſe. Hoc poſitò, tria hæc argumenta, in quæ omnia alia argumenta reſolviſti, in unum argumentum conflare poteris hac methodo: dic; *quàm certum eſt, ene probabilitatem directam trium argumentorum rectè conſtituiſſe, tam certum eſt, gradum ex tribus argumentis conflatum eſſe talem.* Quòd ſi autem non rectè conſtitui omnium trium argumentorum probabilitatem, certum tamen eſt, quodlibet argumentum ſpem habere, ſibi ex concurſu reliquorum argumentorum duorum, unum ſaltem ad minimum gradum probabilitatis addendum fore: quia plerumque contingit, argumentum minùs fallere, quod ab aliis argumentis confirmatur; ea ſpes nondum æquivalet integro gradui probabilitatis, quia eſt tantùm ſpes; neque etiam ea ſpes eſt pro omnibus argumentis ſimul ſumptis, ſed pro aliquo eorum; quia tantùm ſperamus, quòd ſaltem in uno ex tribus argumentis non fallamur; non autem ſperamus, quòd in nullo fallamur, aut quòd in omnibus rectè probabilitatem æſtimaverimus, ſed ſaltem in uno, quod ex circumſtantiis reliquorum argumentorum quã-

vis

vis non ritè perpenſis aliquod probabilitatis augmentum capiat. Dico, ex regulis Algebraicis æſtimari poſſe, quantum probabilitatis valeat ea ſpes, quam quodlibet argumentorum habet ad novum probabilitatis gradum. Ponamus tria eſſe argumenta, quorum quodlibet ex pluribus aliis conflatum eſt: probabilitas primi argumenti ſit ut $\frac{8}{10}$ ſecundi ut $\frac{7}{10}$ tertii ut $\frac{6}{10}$ detur etiam moralis certitudo me in conſtituenda hac probabilitate rectè proceſſiſſe, ſicque detur moralis certitudo gradus ex omnibus his tribus argumentis reſultantis. Hæc ponendo pono eoipſo veluti quatuor colluſores, quorum quilibet ſperat, ſi decem caſibus vincat, ſe obtenturum depoſitum. Primo argumento adhuc deſunt duo caſus, ſecundo tres, tertio quatuor, morali certitudini tantùm unus ad moralem certitudinem obtinendam. Dico: ſpem aſſurgendi ex omnibus argumentis ad moralem certitudinem habere partes probabilitatis $\frac{769}{1024} = \frac{7}{10}$ adeoque probabilitas in hoc caſu ex omnibus argumentis reſultans eſſet, $\frac{87}{100}$ ſeu $\frac{8+7}{10} : 10$. Demonſtratio paulò fuſior videri poteſt in Bernoullo de Arte Conject. part. 1. propoſ. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. qualis verò probabilitas in ſingulis caſibus poſſibilibus ad moralem certitudinem reſultet, ex ſequenti tabula cognoſces, in qua Littera A. denotat ſpem moraliter certam, quam habemus, nos in conſtituenda probabilitate directa argumentorum rectè proceſſiſſe, ſeu ſpem, quam habemus, quod gradus ex tribus

argumentis resultans sit certò talis, & non tantùm probabiliter talis. Littera B denotat primum argumentum, C secundum, D tertium. Numerus cuilibet litteræ adscriptus denotat gradus, quot spei, aut argumento ad absolutam certitudinem adhuc desunt. Numeri in columna P. denotant gradum probabilitatis, quam habet nostra spes de gradu ex tribus argumentis resultante. Et hæc æstimatio spei tunc solùm locum habet, quando nobis videtur moraliter certum, nos in æstimanda probabilitate argumentorum rectè processisse; quando enim hoc ipsum aut directè, aut ob opposita argumenta probabilia dubium est, omnino concedendum est, *plura argumenta sibiipsis invicem addita non augere, sed confirmare gradum suæ probabilitatis.*

P	P	P	P	
A 1 • 4/3 B 1 C 1 D 1	A 1 4/5 B 1 C 1 D 2	A 1 19/32 B 1 C 2 D 2	A 1 57/128 B 2 C 2 D 2	A 1 43/64 B 1 C 1 D 3
A 1 145/256 B 1 C 2 D 3	A 1 101/256 B 2 C 2 D 3	A 1 273/512 B 2 C 2 D 3	A 2239 B	A 1 679/2048 B 2 C 3 D 3
A 1 2031/8192 B 3 C 3 D 3	A 1 171/256 B 1 C 1 D 4	A 1 143/256 B 1 C 2 D 4	A 1 214/409 B 1 C 3 D 4	A 1 38/102 B 2 C 2 D 4
A 1 316/819 B 2 C 3 D 4	A 1 83/327 B 3 C 3 D 4	A 1 206/409 B 1 C 4 D 4	A 1 106/327 B 2 C 4 D 4	A 1 50/131 B 3 C 4 D 4
A 1 149/524 B 4 C 4 D 4				

CAP. VII.

De Utilitate Artis Criticæ.

HActenus in ſcientiis & artibus potiſſimùm ſciendi ac proficiendi inſtrumentum ſyllogiſmus fuit ; in hoc verò reperio tres notabiles defectus. Primò enim non docetur in Logica commnni, qualem certitudinis vel probabilitatis gradum *Major* & *Minor* habeant ; atque ex eo naſcitur infinita confuſio. Secundò, non docetur, qualem probabilitatis gradum concluſio habeat, quando ex duabus præmiſſis probabilibus deducitur. Tertiò, non docetur, qualem probabilitatis gradum retineant plura argumenta oppoſita ad invicem comparata, aut qualem acquirant gradum plura argumenta ad invicem addita.

Ex his tribus defectibus innumera ſequuntur mala ; ſequuntur enim infinitæ lites in rebus dubiis, in quibus veritas haberi non poteſt, &, cùm de conſtituendo probabilitatis gradu non cogitetur, defenditur utraque ſententia cum pertinacia, conjecturæ pro veris argumentis venduntur, & oppoſitis argumentis tanquam non convincentibus rejectis utrinque cum plauſu triumphatur.

O. A. M. D. G.

PARS

PARS SEPTIMA

Exercitatio Critica de Stilo Authorum dijudicando, & de Authoribus ex Stilo dignoſcendis.

CAP. I.

Viri doctiſſimi judicarunt, ſæpe Authores ex ſtilo ngnoſci poſſe.

AFfero teſtimonia *tredecim* virorum doctiſſimorum, qui ſæpe ex ſtilo de authore libri tulerunt judicium; judicium hoc ſuum quandoque *probabile* tantum, aliquando verò *certum* eſſe non dubitabant: quando agebatur de abjudicando authori libro *ex difformitate* ſtili, eos plerumque timidius pronuntiaſſe obſervo, quando verò agebatur de adjudicando authori libro *ex ſimilitudine ſtili*, communius obſirmatam tulerunt ſententiam Porrò Authores, à me recenſendi, ſunt ſequentes. 1. *Varro*. 2. *Julius Cæſar*. 3. *Cicero*. 4. *Quintilianus*, 5. *Martialis*. 6. *Favorinus*. 6. *Gellius*. 8. *S. Gregor. Naz.* 9. *S. Hieronymus*. 10. *S. Auguſtinus*. 11. *Sidonius Apollinaris*. 12. *Caſſiodorus*. 13. *Photius*.

1. *M. TERENIUS VARRO*. *Gellius* L. 3. C. 3. teſtatur, controverſum fuiſſe aliquando, an quædam Comœdiæ Plautum haberent authorem; easque Varronem Plauto ob conformitatem ſtili incunctanter adjudicaſſe. Sic ait: *Verum eſſe comperio, quòd quoſdam*

benè litteratos *homines dicere audivi, qui plerasque* PLAUTI *comœdias curiosè, atque attentè lectitaverunt, non indicibus Ælii Sedigiti, nec Claudii, nec Aurelii, nec Accii nec Manilii super his fabulis, quæ dicuntur ambiguæ, credituros, sed* ipsi Plauto, moribusque ingenii, atque linguæ ejus. *Hac enim judicii norma* VARRONEM *quoque usum videmus, Nam præter illas unam & viginti, quæ Varronianæ vocantur, quas idcirco à cæteris segregavit, quoniam dubiosæ non erant, sed consensu omnium Plauti esse censebantur, quasdam item alias probavit,* adductus stilo *atque facetia sermonis Plauto congruentis, easque jam nominibus aliorum occupatas Plauto vindicavit. Sicuti istam, quam nuperrimè legebamus, cui nomen est Bœotia; nam cùm in illis una & viginti non sit, & esse Aquilii dicatur,* nihil tamen Varro dubitavit, *quin Plauti foret.* Neque alius quisquam *non infrequens lector* dubitaverit.

2. *C. JULIUS CÆSAR.* Cicero L. 9. ad Famil. Ep. 9. de Julio Cæsare testatur, eum ex stilo Ciceroniana à non Ciceronianis discreviisse. sic ait; *Ipse Cæsar habet peracre judicium, & ut Servius frater, quem litteratissimum fuisse judico, facilè diceret:* Hic versus Plauti non est, hic est; *quòd tritas haberet aures notandis generibus Ppetarum ex consuetudine legendi; sic audio Cæsarem, cum volumina jam fecerit* ἀποφθεγμάτων, *si quid afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, rejicere solere.*

3. M. *TULLIUS CICERO.* L. 6. Ep. 31. ad Volumnium ait: *Quod sine prænomine familiariter ut debes, ad me Epistolam misisti; primùm addubitavi, num à Volumnio Senatore esset, quocum mihi magnus est usus: deinde* ἀυτοχωδελία *litterarum fecit, ut intelligerem tuas esse.*

Huc

Huc pertinent, quæ C. 2. ex eodem Tullio referemus.

4. M. *FABIUS QUINTILIANUS* L. 2. C. 9. ait: *Eſt in ingeniis incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum penè, quàm corporum formę; quod intelligi etiam ex ipſis Oratoribus poteſt, qui tantum inter ſe diſtant genere dicendi, ut nemo ſit alteri ſimilis, quamvis plurimi ſe ad eorum, quos probant, imitationem compoſuerint.* L. 12. C. 10. *Mihi Orationis differentiam feciſſe & dicentium & audientium naturę videntur.* Huc referantur, quæ dicentur C. 2.

5. M. *VALERIUS MARTIALIS.* L. 12. Ep. 2. *Quid titulum poſcis? verſus dua treſve legantur, clamabunt omnes te, liber, eſſe meum.*

6. *FAVORINUS PHILOSOPHUS.* Gellius loco cit. *Favorinus quoque noſter, cùm Nervolariam Plauti legerem, quæ inter incertas eſt habita, & audiſſet ex ea verſum quendam, delectatus facetâ verborum antiquitate; vel unus hic, inquit,* verſus Plauti eſſe hanc fabulam ſatis poteſt eſſe fidei.

7. *AULUS GELLIUS.* L. cit. *Nos quoque ipſi nuperrimè, cùm legeremus Fretum (nomen eſt id Comœdię, quam Plauti eſſe quidam non putant)* haud quidquam dubitavimus, *quin Plauti foret, & omnium maximè genuina.*

8. *S. GREGORIUS NAZIANZENUS.* 208. ad Nicobulum. *Quemadmodum cum ingenuo partu ita cum oratione Pater una ſemper apparet; non minus, quàm ii, qui procrearunt, corporeis notis ut plurimùm innoteſcunt.*

9. S. Hieronymus. De Scriptoribus Eccleſ. C. 68. *Minutius Felix, Romæ inſignis Cauſidicus ſcripſit Dialogum Chriſtiani & Ethnici diſputantium, qui Octavius inſcribitur. Sed &*

aliud ſub nomine ejus fertur de Fato, vel contra Mathematicos, qui cùm ſit & ipſe deſerti hominis, non mihi videtur cum ſuperioris libri ſtylo convenire. Epiſt. 66. ad Rufinum. *Præfatiuncula librorum* περὶ ἀρχῶν *ad me miſſa eſt, quàm ex ſtilo intellexi tuam eſſe.* L. 3. adverſ. Pelag. *Hæc duo Capitula Orationis & laudis ſoles cum tuis diſcipulis jurare, non eſſe tua, cùm perſpicuè in eis ſtili tui ſplendor eluceat,* Ep. 13. apud S. Aug. *Ego ſimpliciter fateor dignationi tuæ, licèt ſtilus &* ἐπιχειρήματα *tua mihi viderentur, tamen non temere exemplaribus litterarum credendum putavi.* Ep. 21. ad Paulum Concord. *Miſimus interim te tibi, id eſt Paulo ſeni ſeniorem, in quo propter ſimpliciores quosque multùm in dejiciendo ſermone laboravimus. Sed neſcio, etſi aqua plena ſit, tamen eundem odorem lagena ſervat, quo, dum rudis eſſet, imbuta eſſe* L. 2. contra Ruffinum. *Stilum meum, qualiſcunque eſt, & formam elogii, vir diſertiſſimus exprimere non potuit, ſed inter ipſas præſtigias & alterius perſonam, qua ſe fraudulenter induerat, quis eſſet, oſtendit.*

10. S. AUGUSTINUS Ep. 48. *Stilus* S. Cypriani *habet quandam propriam faciem, qua poſſit agnoſci.*

11. C. SOLLIUS APOLLINARIS SIDONIUS L. 1. Ep. 1. *De M. Tullio ſilere me in ſtilo epiſtolari melius puto, quem nec Julius Titianus ſub nominibus illuſtrium fœminarum digna ſimilitudine expreſſit. Propter quod illum cæteri quique Frontoniauorum Oratorum ſimiam nuncupaverunt.* L. 7. Ep. 18. *Ita mens patet in libro, ſicut vultus in ſpeculo.*

12. MAGNUS AURELIUS CASSIODORUS SENATOR. Divin. inſtitut. C. 6. *Quidam etiam eſt Anonymus, ex cujus ſtilo beatum eſſe ſuſpicamur Hilarium, qui commenta libri Job ſcripſit in ordinem.*

13. PHO-

13. *PHOTIUS CONSTANTINOPOLITANUS.* In Bibliotheca pag. 832. *Hæc Oratio nomine Chryſoſtomi inſcribitur, non tamen mihi ejus eſſe videtur. Argumentis enim, modoque ſcribendi multùm à reliquis ejus Orationibus diſtinguitur.*

CAP. II.

Viri doctiſſimi eas authorum multorum notas characteriſticas, in quibus ſtili diverſitas conſiſtit, explicarunt.

NOtas Authorum characteriſticas voco eas ſtili proprietates, quibus unus Authorum diſcernitur ab altero: Cicero, Quintilianus, Sidonius, & ex Recentioribus Maſenius varias tales notas in multis Authoribus obſervarunt.

Cicero L. 3. de Oratore ſic habet: *Natura nulla eſt, quæ non habeat in ſuo genere res complures diſſimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur: nam & auribus multa percipimus, quę etſi nos vocibus delectant, tamen ita ſunt varia ſæpè, ut id, quod proximum audias, jucundiſſimum videatur. Et oculis colliguntur penè innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum ſenſum diſſimili genere delectent; & reliquos ſenſus voluptates oblectent diſpares, ut ſit difficile judicium excellentis maximè ſuavitatis: At hoc idem, quod in naturis rerum, transferri poteſt etiam ad artes. Una fingendi de arte, in qua præſtantes fuerunt Myro, Policetus, Lyſippus, qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt, ſed ita tamen, ut neminem ſui velis eſſe diſſimilem. Una eſt ars, ratioque picturæ, diſſimillimi tamen inter ſe Zeuſis, Aglaophon, Apelles: neque eorum quiſquam eſt,*

cui in Arte ſua quidquam deeſſe videatur. Et ſi hoc in quaſi mutis artibus eſt admirandum, & tamen verum; quanto admirabilius in Oratione *atque lingua? quæ cùm in iiſdem ſententiis verbiſque verſetur, ſummas habet diſſimilitudines inter ſe, non ſic, ut alii vituperandi ſint, ſed ut ii, quos conſtat eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primùm in Poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum Oratoribus, quàm ſint inter ſeſe Ennius, Pacuvius, Acciuſque diſſimiles, quàm apud Græcos Æſchylus, Sophocles, Euripides, quanquam omnibus par pænè laus in diverſo ſcribendi genere tribuatur. Aſpicite nunc eos homines, quorum de facultate quærimus, quid interſit inter Oratorum ſtudia, atque naturas.* Suavitatem *Iſocrates*, ſubtilitatem *Lyſias*, acumen *Hyperides*, ſonitum *Æſchines*, vim *Demoſthenes habuit; quis eorum non egregius? tamen quis cujuſquam*, niſi ſui ſimilis? Gravitatem *Africanus*, lenitatem *Lælius*, aſperitatem *Galba*, profluens quiddam *habuit Carbo*, & canorum: *quis horum non princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen quiſque genere princeps. Sed quid ego vetera conquiram, cùm mihi liceat uti præſentibus exemplis, atque vivis? quid* jucundius *auribus noſtris unquam accidit, hujus* Oratione *Catuli, quæ eſt* pura *ſic, ut latinè loqui penè ſolus videatur; ſic autem* gravis, *ut in ſingulari* dignitate *omnis tamen adſit* humanitas *ac* lepos. *Quid multa? iſtum ſic audiens equidem judicare ſoleo, quidquid aut addideris, mutaveris, aut detraxeris, vitioſius & deterius futurum. Quid noſter hic Cæſar? nonne novam quandam rationem attulit Orationis, & dicendi genus induxit propè ſingulare? quis unquam res, præter hunc*, tragicas *penè* comicè, triſtes remiſsè, ſeveras latè, forenſes ſcenica *prope* venuſtate *tra-*

cta-

ſtavit? atque ita, ut neque jocus magnitudine *rerum excluderetur*, nec gravitas facetiis minueretur? *Ecce præſentes duo propè æquales Sulpicius & Cotta; quid tam inter ſe diſſimile? quid tam in ſuo genere præſtans?* limatus *alter & ſubtilis*, rem explicans propriis, aptiſque verbis; hæret in cauſa ſemper, & quid judici probandum ſit, cùm acutiſſimè vidit, omiſſis cæteris argumentis, in eo mentem, Orationemque defigit. *Sulpicius autem fortiſſimo quodam animi impetu, pleniſſima & maxima voce, ſumma contentione corporis, & dignitate motus*, verborum quoque ea gravitate & copia eſt, *ut unus ad dicendum inſtructiſſimus à natura eſſe videatur. Ad nos ipſos jam revertor. Quid tam diſſimile in dicendo, quàm ego, & Antonius? cùm ille is ſit Orator, quod nil poſſit eſſe præſtantius? videtiſne genus hoc, quod ſit Antonii*, fortè, vehemens, commotum in agendo, præmunitum, & ex omni parte ſeptum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque recommorans, honeſtè cedens, acriter inſequens, terrens, ſupplicans, ſumma Orationis varietate, nulla *noſtrarum aurium ſacietate. Nos autem ab hujus multùm genere diſtamus, diſſimilitudo intelligi poteſt &* ex motus mei mediocritate, & ex eo, quod, quibus veſtigiis primùm inſtiti, in iis ferè ſoleo perorare, & quod aliquanto me major in verbis, & in ſententiis eligendi, quàm eum, labor & cura torquet, verentem, ne ſi paulo obſoletior fuerit oratio, non digna exſpectatione & ſilentio fuiſſe videatur. *Quòd ſi in nobis, qui adſumus tantæ diſſimilitudines, tam certæ res cujuſque propriæ, quid cenſetis, ſi omnes, qui ubique ſunt aut fuerunt Oratores, amplecti volueri-*

mus, numne fore, ut, quot Oratores, totidem pene reperiantur genera dicendi.

In Bruto agens de claris Oratoribus multorum notas characteristicas apponit. sic habet:

„ Galbam vis non ingenii solùm, sed et-
„ iam animi, & naturalis quidam dolor di-
„ centem accendebant, efficiebantque, ut
„ & incitata, & gravis, & vehemens es-
„ set Oratio; dein cùm otiosum stilum ap-
„ prehenderat, motusque omnis animi,
„ tanquam ventus, hominem defecerat,
„ flaccescebat Oratio, quod iis, qui lima-
„ tius dicendi consectantur genus, accide-
„ re non solet, propterea, quòd pruden-
„ tia nunquam deficit Oratorem, qua il-
„ le utens eodem modo & possit dicere,
„ & scribere; ardor animi non semper
„ adest, isque cùm consedit, omnis illa
„ vis & quasi flamma Oratoris extingui-
„ tur.

„ LUCIUS SIMPLEX ET ANTI-
„ QUUS. SPURIUS nihilo quidem orna-
„ tior sed tamen *adstrictior*.

„ In ÆMILIO LEPIDO primùm mihi
„ videtur apparuisse & lenitas illa Græco-
„ rum, & verborum comprehensio, etiam
„ artifex, ut ita dicam, stilus.

„ POMPEI scripta sunt nec *nimis extenua-*
„ *ta*; quanquam *veterum est similis*, & *plena*
„ *prudentiæ*.

„ C. FANNII Oratio non ejusmodi est,
„ ut à pluribus composita esse videatur; u-
„ nus enim sonus est totius Orationis, &
„ idem stilus. Alter C. FANNIUS mo-
„ ribus, & ipso genere dicendi *durior*.
„ Ejus historia *neque est nimis infans, neque*
„ *perfectè diserta*.

„ Habemus & CARBONIS & GRAC-
„ CHI orationes nondum satis splendidas-

ver-

„ verbis, sed acutas, prudentiæque pleniſ-
„ simas.
„ DIOPHANEM. Gellius canorum
„ Oratorem, & volubilem, & satis acrem,
„ atque eundem & vehementem, & val-
„ dè dulcem, & perfectum fuisse dice-
„ bat.
„ D. BRUTUS non incultè dicere ſo-
„ lebat; eum Accius in omnibus rebus
„ vehementem & acrem in dicendo fuisse
„ ajebat.
„ L. FURIUS per bene latinè loqui pa-
„ rabatur, litteratiusque quàm cæteri. P.
„ SCÆVOLA valdè prudenter & acutè,
„ paulò etiam copioſius. CLAUDII vo-
„ lubilis, sed paulò fervidior erat Ora-
„ tio.
„ P. DECIUS, non infans quidem,
„ sed ut vita, sic oratione etiam turbulen-
„ tus.
„ In SCAURI Oratione sapientis hominis,
„ & recti, gavitas summa, & naturalis que-
„ dam inerat Authoritas: non ut causam,
„ sed ut testimonium dicere putares, cùm
„ pro rei diceret. Hujus Orationes, &
„ libri sunt sanè utiles, quos nemo le-
„ git.
„ RUTILIUS in quodam tristi ac severo
„ dicendi genere versatus est, natura vehe-
„ mens & acer. Sunt ejus Orationes jejunæ;
„ prope perfectus in Stoicis, quorum peracu-
„ tum, & artis plenum Orationis genus, sed
„ tamen exile, nec satis populari assensioni
„ accommodatum.
„ TUBERO ut vita, sic Oratione durus,
„ incultus, horridus.
„ In Academicorum præceptis differendi
„ ratio conjungitur cum suavitate dicen-
„ di & copia. quis enim uberior in di-
„ cendo Platone? Jovem sic ajunt Philoso-
phi,

„ phi, ſi græcè loquatur, loqui. Quis Ari-
„ ſtotele nervoſior? Theophraſto dulcior? ſed & hujus Oratio in Philoſophiam tras-
„ lata, pugnacior videtur, & illorum in
„ judicio pacatior.

„ CURIONIS Oratio puerilis eſt locis
„ multis, loci ſanè inanes; verùm nondum
„ tritis noſtrorum hominum auribus tolera-
„ biles.

„ C. GRACCHUS grandis eſt verbis, ſa-
„ piens ſententiis, genere toto gravis, non
„ ſolùm acuere, ſed etiam alere ingenium
„ poteſt.

„ L. CÆSULENO, qui ſuſpicioſius, aut
„ criminoſius diceret, audivi neminem.

„ In CATULO ſermo latinus. Filio non
„ deerat in ſententia dicenda cum prudentia,
„ tum elegans quoddam & eruditum Oratio-
„ nis genus.

„ M. AURELIUS SCAURUS ſæpè
„ dicebat, ſed politè; latinè verò inprimis
„ eſt eleganter locutus.

„ P. LENTULUS de induſtria cum verbis
„ tum etiam ipſo ſono quaſi ſubruſtico imi-
„ tabatur antiquitatem.

„ ANTONIO omnia veniebant in men-
„ tem, eaq; ſuo quæque loco, ubi pluri-
„ mùm proficere poſſent, ut ab Imperatore,
„ equites, pedites, levis armatura, ſic ab
„ illo in maximè opportunis orationis par-
„ tibus collocabantur; erat memoria ſum-
„ ma, nulla meditationis ſuſpicio, verba
„ ipſa non illa quidem elegantiſſimo ſermo-
„ ne; itaque diligenter loquendi laude ca-
„ ruit, neque tamen eſt admodum inquina-
„ tè locutus. In verbis tamen & eligendis, &
„ collocandis, & comprehenſione devincien-
„ dis nihil non ad rationem, & tanquam ad
„ artem dirigebat. Verùm multò magis hoc
„ idem in ſententiarum ornamentis & con-

„ for-

„ formationibus, quo in genere quia omnibus
„ præstat DEMOSTHENES, idcirco à do-
„ ctis Oratorũ princeps est judicatus σχήματα
„ enim, quæ vocant Græci, ea maximè or-
„ nant Orationem, eaque non tam in verbis
„ pingendis habent pondus, quàm in illu-
„ minandis sententiis.

„ CRASSO nihil statuo fieri potuisse per-
„ fectius; erat summa gravitas, erat cum gra-
„ vitate junctus facetiarum & urbanitatis
„ Oratorius, non scurrilis lepos; latinè lo-
„ quendi accurata, & sine molestia diligens
„ elegantia; in differendo mira explicatio;
„ cùm de jure, cùm de æquo & bono disputa-
„ retur, argumentorum, & similitudinum
„ copia. Nam ut Antonius conjectura mo-
„ venda, aut sedanda suspicione, aut excitan-
„ da incredibilem vim habebat; sic in inter-
„ pretando, in definiendo, in explicanda æ-
„ quitate nihil erat Crasso copiosius. ——
„ Crassus eloquentium jurisperitissimus,
„ Scævola jurisperitorum eloquentissimus
„ putabatur; qui quidem, cùm peracutus es-
„ set ad excogitandum, quid in jure verum
„ esset, aut non esset, tum verbis erat ad
„ rem cum summa brevitate mirabiliter ap-
„ tus. —— In reliquis rebus ita dissimiles
„ erant inter se, statuere tamen ut non pos-
„ ses, utrius te malles similiorem. Crassus erat
„ elegantium parcissimus, Scævola parcorum
„ elegantissimus; Crassus in summa comi-
„ tate habebat severitatis satis, Scævolæ in
„ multa severitate non deerat tamen comi-
„ tas. Uterque horum medium quiddam vo-
„ lebat sequi, sed ita cadebat, ut alter ex al-
„ terius laude partem, uterque autem totam
„ suam haberet. In oratione Crassi pro Cæ-
„ pione inest quidam sine ullo fuco veritatis
„ color, quia etiam comprehensio, & ambi-
„ tus ille verborum, si sic periodum appella-

„ re

„ re placet, erat apud illum contractus;
„ & brevis, & in membra quædam, quæ
„ κῶλα Græci vocant dispertiebat oratio-
„ nem libentius. In Oratione Scævolæ in
„ legem Capionis multa graviter, multa le-
„ niter, multa asperè, multa facetè dicta
„ sunt.

„ TITII Orationes tantum argutiarum,
„ tantum exemplorum, tantum urbanitatis
„ habent, ut penè Attico stilo scriptæ esse
„ videantur.

„ BETUCIO, FREGELLANO, ex-
„ teruis Oratoribus idem tribuo, quod Ur-
„ banis, præter unum, quod non est eo-
„ rum urbanitate quadam quasi colora-
„ ta Oratio. Quid est iste urbanitatis co-
„ lor? nescio: tantùm esse quendam
„ scio.

„ PHILLIPPUS proximus Antonio.
„ Summa ei libertas in Oratione, multæ
„ facetiæ, satis creber in reperiendis, so-
„ lutus in explicandis sententiis; in al-
„ tercando cum aliquo aculeo, & male-
„ dicto facetus. Festivitate & face-
„ tiis.

„ JULIUS omnibus præstitit, Orator-
„ que fuit, minimè quidem vehemens, sed
„ nemo unquam urbanitate, nemo lepo-
„ re, nemo suavitate conditior. Sunt ali-
„ quot ejus Orationes, ex quibus ejus le-
„ nitas sine nervis perspici potest.

„ T. JUVENTIUS, nimis quidem len-
„ tus in dicendo, & penè frigidus, sed &
„ callidus, & in capiendo adversario ver-
„ sutus, & præterea nec indoctus, &
„ magna cum juris civilis intelligen-
„ tia.

„ P. MAGIUS in dicendo copiosior; sed
„ omnium Oratorum sive Rabularum,

qui

„ qui & planè indocti, aut inurbani, aut
„ ruſtici etiam fuerunt, quos quidem ego
„ cognoverim ſolutiſſimum in dicendo, &
„ acutiſſimum judico noſtri ordinis ſerto-
„ rium.

„ Quoniam Oratorum bonorum duo ge-
„ nera ſunt, unum attenuatè preſſèque al-
„ terum ſublatè, amplèque dicentium; et-
„ ſi id melius eſt, quod ſplendidius, &
„ magnificentius, tamen in bonis omnia,
„ quæ ſumma ſunt, jure laudantur. Sed
„ cavenda eſt preſſo illi Oratori inopia
„ & jejunitas; amplo autem inflatum &
„ corruptum orationis genus. Inveniebat
„ igitur acute COTTA dicebat purè ac
„ ſolutè. Nihil erat in ejus Oratione ni-
„ ſi ſincerum, nihil niſi ſiccum, atque ſa-
„ num, illudque maximum, quod, cum
„ contentione Orationis flectere animos
„ judicum vix poſſet, nec omnino eo ge-
„ nere diceret; tractando tamen impelle-
„ bat, ut idem facerent à ſe commoti, quod
„ à Sulpicio concitati.

„ Fuit enim SULPICIUS vel maximè
„ omnium, quos ego quidem audiverim,
„ grandis, & ut ita dicam, tragicus Ora-
„ tor: incitata, & volubilis, nec ea re-
„ dundans tamen, nec circumfluens Ora-
„ tio. Craſſum hic volebat imitari; Cot-
„ ta malebat Antonium; ſeu ab hoc vis
„ aberat Antonii, Craſſi ab illo lepos. At-
„ que in his Oratoribus illud animadverten-
„ dum eſt, *poſſe eſſe ſummos, qui inter ſe*
„ *ſint diſſimiles.*

„ C. CARBO fuit non ſatis acutus O-
„ rator: erat in verbis gravitas, & faci-
„ lè dicebat, & authoritatem naturalem
„ quandam habebat Oratio. Acutior
„ Q. VARRIUS rebus inveniendis,

nec

„ nec minus verbis expeditus. Fortis verò
„ actor ac vehemens, & verbis nec inops,
„ nec abjectus.
„ POMPONIUS lateribus pugnans
„ incitans animos, acer, acerbus, crimi-
„ nosus.
„ LAPULEJUS eloquentissimus
„ visus est; magis specie tamen & moru,
„ atque ipso amictu capiebat homines,
„ quàm aut dicendi copia, aut mediocrita-
„ te prudentiæ.
„ C. SERVILIUS peracutus, &
„ callidus, cum primisque riduculus.
„ SEX. TITIUS homo loquax sanè,
„ & satis acutus, sed tam solutus & mol-
„ lis in gestu, ut saltatio quædam nasce-
„ retur, cui saltationi Titius nomen es-
„ set.
„ P. ANTISTIUS rem videbat acu-
„ tè, componebat diligenter, memoria
„ valebat, verbis non ille quidem orna-
„ tis utebatur, sed tamen non abjectis.
„ Expedita autem erat, & facilè currens
„ Oratio.
„ M. CRASSUS mediocriter in do-
„ ctrina instructus; in hujus Oratione ser-
„ mo latinus erat; verba non abjecta,
„ res compositæ diligenter; nullus flos ta-
„ men, neque lumen ullum; animi magna,
„ vocis parva contentio, omnia ferè ut
„ uno modo dicerentur.
„ C. FIMBRIA omnia magna vo-
„ ce dicens, verborum sanè bonorum cur-
„ su quodam incitato, ita furebat, ut
„ mirarere tam alias res agere populum, ut
„ esset insano inter disertos locus.
„ CN. LENTULUS nec peracu-
„ tus, nec abundans verbis, sic interval-
„ lis exclamationibus, voce suavi & ca-
„ nora, admirando irridebat, calebat in

„ agen-

„ agendo, ut ea, quæ deerant, non deſi-
„ derarentur.

„ M. PISO habuit à natura genus
„ quoddam acuminis, quod etiam arte li-
„ maverat, quod erat in reprehendendis ver-
„ bis verſutum, & ſollers, ſed ſæpe ſto-
„ machoſum, nonnunquam frigidum, in-
„ terdum etiam facetum.

„ C. MACER authoritate ſemper
„ equit: non erat abundans, nec inops ta-
„ men; non valde nitens, non planè hor-
„ rida Oratio: vox, geſtus, & omnis
„ actio ſinè lepore; at in inveniendis,
„ componendiſque rebus mira accuratio, ſed
„ eam ut citiùs veteratoriam, quàm orato-
„ riam diceres.

„ C. PISO ſermonis plenus Orator;
„ minime quidem tardus in excogitando,
„ verumtamen vultu, & ſimulatione multò
„ etiam acutior, quàm erat, videba-
„ tur.

„ L. TORQUATUS elegans in
„ dicendo, in exiſtimando admodum
„ prudens, toto genere perurbanus.

„ CN. POMPEJUS erat Oratio-
„ ne ſatis amplus, rem prudenter vide-
„ bat, actio verò habebat ſummam digni-
„ tatem.

„ D. SILANUS ſtudii quidem ha-
„ buit non multùm, ſed acuminis & Ora-
„ tionis ſatis.

„ M. MESSALA nullo modo
„ inops, ſed nen nimis ornatus genere,
„ vorborum prudens, acutus, minimè in-
„ cautus.

„ CL. LENTULUS nec unquam
„ indiſertus, & non tardus ſententiis, non
„ inops verbis, facetus ſatis.

„ MEMMIUS perfectus litteris, ſed
„ Græcis; faſtidioſus ſanè Latinarum, ar-

„ gutus,

„ gutus Orator, verbisque dulcis, sed
„ fugiens cogitandi laborem tantum sibi
„ de facultate detraxit, quantum immi-
„ nuit industriæ.
„ C. VISELLIUS populo non erat
„ satis vendibilis; præceps quædam, &
„ cum idcircò obscura, quia peracuta, tum
„ rapida, & celeritate cæcata Oratio:
„ sed neque verbis aptiorem citò alium
„ dixerim, neque sententiis crebrio-
„ rem.
„ TRIARII admodum me delecta-
„ bat in illa ætate plena litteratæ senectu-
„ tis Oratio: quanta severitas in vultu?
„ quantum pondus in verbis? quàm nihil
„ non consideratum exibat ex ore.
„ C. PISONI genere meo erat verbo-
„ rum & delectus elegans, & apta, & qua-
„ si rotunda constructio: cùmque argumen-
„ ta ab eo excogitabantur multa, & fir-
„ ma ad probandum, tum concinnæ, acu-
„ tæq; sententiæ.
„ M. COELII & splendida mul-
„ tùm, & grandis, & eadem in primis
„ faceta, & perurbana Oratio.
„ M. CALLIDIUS non fuit Ora-
„ tor unus è multis, potiùs inter multos
„ propè singularis fuit; ita reconditas, ex-
„ quisitasque sententias mollis & pellucens
„ vestiebat Oratio; nihil tam tenerum,
„ quàm illius comprehensio verborum, ni-
„ hil tam flexibile, nihil, quod magis ip-
„ sius arbitrio fingeretur, ut nullius Ora-
„ toris æque in potestate fuerit: quæ pri-
„ mùm ita pura erat, ut nihil liquidius;
„ ita liberè fluebat, ut nusquam adhære-
„ sceret, nullum, nisi loco positum, &
„ tanquam in vermiculato emblemate, ut
„ ait Lucilius, structum verbum vide-
„ res; nec verò ullum aut durum, aut
„ inso-

„ inſolens, aut humile, aut in longius du-
„ ctum; ac non propria verba rerum, ſed
„ pleraque translata; ſic tamen, ut ea non
„ irruiſſe in alterum locum, ſed immigraſ-
„ ſe in ſuum diceres; nec verò hæc ſolu-
„ ta, nec diffluentia, ſed adſtricta nume-
„ ris non apertè, nec eodem modo ſemper,
„ ſed variè, diſſimulanterq; concluſis. E-
„ rant autem & verborum & ſententiarum
„ illa lumina, quæ vocant Græci χήματα,
„ quibus tanquam inſignibus in ornatu di-
„ ſtinguebatur omnis Oratio. Accedebat
„ ordo rerum plenus artis, actio liberalis,
„ totumque dicendi placidum & ſanum ge-
„ nus: Aberat tamen illa laus, qua per-
„ moveret & incitaret animos, nec erat
„ ulla vis atque contentio.

Hucusque Cicero, de claris Oratoribus. Sed jam Quintillianum audiamus, quibus Authores notis diſcernat. L. 10. C. 1. *ſic ait:*

„ Neque Salluſtiana brevitas, qua nihil
„ apud aures vacuas poteſt eſt perfectius,
„ captanda nobis eſt, neque Livii lactea
„ ubertas. Tullius Thucydidis bellicum
„ canorem, Xenophontis ore Muſas eſ-
„ ſe locutas exiſtimat. Homerum ne-
„ mo in magnis rebus ſublimitate,
„ in parvis proprietate ſuperavit: idem læ-
„ tus ac preſſus, jucundus, & gravis, tum
„ copia, tum brevitate mirabilis; nec Poe-
„ tica modò, ſed Oratoria virtute emi-
„ nentiſſimus; affectus mites, vel concita-
„ tos, nemo erit tam indoctus, qui non
„ in ſua poteſtate hunc Authorem habuiſ-
„ ſe fateatur. Rarò aſſurgit Heſiodus,
„ magnaque pars ejus in nominibus eſt
„ occupata; tamen utiles circa præcepta
„ ſententiæ, lenitasque verborum, &

„ compoſitionis probabilis, daturq; ei pal-
„ ma in illo mediocri dicendi genere.
„ In Antimocho vis, & gravitas, &
„ minimè vulgare eloquendi genus habet
„ laudem; ſed affectibus, & jucunditate,
„ & diſpoſitione, omnino arte deficitur.
„ Panayſim ex utroque mixtum putant,
„ in eloquendo neutrius æquare virtutes;
„ alterum tamen ab eo materia, alterum
„ diſponendi ratione ſuperari. APOL-
„ LONIUS eddit opus, æquali quadam
„ mediocritate. Arati materia motu caret,
„ ut in qua nulla varietas, nullus affectus,
„ nulla perſona, cui uſquam ſit Oratio.
„ Admirabilis in ſuo genere THEOCRI-
„ TUS, ſed Muſa illa ruſtica & paſtora-
„ lis non forum modò, verùm ipſam et-
„ iam urbem reformidat. Inter Scriptores
„ Jamborum in ARCHILOCHO
„ ſumma vis elocutionis, cum validæ,
„ tum breves, vibranteſque ſententiæ,
„ plurimùm ſanguinis atque nervorum.
„ Lyricorum PINDARUS princeps,
„ ſpiritus magnificentia, ſententiis, figu-
„ ris, beatiſſima rerum, verborumque co-
„ pia, & velut quodam eloquentiæ flumi-
„ ne. STESICHORUM quàm ſit in-
„ genio validus, materiæ oſtendunt: red-
„ dit perſonis in agendo, loquendoque de-
„ bitam dignitatem: ſed redundat, atque
„ effunditur, ALCÆUS in eloquendo
„ brevis, magnificus, & diligens, Home-
„ ro ſimilis, ſed in luſus & amores deſcen-
„ dit. SIMONIDES tenuis, alioqui
„ ſermone proprio & judicante quadam
„ commendari poteſt: præcipua tamen
„ ejus in commovenda miſeratione vir-
„ tus. Tragœdias primus in lucem
„ Æſchylus protulit, ſublimis, & gra-
„ vis, & grandiloquus ſæpè uſque ad vi-

tium,

„ tium, ſed rudis in pleriſque & incompo-
„ ſitus. EURIPIDES ſermone accedit
„ Oratorio generi, & ſententiis denſus, in
„ affectibus mirus, in iis, quæ miſeratione
„ conſtant, præcipuus, & admirandus ma-
„ ximè eſt. MENANDER ad cuncta
„ ſufficiat, ita omnem vitæ imaginem ex-
„ preſſit, tanta in eo inveniendi copia, &
„ eloquendi facultas, ita eſt omnibus re-
„ bus, perſonis, affectibus, accommoda-
„ tus. Hiſtoriam multi ſcripſere. Denſus
„ & brevis & ſemper inſtans ſibi THU-
„ CYDIDES. Dulcis & candidus &
„ effuſus Herodotus; ille concitatis, hic re-
„ miſſis affectibus melior, ille vi, hic vo-
„ luptate. PHILISTUS Thucydidis imita-
„ tor ut multo infirmior, ita aliquatenus
„ lucidior. Clitarchi probatur ingenium,
„ fides infamatur: Sequitur Oratorum in-
„ genes manus. Athenis princeps DEMO-
„ STENES penè lex orandi fuit, tan-
„ ta vis in eo tam denſa omnia, ita quibuſ-
„ dam nervis intenta ſunt, tam nihil otio-
„ ſum, is dicendi modus, ut nec quid de-
„ ſit in eo, nec quid redundet invenies.
„ Plenior Æſchynes, & magis fuſus, &
„ grandiori ſimilis, quo minus ſtrictus,
„ carnis tamen plus habet, minus lacerto-
„ rum. Dulcis inprimis & acutus Hyperi-
„ rides eſt &c.

„ Lyſias ſubtilis atque elegans, & ni-
„ hil, ſi Oratori ſatis ſit docere, quæ ras
„ perfectius, nihil enim eſt inane, nihil
„ arceſſitum, puro tamen fonti, quam
„ magno flumini propior. Iſocrates in di-
„ verſo dicendi genere nitidus & comptus,
„ & palæſtræ, quàm pugnæ magis accomo-
„ datus; omnes dicendi veneres ſectatus
„ eſt: inventione facilis, honeſti ſtudio-
„ ſus in compoſitione adeò diligens, ut

„ cura

„ cura ejus reprehendantur; neque has so-
„ las ejus virtutes, sed præcipuas puto.

„ Quis dubitet Platonem esse præcipuum,
„ sive acumine differendi, sive eloquendi
„ facultate Divina quadam & Homerica?
„ multùm enim supra prosam Orationem,
„ & quam Græci pedestrem vocant, assu-
„ rit.

„ Quid ego commemorem XENO-
„ PHONTIS illam jucunditatem inaffecta-
„ tam, sed quam nulla affectatio consequi
„ possit? ut ipsæ sermonem gratiæ annxisse
„ videantur, & quod de Pericle testimo-
„ nium est, in hunc transferri possit; in
„ labris ejus sedisse quandam persuadendi
„ Deum.

„ DEMOSTENIS, & CICERONIS
„ plerasque arbitror similes, consilium,
„ ordinem, dividendi, præparandi, pro-
„ bandi rationem; omnia denique, quæ
„ sunt inventionis, in eloquendo est aliqua
„ diversitas, densior ille; hic copiosior;
„ ille concludit adstrictiùs, hic latiùs pu-
„ gnat, ille acumine semper; hic frequen-
„ ter & pondere; illi nihil detrahi potest,
„ huic nihil adjici; curæ plus in illo; in
„ hoc naturæ. Salibus, certè, & commi-
„ seratione, qui duo plurimùm affectus
„ valent, vincimus. Cicero mihi videtur
„ effinxisse vim Demosthenis, copiam Pla-
„ tonis, jucunditatem Isocratis; nec ve-
„ rò, quod in unoquoque optimum est,
„ studio consecutus est. sed plurimas vel
„ potius omnes ex seipso virtutes extulit,
„ immortalis ingenii Beatissima ubertate,
„ quis docere diligentiùs? movere vehe-
„ mentiùs potest? cui tanta unquam ju-
„ cunditas affcit? ut illa ipsa, quæ ex-
„ torquet, impetrare eum credas: in om-
„ nibus, quadicit, tanta Authoritas inest,

„ ut

„ ut diſſentire pudeat ; nec advocati ſtu-
„ dium , ſed teſtis aut judicis afferat fidem.
„ Interim hæc omnia , quæ vix ſingula
„ quiſquam intentiſſima cura conſequi poſ-
„ ſet , fluunt illaborata,& Oratio præſefert
„ feliciſſimam facilitatem .

„ IN ASINIO POLLIONE
„ multa inventio , ſumma diligentia , adeò
„ ut quibuſdam etiam nimia videatur ; &
„ conſilii & animi ſatis ; à nitore & ju-
„ cunditate Ciceronis ita longè abeſt , ut
„ poſſit videri ſæculo prior .

„ AT MESSALA nitidus & can-
„ didus , & quodam modo præſeferens in
„ dicendo nobilitatem ſuam ; viribus mi-
„ nor .

„ IN C. CÆSARE tanta vis eſt ,
„ id acumen , ea concitatio , ut illum eo-
„ dem animo dixiſſe , quo bellavit , ap-
„ pareat . Exornat tamen hæc omnia mi-
„ ra ſermonis , cujus propriè ſtudioſus fuit,
„ elegantia .

„ Multum ingenii in COELIO , &
„ præcipuè in accuſando multa urbani-
„ tas .

„ CALVO eſt ſancta , & gravis Oratio,
„ & caſtigata , & frequenter vehemens: imi-
„ tator autem eſt Atticorum .

„ CASSIUS , ſi cæteris virtutibus colo-
„ rem & gravitatem adjéciſſet , ponendus
„ inter præcipuos foret , nam & ingenii
„ plurimum in eo eſt , & acerbitas mira,
„ & urbanitas , & vis ſumma , ſed plus ſto-
„ macho , quàm conſilio dedit ; præterea ut
„ amari ſales , ita frequenter amaritudo ip-
„ ſa ridicula eſt .

„ DOMITIUS AFER , & JULIUS
„ AFRICANUS præſtantiſſimi, verborum
„ arte ille , & toto genere dicendi præferen-
„ dus ; & quem in numero veterum ponere

„ non timeas. Hic concitatior; ſed in cura
„ verborum nimius, & compoſitione non-
„ nunquam longior, & translationibus parùm
„ modicus.
„ SENECÆ ingenium facile, & copio-
„ ſum, plurimum ſtudii, & multarum re-
„ rum cognitio; multæ in eo claræqi ſenten-
„ tiæ; ſed in eloquendo corrupta pleraque,
„ atque eo perniciosiſſima, quòd abundant
„ dulcibus vitiis: velles eum ſuo ingenio di-
„ xiſſe, alieno judicio. nam ſi pondera rerum
„ minutiſſiis ſententiis non fregiſſet, conſen-
„ ſu potiùs eruditorum, quàm puerorum
„ amore comprobaretur.

Hucusque Quintilianus.

C. Sollius Apollinaris Sidonius L. 4. Ep. 3 de Claudiano Mamerto loquens plurimum Authorum proprietates hoc modo indicat: *Sentit ut Pythagoras, dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Ariſtoteles, ut Æſchines blanditur, ut Demoſthenes iraſcitur, vernat ut Hortenſius, æſtuat ut Cethegus, incitat ut Curio, moratur ut Fabius, ſimulat ut Craſſus, diſſimulat ut Cæſar, ſuadet ut Cato, diſſuadet ut Appius, perſuadet ut Tullius. Jam ſi ad Sacroſanctos Patres pro comparatione veniatur, inſtruit ut Hieronymus, deſtruit ut Lactantius, adſtruit ut Auguſtinus, attollitur ut Hilarius, ſubmittitur ut Joannes, ut Baſilius corripit, ut Gregorius conſolatur, ut Oroſius affluit, ut Ruſinus ſtringitur, ut Euſebius narrat, ut Eucherius ſollicitat, ut Paulinus provocat, ut Ambroſius perſeverat.*

CAP.

CAP III.

Explicantur Stili elementa, ex quibus de Stilo Authorum, eorumque diversitate judicium formari possit.

VIdimus Capite 2. qualiter Cicero, & Quintilianus de Stilo Authorum varias tulerint censuras. Sic tribuebant *suavitatem* Isocrati, *subtilitatem* Lysiæ, *acumen* Hyperidi *sonitum* Æschini, *vim* Demosthenis, *gravitatem* Asticano, *lenitatem* Lælio, *asperitatem* Galbæ, *profluens ac canorum quiddam* Carboni, *eruditum dicendi genus* Catulo, *stilum Atticum* Titio, *accurationem* Macro, *brevitatem* Sallustio, *mediocritatem* Apollonio, *jucunditatem* Xenophonti, *consilium* Pollioni, Scauro *naturalem authoritatem*. Oratio Catuli dicebatur *pura*, *gravis*; Galbæ *incitata*; Pompei *extenuata* & *plena prudentiæ*; Rutilii *jejuna*; Curionis *puerilis*; Sulpicii *circumfluens*, C. Pisonis *plena sermonis*; Visellii *obscura*, *rapida*, & *celeritate cæcata*; Triarii *plena senectutis* Callidii *mollis* & *pellucens*, Calvi *sancta* & *castigata*. *Acutissimè* dicere credebatur Cotta, *copiosè* Sulpicius: *vehementer*, *enucleatè*, & *acriter* Antonius; *politè* & *eleganter* Aur. Scaurus; *simplex* & *antiquus* habebatur Lucius, *adstrictior* Spurius; *volubilis*, *dulcis*, *facetus* Diophanes, Scævola *fervidus*, Decius *turbulentus*, Tubero *durus*, *incultus*, *horridus*; Plato *uberrimus*: Aristoteles *nervosus*, Gracchus *grandis verbis*, *sapiens sententiis*, gravis; Cæsulenus *suspiciosus criminosus*, Juventius *lentus*, *frigidus*, *callidus*, Sulpicius Orator *tragicus*, Servilius *ridiculus*; Memmius *argutus*, Visellius *non satis vendibilis*,

Homerus *sublimis*, *jucundus*, Æschylus *grandiloquus*, Isocrates *nitidus & comptus*; Messala *nitidus & candidus*. Aliorum dicendi genus dicebatur *obsoletum*, *exile*, *coloratum*, *attenuatum*, *pressum*, *sublatum*, *amplum*, *inflatum*, *sincerum*, *siccum*, *sanum*, *urbanum*, *humanum*, *facetum*, *expeditum ac facile currens*, *stomachosum*, *versutum*, *solers*, *incautum*, *tenerum*, *flexibile*, *liquidum*, *liberè fluens*, *durum*, *insolens humile* &c.

Quæritur jam, quid significent eentum hæc eloquentiæ probæ, aut vitiosæ nomina; aut quænam sint stili elementa, ex quorum diversa applicatione nascitur tanta Scriptorum diversitas; dico, eos, qui de Stilo Authorum rectum ferre volunt judicium, ad sequentia stili elementa attendere possit:

1. *Materia*, quam author tractat.
2. *Inventio*, qua materiam considerat.
3. *Consilium*, quo considerationem suam provide ad suum scopum ordinat.
4. *Affectus*, quos fovet Author, aut concitat.
5. *Voces*, quibus sua sensa explicat.
6. *Epitheta*, quibus objecta implicat.
7. *Phrases*, quibus suæ mentis opinionem proponit.
8. *Particulæ*, quibus jungit, disjungit, aut assertioni suæ modum adjicit.
8. *Figuræ*, quibus modum proponendi elevat.
9. *Tropi*, quibus suos conceptus exornat.
10. *Similitudines*, quas adhibet.
11. *Exempla*, quibus utitur.
12. *Sententiæ*, aut *Proverbia*, quæ inspergit.
13. *Eruditio*, qua admirationem causat.
14. *Acutè dicta*, quibus figit memoriam.

15. *For-*

15. *Formulæ connectendi*, proponendi, partiendi, digrediendi, copulandi.

16. *Formulæ tractandi* materiam, laudandi, ſuadendi, reprehendendi.

17. *Ordo vocum*, epithetorum, particularum, phraſium, tropojum &c. inter ſe.

18. *Ordo partium materiæ* inter ſe.

19. *Junctura partium orationis* inter ſe, quæ una pars deſinit in alteram.

20. *Convenientia partium Orationis* inter ſe, qua metrum unius partis integræ conſonat ad partem integram alteram.

21. *Numeri*, *ſeu Metrum* vocum maximè, initialium, & finalium in periodis, & propoſitionibus.

22. *Numeri*, ſeu *Metrum* periodorum integrarum.

23. *Harmonia ac Symmetria* præcipuarum partium materiæ & orationis inter ſe.

24. *Harmonia ac Symmetria omnium* partium materiæ & orationis inter ſe.

25. *Facilitas naturalis*, quam Orator aut ſcriptor habet ad ſingula.

26. *Gravitas*, qua ſcriptor perpetuò ſerius procedit ad ſeria, lento affectu, nec præcipitante conſilio.

27. *Authoritas*, qua ſcriptor ſuum tacitè interponendo oraculum confidenter quaſi certa & indubitata pronuntiat.

28. *Dignitas*, qua ſcriptor convenientia ſtatui, eminenti profert.

29. *Combinationes* ſingulorum elementorum inter ſe. Dum v. g. in uno ſcriptore dominantur affectus, & phraſes &c. in altero inventio, & figuræ, & Ordo &c.

30. *Negationes*, ſeu *defectus* Elementorũ dum videlicet in uno Auth. deſunt phraſes, in altero

affectus, figuræ, numerus &c. ex talium defectu scriptor præcisè *non laudabilis* fit.

31. *Vitia*, quibus scriptor *positivè reprehensibilis* fit.

Hæc sunt præcipua elementa, ad quæ attendere possumus, si de stilo Oratoris, aut cujuscunque Scriptoris judicare volumus. Porro circa singula elementa observari possunt multæ proprietates, ex quarum diversitate stili diversitates in immensum multiplicantur.

1. *Circa Materiam.* Cujus scientiæ, artis, aut facultatis objectum sit? 2. Ad quem statum hominum magis conveniat? 3. An sit universalis, particularis, singularis? 4. Cui materiæ puncto potissimùm insistat? 5. An sit popularis, cujusque captui accommodata; an verò sublimis, perspicaciori intellectui pervia? 6. Quorum affectuum potissimùm objectum sit. 7. An Author multa paucis, an verò pauca multis dicere soleat? 8. An Author materiam in pauca, multave, & quot membra dissecet? 9. An Author membra materiæ ordinatè proponat, an confusè? 10. An Author membra materiæ sic contracto attentionis spatio ob oculos ponat, ut conjunctim uno obtutu comprehendi possint; an verò ea in tam dissita spatia sparsim proponat, ut totum objectum difficulter videri queat? 11. An Author materiam breviter tractet, an verò enucleatè longius expendat? 12. An Author crebram afferat rerum frequentiam, tot propemodum involvendo nova attentionis objecta, quot constructiones, aut periodos? 13. An Author rerum varietate perpetua delectetur? 14. An Author quibusdam punctis, & quibus longiùs immoretur? aut sæpius inhæreat? quàm longè, aut quàm frequenter? 15. An Author adjuncta, relationes, par-

tes,

tes, proprietates, cauſas, effectus, eſſentiam expondere ſoleat.

2. *Circa Inventionem*, an fœcundus ſit in argumentis excogitandis, & circumſtantiis expendendis? 2. An Author ſit ſubtilis in reflexionibus, argumentis, ac obſervationibus parùm alioquin obviis? 3. Quibuſnam locis Rhetoricis, aut Topicis author uti ſoleat? an definitione? diviſione? proprietatibus, cauſis, effectibus, adjunctis, ſimilitudine &c. 4. Quibuſnam authoritatibus communiter uti ſoleat? 5. Quarum ſcientiarum, artium, notitiarumve ſubſidio pro argumentis uti ſoleat? 6 Quibus præjudiciis, ſuppoſitionibus, ac receptis ſemel opinionibus inniti ſoleat? 7. Quas ſententias, ſyſtema, ac corpus doctrinæ foveat? 8. An materiam exhauriat, conſiderando omnia, quæ in ea conſiderari poſſent, aut deberent? 9. An ſolidè diſcurrat, legitimè inferendo unum ex alio? 10. An dubia, & difficultates diſſimulet ac reticeat? 11. An dubia rectè ſolvat: 12. An aſſenſum moderetur juxta merita cauſæ, adhibendo dubium in dubiis an verò metas probabilitatis tranſiliat? 13. An non multa immiſcere ſoleat ad ſcopum, ad vim argumenti impertinentia? An ſoleat aſſerere, quæ ſibi videntur veriora? 15. An non præbeat indicia diſpoſitionum mentis veritati inimicarum, & qualium? tales diſpoſitiones eſſent, affectio ad hanc vel illam opinionem. ſervilis nimium ad authoritatem hominis fallibilis, affixio mentis ad res, ludicras minimè ſerias, projectæ nugacitas, defectus eruditionis, exercitationis claritatis, ordinis &c.

3. *Circa conſilium*, ſeu *Prudentiam*, an ſuggerat media ad quoslibet fines authoris, vel lectoris accomoda, faciliora, breviora, certiora? 1. An providè omnia orationis, aut

ſcripti membra diſponat ad obtinendum aſſenſum, videlicet removendo omnia, quæ intellectum impediunt à comprehendenda veritate; reſecando inutilia, evitando prolixitatem, ſopiendo tumultum paſſionum veritati adverſantium, vitando exaggerationes, leviſſimas objectiones prætereundo, aut tractando leviſſimè, non immorando dubiis, nec inſiſtendo incertis principiis; non multùm probando ea, quæ jam per ſe clara, conceſſa, aut minimè controverſa ſunt, prout faciunt multi concionatores, ſæpè probando multis textibus propoſitiones, etiam ruſticis perſuaſiſſimas. 3. An vim eloquentiæ adhibeat eo loco, ac tempore, quo opportunum eſt, videlicet in re levi non inſiſtendo acriter & tota contentione animi; in re maximè ſeria tractando graviter, ſine argutiarum levitatibus; curſum affectuum non interpelando objectis attentionem ad longè alios affectus avocantibus, deſcriptiones floridas, aut narrationes ad motum inutiles non collocando in Epilogo, aut eo loco, ubi tota attentio ad objecta affectuum fœcunda colligi debet. 4. An eruditionem exſpectantibus offerat, an verò invitis obtrudat? ſicque, dum admirationem concitare cupit, oſtentationis notam incurrat? 5. An dicat accommodè ad auditores vel lectores, ſi ſint docti, vel indocti, juvenes, vel ſenes? 6. An affectus nitatur extundere, an verò provocare? cùm enim affectus via connaturali ſequantur ad apprehenſionem intellectus, modus violentus ac minimè naturalis erit, elicere velle affectus, niſi priùs animo audientium ac legentium ea objecta impreſſa fuerint, quæ ultrò fœcunditate ſua affectum intentum pariant. 7. An author ſic procedat, ut ad ſingula membra dicere poſſit rationem: *cur hoc dicat?* & *cur hoc loco dicat?* & *cur non alio loco*, aut

alio

alio modo dicat? 8. An soleat immorari minutiis nulla attentione dignis, earumque amplificationi indulgere? 9. An rebus attentione dignis pro earum dignitate satis, ac ornatè insistat? an verò talibus rebus nimia brevitate dignitatem adimat? 10. An per inductionem rerum audienti non satis cognitarum, atque per exempla, proverbia erudita sic festinanter discurrat, ut memoriæ, ac phantasiæ audientis parum plus nihilo præcisè inhæreat, sicque aut fastidium creet, aut matricem affectuum, comprehensionem claram objecti animis minimè ingerat? 11. An objecta distincta attentione digna etiam distinctim proponat, ut ipsa sui positione specialem attentionem excitent? 12. An narrationi, & instructioni debitam claritatem, contentioni vehementiam, conclusioni vim motumque conciliet? 13. Quos author speciales fines sui laboris sibi constituat?

Circa affectus. Quos affectus Author in se exprimat? 2. Quos affectus Author legenti vel audienti ingerat? 3. Quænam sint objecta, circa quæ affectus versantur? 4. Quænam sint objecta, ex quorum consideratione ii affectus nascuntur? 5. Quinam sint affectus prævii, per quos tacitè vel expressè transitur ad affectum intentum v. g. habet quis affectum *desiderii?* necesse est, ut priùs objectum *ameti* & ante *affectum amoris* necesse est, ut præcedat *affectus admirationis*, quo objectum amandum admiratur. 6. Quinam affectus connaturaliter sequantur ad affectum, de quo agitur: v. g. habet quis affectum *desiderii?* connaturaliter sequitur *spes* obtinendi bonum desideratum, vel amittendi *metus*; sequitur etiam *Zelotipia*, *audacia*, *consternatio &c.* 7. Quænam sint objecta talium affectuum antecedentium,

vel ſubſequentium. 8. Quàm frequenter tales affectus in Authore occurrant? 9. Quibus loquendi formulis tales affectus exprimantur? 10. An Author eundo per affectus ſequatur eorundem ordinem naturalem? an verò ſaliat ab uno ad alterum non ſatis propinquum? aut omnino non connexum? 11. an ſervet ordinem affectuum tacitè ſolùm, an verò expreſsè. An prorumpat in affectus ex matura conſideratione objecti? an verò ex levi? aut omnino nulla? poſtremus enim modus eſt prorſus innaturalis, & frequens in libellis Meditationum, in quibus occurrunt empti affectus, nullatenus tamen animam commoventes, quia non reperiunt mentem, tanquam matricem, previis conſiderationibus, ac affectibus ordine naturæ præparatam. Ut verò hoc examen affectuum ritè inſtituamus, neceſſe eſt, ut ordinem naturalem affectuum rectè perſpectum habeamus: is ex Carteſio eſt ſequens.

Primus affectus eſt *Admiratio*, qua anima occupatur in attenta conſideratione objecti quod ipſi videtur rarum, ac extraordinarium. *Admiratio*, dum magnitudinem vel, parvitatem objecti conſiderat, parit *Exiſtimationem* vel *Contemptum* objecti. Dumque eam æſtimationem vel contemptum *ad nos ipſos* referimus, oritur *ſuperbia* vel *Humilitas*, *Generoſitas*, vel *Abjectio*. Dum verò eam æſtimationem vel contemptum ad *alias cauſas liberas* referimus, oritur *Veneratio*, vel *deſpectus*. Ac denique, quando prætar exiſtimationem aut contemptum rei conſideramus objectum, ut nobis bonum vel malum, oritur *amor* vel *odium*.

Secundus Affectus eſt Amor vel Odium. Ex amore naſcitur *benevolentia*, *deſiderium*, *cupiditas*, *amicitia*, *devotio*, *veneratio* com-

complacentia. Ex odio naſcuntur affectus oppoſiti.

Tertius affectus eſt Cupiditas, qua appetimus præſentiam boni abſentis, conſervationem boni præſentis, & abſentiam mali tam præſentis, quàm futuri. Ex cupiditate, dum acquiſitio boni apparet facilis aut difficilis, oritur *ſpes*, aut *metus*. Spes ſumma vocatur *ſecuritas*; metus extremus vocatur *deſperatio*. Quando ſpes aut metus fundatur in conſidratione aliorum hominum facilitatem aut difficultatem augentium, naſcitur *Zelotypia*, ſeu *æmulatio*. Atque ſic ſperamus, aut metuimus, dum eventus rei exſpectatæ nullo modo à nobis pendet: dum verò à nobis pendet, oritur ob dubium de electione mediorum *animi fluctuatio*, *animoſitas*, *audacia*, *puſillanimitas*, *conſternatio*, *morbus conſcientiæ*.

Quartus affectus eſt Lætitia, vel Triſtitia. Ex his naſcitur *irriſio*, erga homines dignos malo, quod illis illatum eſſe gaudemus; aut *invidia*, ſi alios bono, quod illis evenire triſtamur, indignos æſtimamus; aut *commiſeratio*, quando triſtamur de malo bonis illato. Quando cauſam boni vel mali in nobis ipſis ſpectamus, naſcitur *acquieſcentia*, vel *pœnitentia*. Quando bonum conſideramus ab aliis, ſed aliis præſtitum, naſcitur *favor*; ſi nobis præſtitum, *gratitudo*. Quando malum conſideramus, ut ab aliis, ſed aliis illatum, naſcitur *indignatio*, ſi nobis illatum, *ira*. bonum vel malum in nobis exiſtens, ut referrur ad opinionem hominum, parit *gloriam* vel *pudorem*.

Hucuſque Recenſita pertinent ad objectum vel mentem Authoris, quæ vocibus & ſtilo ſcribentis ſignificantur; quæque in diverſis Authoribus eadem materia ſcribentibus diverſa eſſe ſolent; nunc de reliquis elementis pergamus.

5. *Circa Voces* considerandum 1. An Author habeat verbotum *copiam*, ut eandem rem pluribus vocibus designare sciat? An habeat voces *significantes*, quæ rem & modum rei accurratè indicent? 3. An habeat *voces proprias*, quæ in sensu proprio rem significent? 4. An & quibus utatur vocibus rarioribus? 5. An & quibus utatur vocibus barbaris? 6. An & quibus utatur vocibus noviter à se primùm inventis? 7. An frequenter pro nomine specifico utatur nomine generico, aut individuali? v. g. si nominare volens *eloquentiam* utatur nomine *Artis*? 8. An frequenter loco definiti ponat definitionem v. g. loco *eloquentiæ* ponendo *Artem bene differendi*? 9. Quando eadem res pluribus vocibus exprimi potest, an utatur vocibus selectioribus? 10. An crebris utatur substantivis loco epithetorum. v. g. si nominare voluerit *virum prudentem* de *eximia viri prudentia* sermonem faciat; si vult loqui de *devotione fervida*, *devotionis fervorem* nominet? 11. An libenter plura substantiva, aut verba conglomeret. verb. grat. si dicat: *Nemini pietate, justitia fortitudine cessit*. Et quod talia conglomerare soleat, an tria, quatuor, vel quinque? 12. An libenter conglomeret plura synonima: v. g. si dicat. *Summa est dicendi facultas, copia, ac ubertas*. 13. An usus sit vocibus antiquis, quorum usus inveteravit? 14. An usus sit vocibus novis artium rituumque novorum usu susceptis? 15. An usus sit vocibus gravibus, ac à familiari usu remotis?

6. *In EPITHETIS* notandum 1. An crebris utatur epithetis? 2. An conglomeret plura epitheta 3. An conglomeret plura epitheta tantùm synonima? 4. An in epithetis frequenter utatur superlativo? 5. An, dum in epithetis utitur superlativo, utatur

forma

forma ſuperlativi ordinaria, an verò illum exprimat per adverbia augmentum indicantia, verb. gr. dum vult dicere; maximus; dicat: *valdè magnus; ſatis magnus. bene magnus*. 6. An epitheta ſint utilia vel non ad declarandam rem, an verò tantùm addantur ob numerum Orationis explendum verbi gratia ſi dicerem *alba nix*, neque enim hoc epithetum novum quid diceret, quod non intelligerem per ſolam vocem *nivis*? 7. An epithetis non tantùm utilitas inſit, ſed etiam ſpecialis vis? quod tunc fit, quando per epitheta indicantur eæ proprietates objecti, quarum conſideratio ſpecialiter intellectum convincit, aut affectum movet. 8. A quali proprietate, aut circumſtantia objecti ſua epitheta deſumere ſoleat? verb. gr. ſi quis frequentiſſimè, dum de Oratione loquitur, eam nominet *devotam*, vel *ſolatioſam*, facilè intelligo, hujus Authoris objectum attentionis præcipuæ eſſe *devotionem*, aut *ſolatium*. Undè autem epitheta deſumantur, patet ex his verſiculis.

Quis? quid? agens? patiens? quantum que?
ubi? qualia tempus?
Vel
Quis? quid? ubi? quibus auxiliis? cur? quomodo? quando?

Omne enim epithetum ſumitur vel à perſona, vel re, actione, paſſione, quantitate, loco, qualitate, tempore, cauſa efficiente, materia, forma, cauſa finali; & ſicut Authores ad diverſa attributa objecti ſuam attentionem applicare ſolent, ita etiã iiſdem rebus ſolent attribuere diverſa epitheta: aliqui Authores conſiderant objectũ ſub hac relatione, alii ſub alia: aut certè diſcõveniunt ſæpe Authores in cõplexo epithetorum, quod eidem rei hinc inde in ſuis libris attri-

attribuunt. 9. An Author habeat modum variandi epitheta per oppoſita & negationes v. g. loco epitheti *doctus* ponendo; *non indoctus*, *non ignarus*, *minimè rudis &c.* 10. An habeat epitheta tam ſignificantia, ut adæquent meritum objecti?

7. *Circa Phraſes.* Notandum 1. An nullos contineant ſollœciſmos contra leges Grammaticæ v. g. pro Conjunctivo ſumendo Indicativum, quod familiare eſt Scriptoribus ſæculi 13. 14. 15. dicunt enim v. g. *ſcribitur*, *quod fuit bellum* loco *fuerit*. Notetur autem, quales ſint ſollœciſmi Authori frequentes, & quàm frequenter? 2. An phraſes Author breves & adſtrictas, an verò longas amet? 3. An apparatum phraſium locupletem habeat? 4. An habeat phraſes Poetis magis, quàm aliis Scriptoribus uſitatiores? & quas? 4. An adhibeat phraſes rariores, aut ſelectiores? & quas? 5. An delectetur phraſibus grandioribus ac elatioribus, quod fit, ſi phraſis conſtet verbis grandioribus, aut rarioribus? An delectetur uſu frequenti phraſium rariorum, & quàm frequenti? 7. Quo loco, occaſione, opportunitate adhibere ſoleat phraſes? neque enim elegantia phraſium convenienter cuivis materiæ convenit. 8. An & qualem variationem phraſium amet? videlicet an per Syntaxin? v. g. *vir multæ eruditionis*; *magna eſt viri eruditio*; Vel per ſynonimorum ſubſtitutionem v. g. *præclarè eruditionis*; *eximiæ cognitionis*. Vel per appoſitionem adverbiorum, v. g. *vir per quam doctus*. Vel per comparationem, v. g. *haud quiſquam alius tam doctus*. Vel per appoſitionem ſubſtantivorum v. g. *in omnium artium diſciplina verſatus*. Vel per oppoſita & negationes v. g. *omnis ignorantiæ hoſtis*; *nullius non amator ſcientiæ*. 9. An Author ſimplici, an bimembri, aut tri-

trimembri phraſi delectetur? v. g. *vir omni eruditione conſpicuus, & ſcientia admirandus*. 10. Qualem Author varietatem habeat in æquipollentibus v. g. pro *omnis*, ponendo, *nemo non*, *haud ullus*, *qui non* &c. 11. Qualiter ſe Author habeat in varietate comparativorum, vel ſuperlativorum? v. g. ſi dicere velit: *Cicero Platone eloquentior*, dicat: *magis eloquens, quàm Plato*; *ſuperat Platonem eloquentia* &c. Vel loco hujus: *Cicero eloquentiſſimus*, dicat: *Nihil illo eloquentius*; *nemo tam eloquens*, *nemo eloquentior*, *vir maximè omnium eloquens* &c. 12. Qualiter ſe habeat in variatione gerundiorum; participiorum, & futuri? verb. grat. ſi vult dicere: *venit, ut doceret litteras*; dicat: *venit doctum litteras*, *ad docendum litteras*, *ad docendas litteras*, *gratia docendi litteras*, *gratia docendarum litterarum*, *venit docere litteras*, *venit docturus litteras*. 13. Quas phraſium quaſi figuras amet? tales ſunt quædam formulæ interrogandi, concedendi, imperandi, optandi, corrigendi, opponendi, hæſitandi, &c. v. g. Ecquid *hoc dicto elegantius? vide*, *quæ in verbis elegantia*. Cave, *hic quidquam inelegans exiſtimes*. Eſto, *neglecta quandoque illi fluat Oratio*, at nunquam *barbara*. Quàm cuperem, *hanc omnes æſtimarent elegantiam*. Faciant ſuperi, *ut hanc omnes aſſequantur elegantiam*. Pura *illi*, imò *exquiſitè elegans fluit Oratio*. Si profuſior *quandoque ſermo*, certè non, inelegans. 14. Quando idem verbum diverſos caſus admittit, in quo caſu Author illud frequentiùs uſurpare ſoleat? ſic dicitur *abhorreo* ab hac re, & iſtam rem. *Abſtineo* illo, ab illo: me ab illo. *Aquieſco* huic rei, & hac in re. *Accuſo* te furti, de furto, tuum furtum. *Adeo* te, & ad te. *Adhortor* te ad virtutem, & de virtute. *Aſpergo* tibi la-

bem,

beni, & labe te. *Antecedo*, *anteeo*, *anteſto* te, & tibi. Attendo, te & tibi. *Capax* multorum, ad multa. *Conducit* huic rei, & ad hanc rem. *Conſentio* tibi tecum &c. talia ſunt plurima, quæ in diverſis caſibus exprimi poſſunt. 15. Quando eadem veritas diverſis phraſibus ſignificari poteſt, aut ſynonimis, aut æquivalentibus, quanam Author familiariùs uti ſoleat? 16. An non utatur phraſibus petitis ex vernacula lingua, aut quacunque alia non latina? & quænam ſint eæ Authoris phraſes? tales phraſes ſunt; *bene* ſedere, pro *commodè*. *Bona* vel *mala auras* pro *ſereno* aut *nubilo cœlo*. *Cor non habet*, ut faciat; pro animus illi deeſt; *ex corde amare*, pro, amicè complecti. *Facere conſcientiam*, pro, ducere religioni; *vivere in pace*, pro, tranquillè &c. tales idiotiſmos plures Germanicos exhibet Buchlerus, & Manſenius. 17. An Author inſiſtat idiotiſmis Latinæ linguæ, dum fiet occaſio? & quibus? tales ſunt verb. gratia *non ſum ferendo*, *fac valeas*, *nunc temporis*, *principi à conſiliis*, *male audit* &c. 18. An Author utatur idiotiſmis linguæ Græcæ? 1. Per Enallagen in nominibus adjectiva neutra pro ſubſtantivis adhibendo verb. gr. *varium & mutabile ſemper fœmina*; *triſte lupus ſtabulis*. 2. Uſurpando adjectiva neutra loco adverbiorum. verb. gr. *dirum minatur*, *immane infremuit*. 3. Adjectiva per modum ſubſtantivi ſumpta conjungendo cum genitivo verb. gr. *lubricum juventæ*, *incerta viarum*, *opaca ſilvarum* &c. 4. Infinitivum adhibendo pro ſubſtantivo v. gr. *Gaudet aſpici*, *amat videri*, *cereus in vitium flecti*, *audax perpeti*. 5. in quibuſdam verbis abſtinendi, appetendi &c. genitivo more Græcorum uti. verb. gr. *deſine mollium querelarum*, *abſtine irarum*. Vel dativo uti verb. gr. *Solus tibi certet Amyntas*. 6. Per

Elli-

Ellipſin aliquid reticendo v.g. *opinio falſa occupavit*, videlicet, animos. *Jam veuti poſuere* ſubintellige; vim ſuam. 19. Qualem Author in phraſibus ſuis conſtructionis ordinem ſervet? 1. A ſuperlativis ac comparativis incipiat & claudat periodum; verb. g. *Illuſtrius nihil eſt virtute*: an in decurſu ſermonis ſuperlativa & comparativa ſubſtantivis poſtponat? 2. An nomina propria in principio ſermonis ab initio ponat, niſi agatur de laude vel vituperio, ubi poſtponi ſolent. v. g. *ſummum eloquentiæ decus Cicero.* 3. An verba ad finem conſtructionis ponere ſoleat, niſi fortè ad finem nomina polyſyllaba occurrant, quibus verba ultimum locum cedere ſolent verb. gr. *Ornat Ciceronem decus eloquentiæ.* 4. An τὸ omnis, nullus, nemo &c. ſuis ſubſtantivis poſtponantur, aut claudant omnino ſententiam. 5. An inter ſubſtantivum & adjectivum interponatur verbum, aut præpoſitio? verb. gratia *magno delectat opere. Maximas ad res. Ornatiſſimo in loco.* 6. An particulas comparativas, ac relativas inter conſonantia aut oppoſita immediatè conjungat verb. gratia *doctus magis, quàm pius*; an verò ſic? *magis doctus, quàm pius.* Vel *erat illi exoſus, ita, ut etiam mortem ſtrueret*: Vel ſic? erat illi ita exoſus? 7. An adjectivum præcedat. ſubſtantivum, niſi hoc foret polyſyllabum v. gr. *diſſimilitudo inter Oratores bonos magnos eſt.* 8. Qualem locum Author tribuat in conſtructione nominativo, genitivo, dativo, accuſativo, ablativo? verb. gr. *re intellecta venit.* ubi ablativus abſolutè poſitus rectè in principio ponitur. Vel *Ciceroni qui ſe tradunt, optimum elegerunt.* Vel. *Amicorum officia implorat.* 9. An particulas relativas, *qui, quę, quod*, præponat, verb. gr. *quas mihi dediſti litteras, fuerunt ſuaviſſimæ.*

20. An

20. An Conjunctivo tempore utatur loco indicativi, vel ſine particula conjunctiva, ut? v.g. *hoc velim exiſtimes; rem non ingratam feceris. Cum tuis, precor, amicis expendas.* Idem eſt de Imperativo v.g. *malo, ipſe venias. multos evolavat libros, neceſſe eſt.* 21. An utatur particulis duplicatis verb. gr. *utut, quoquo, ubi ubi, quantus quantus* &c. 22. An fortè Author in his phraſium proprietatibus nullam uniformem ac conſtantem ſervet legem?

8. *Circa particulas* notandum 1. an ſemper iiſdem Author utatur particulis copulativis, disjunctivis, collectivis &c. an verò variet. v.g. ſumendo nunc &, aliàs, *atque, ac, que.* 9. An conglomeret ſubſtantiva, verba, vel epitheta abſque particula copulativa. *Et* v.g. vincit *pietate, fortitudine, juſtitia.* Vel. *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus Imperat*, ubi integræ propoſitiones ſine particula copulativa conjunguntur. 3. An ſoleat repetere particulam copulativam v.g. *Petrum & miror & diligo.* 4. An hanc ingeminationem particulæ copulativæ ſoleat adhibere otiosè, an verò utiliter, dum videlicet ad ſingula verba ſpecialem attentionem excitare intendit. v.g. *Miramur, Ciceronem & eloquentia, & ſcientia, & omni virtute excellere.* 5. An particulis ſuam ſtrictam ſignificandi vim tribuat? ſic in rigore τὸ *apud* ſignificat locum, *penes* verò poteſtatem. v.g. *apud me* eſt liber etiam alienus: *penes me* eſt liber etiam proprius. *Ergo & igitur* brevioribus ſerviunt concluſionibus. *Quare, quapropter, quamobrem* majoribus. *Hic & iſte* proximos adſtantes, *ille* remotos, *is* plane abſentes plerumque refert. 6. Quando idem ſenſus diverſus diverſis particulis reddi poteſt, quibus Author uti ſoleat? verb. gr. *ex meo* ſolvam. *De meo* non feci, *quò* te affligerem,

rem, *ideo ut*. *Extra* ſacerdotes nemo adfuit, *præter*. Boni *juxta* malique affliguntur. *Boni ſimul ac mali*. Quid *omnino* eſt, quod moretur. *Tandem*, *prorſus*. Per invidiam periit, *propter*. *Propè* erat, ut aſſentirer. *Penè* aſſentiebar. *Quin* ipſe adero; imò hac *ſuper* re ſcribam. *de re*. Plura ſimilia reperies in Turſelino, ſpeciali libello de particulis ſcripto.

8. *Circa figuras* obſervandum 1. quibus frequentiùs uti ſoleat? hæ autem ſunt 1. Prolepſis, ſeu anticipatio, quando totum priùs dicitur, ac dein per partes deſcribitur. v.g. *radix omnium malorum cupiditas*, *hic injuſtitia*, *illic homicidii &c.* 2. Ζεῦγμα, ſeu conjunctio, dum uno verbo plures ſententiæ connectuntur v.g. *vicit pudorem libido*, *timorem audacia*, *rationem amentia*. 3. Hypozeuſis, ſeu ſubjunctio, dum diverſis rebus ſingula verba attribuuntur. v.gr. *violentaque pectora Turni edocet*, *humanis*, *quæ ſit fiducia rebus*, *admonet*. 4. Syllepſis, ſeu conceptio. Quando ſingularis dictio plurali verbo redditur, vel econtrà; v.g. *ſunt nobis mitia poma*, *caſtaneæ molles*, & *preſſi copia* lactis. Et. *Hic illius arma*, *hic currus fuit*. 5. Aſyndeton, ſeu diſſolutum, ubi omittitur inter propoſitiones conjunctio v.gr. *ferte citi ferrum*, *date tela*, *impellite remos*. Idem eſt de ſubſtantivis diſſolutè poſitis. 6. *Polyſyndeton* verb.gr. Athamaſque, Thoaſque, Pelideſque Neoptolemus, primuſque Machaon. 7. Reduplicatio, v.g. *ſit Tityrus Orpheus*, *Orpheus in ſylvis*. 8. Repetitio vel verbi, vel ſubſtantivi, vel pronominis. v.g. *creſcit* amor nummi, quantum ipſa pecunia *creſcit*. *Nate* meæ vires, mea magna potentia ſolus, *Nate* patris ſummi, qui tela typhoea temnis. *Meme*, adſum qui feci, *in me* convertite ferrum. 9. Scheſis onomaton. quando ſingulis ſubſtantivis ſua attri-

attribuuntur epitheta, verb. gr. *Marsa manus, peligna choros, festina virum vis.* 10. Similiter cadentia ver. gr. eos reduci, quàm relinqui, temni quàm deseri malui. 11. Similiter terminantia. verb. gratia mœrentes, flentes, lacrymantes, ac miserantes. 12. Gradatio verb. gr. *industria virtutem parit, virtus gloriam, gloria invidiam.* 13. Interrogatio. 14. Correctio. 15. Exclamatio. 16. Antithesis, seu oppositio. 17. Apostrophe. 18. Præteritio. 19. Prosopopœja, seu fictæ personæ inductio. 20. Præoccupatio. Hæ figuræ communiores sunt. Plures reperies in iis, qui de Arte scribunt Rhetorica. 2. Observandum, quam crebrò Author hac vel illa figura utatur? 3. Quam adhibeat variationem figurarum? 4. An otiosas figuras adhibeat? an verò cum vi? 5. An figuras accommodet exigentiæ materiæ? & in quibus occasionibus eas adhibeat? 6. An calidas, vibrantesque præ cæteris figuras amet? 7. An figuras verbis exornet? an verò nudè eas proponat? 8. An figuras plures, aut easdem quandoque conglomeret v. g. oppositas, seu antitheses? 9. An per Antitheses supra exspectationem hominum vehementer ascendat? 10. An suis figuris vehementer attentionem excitet, memoriam figat, aut voluntatem moveat, & intellectum convincat?

9. *Circa Tropos* advertendum 1. Quos Author communiùs adhibeat? sunt autem communiores 1. Metaphora, seu vocis ab una significatione ad aliam translatio ob Analogiam rerum. verb. gratia classique immittit *habenas*. *Petra erat* Christus. 2. Metathesis, sumendo loco subsequentium antecedentia, vel econtrà. verb. gratia post aliquot mea regna videns mirabor *aristas*. 3. Metonymia, sumendo contentum pro continente; vel econverso. Vel inventorem pro re inventa.

venta. 4. Antonomasia, per nomen generale per excellentiam intelligendo rem singularem v. gr. per *Philosophum* Aristotelem. 5. Synecdoche sumendo partem pro toto. 6. Periphrasis, seu circumscriptio. 7. Hyperbole, seu mentiens superjectio. 9. Transpositio v. gr. Transtra per & remos. 10. Parentheses. 11. Allegoria. 12. Epexegesis, seu, prioris dicti expositio v. g. *Tolle fuga Turnum, atque instantibus eripe fatis.* 13. Emphasis, quando plus significatur, quàm verba petunt. Plures Troporum modos recensent, qui de his agunt: 2. An crebriùs utatur tropis? 3. An iisdem, an diversis? An obscuris, vel claris? 5. An elatis, non statim obviis? 6. An remotè quæsitis? 7. An audacibus? 8. An habeant ii tropi vim specialem significandi?

10 *Circa similitudines.* 1. A quibus rebus communiter sumat similitudinem? 2. An illæ res sint illustres, aut abjectæ insigniter? 3. An sint similitudines propinquæ, & accuratæ? 4. An habeant vim probandi? an verò tantùm sensum animi explicandi? 5. An sint frequentes? 6. An sint uno tantùm verbo, aut brevibus comprehensæ? aut longiùs deductæ.

11. *Circa exempla.* 1. Ex quibus fontibus, vel Authoribus, vel documentis desumpta? 2. An fide digna, aut certè examine? 3. Circa quas actiones, aut personas illa plerumque versentur? 4. An sint crebra? 5. An brevibus terminis concepta? 6. An stilo elatiore edita.

12. *Circa sententias aut Proverbia.* 1. An sint frequentes? 2. An sint conglobatæ? 3. An fortè Author formet integrum corpus sententiarum, ut Seneca? quo casu advertendum, quot sententiis communiter Author sermonem evolvat? 4. An sint graves sententiæ? 5. An per modum epiphonematis communiter

clau-

claudant ſermonem; aut econtrà illum inchoent? 6. Circa quæ objecta communiter verſentur? 7. An illæ ſententiæ ſint ex aliis authoribus deſumptæ? & ex quibus? An verò plurimùm ab Authore formatæ. 8. An non frequenter plures ſententiæ in eundem ſenſum recidant?

13. *Circa Eruditionem.* 1. Qualem Author monſtret in linguis? & quibus? 2. Qualem in antiquitatibus? & quibus? 3. In Scientiis & artibus? & quibus? 4. In hiſtoriis? & quibus? 5. In negotiis humanis, & vita civili? 6. An illa eruditio ſit magna? 7. An frequenter occurrat? 8. An Author eruditionem fusè expandat, ac explicet? 9. An Author tantùm quandoque ad ſimilia eruditionis objecta alludat? 10. An eruditionem opportuno loco, ita poſcente materia, afferat? an verò ſit affectata?

14. *Circa acutè dicta* 1. An ſint frequentia? 2. An ſint denſa ac conglobata? 3. An conſiſtant in luſu verborum? aut rerum? 4. An ſint obſcura? 5. An retegant attributum rei attentione ac memoria dignum? 7. An ſint frigida? eo quòd vel non dicant aliquid novi & inexſpectati, vel, quòd id non ſit attentione dignum; vel non habeat veriſimilitudinem. 7. Circa quæ objecta? aut quas objecti proprietates frequentiùs verſentur? aut circa quæ verba? 8. An ſint nervoſa? 9. An adhibeantur pro facto illuſtri animo deſigendo, an verò ſerpant circa humilia objecta?

15. *Circa formulas connectendi &c.* 1. Quales habeat: tales ſunt plurimæ. verb. gr. *itaque, igitur, ſed verò, quia verò, &, atque &c.* 2. An ſoleat tranſire ab una veritate ad aliam abſque particulis connexivis, ſervata ſola connexione veritatum inter ſe, 3. An rem in multas, aut paucas, & quot ſoleat

divi-

dividere? 4. An dividat uſque in partes minutiſſimas? 5. An ſequatur diviſionem Methodicam, & ſcientificam? an naturalem? an nullam? 6. An frequentes faciat digreſſiones? 7. An longas? 8. Circa quæ objecta? 9. An faciat propoſitionem? 10. An claram.

16. *Circa formulas laudandi &c.* 1. An convenienti utatur ad ſubjectam materiam ſtilo, in laudibus amplo, in ſuadendo conciſo, in reprehendendo concitato? &c. 2. Ad quas proprietates & attributa objecti Author potiſſimùm reſpiciat, laudando, reprehendendo?

17. *Circa Ordinem vocum* 1. An minus præcedat majus in aſcendendo. 2. An ea, quæ diſtinctam vim continent, ipſa ſui poſitione diſtinguant? 3. An ea, quæ ad invicem referuntur, proximè, quàm fieri poteſt, juxta ſe invicem collocentur? 4. An Author diſperſione partium referat modulos Poeticos, & fragmenta verſuum? 5. An id frequens ſit? an nunquam? an rarò?

18. *Circa Ordinem partium materiæ.* 1. An præcipua attentionis objecta diſtinctè collocentur, ut partes primariæ ordinati ædificii? 2. An una pars ſua ſponte attentionem ac conſiderationem noſtram ad reliquas partes, ut quaſi eas exigat, ſicut ſit in ordinato ædificio. 3. An attentio perpetua ad partes præcipuas, & ad relationem earum ad invicem non turbetur aliis objectis incidentibus, attentionem avocantibus? 4. Qualem Author amet ordinem argumentorum? an incipiat à narratione? à definitione? ab authoritate &c. 5. Quo loco inſpergere ſoleat affectus? an in fine? an data hinc inde opportunitate. 6. An Author nullum habeat ordinem materiæ?

19. *Circa Junctturam partium Orationis.*

1. An

1. An Author inexſpectatè abrumpat ſenſum, quem materia provehi ulteriùs cupe/et ? 2. An etiam numerus periodi ſit ineleganter fractus, ac incompletus? 3. An utatur verbis terminantibus, & incipientibus, quæ difficulter concurrunt, verb. gr. ob colliſas plures vocales? 4. An ſic plures conſonantes conjungat, ut difficilis ſint pronuntiationis. 5. An multas incidenter propoſitiones immiſceat?

20. *Circa concinnitatem* partium inter ſe 1. An Author inæquali prorſus numero procedat, nunc impetu proſiliendo, nunc ſubſiſtendo, nunc rurſum gradiendo? an verò æquali ſtilo curſum emetiatur? 2. An ſic propoſitiones numeris ſuis conſonent, ut ſimilitudine quadam metrum aliquod æmulentur? 3. An periodi brevitate aut longitudine notabiliter differant? & modò breves, modò longæ ſibi inæqualiter permiſceantur?

21.22. De *Numeris* & *Metro* agam Cap. ſequente.

23.24. *Circa Harmoniam* partium inter ſe obſervandum 1. An ſtilus unius partis conveniat cum ſtilo alterius? 2. An materia omnium partium collimet ad unum ſcopum? 3. An partes omnes ſe invicem exigant, aut juvent ad finem principalem? 4. An affectus hinc inde ſuſcitati non ſe invicem deſtruant, aut turbent, ſed ſe invicem juvent ad finem principalem? 5. An una pars non ſit immaniter longior altera? 6. An totum corpus doctrinæ brevi aliquo ſyſtemate exhiberi poſſit? & quo? 7. An omnium partium poſſit reddi ratio, cur hoc loco poſitæ, hoc phraſi exornatæ his figuris, ac formulis comprehenſæ, ac metro concluſæ ſint?

25.26 27.28. non egent alia obſervatione, de 29.30.31. agam C. 5.

CAP.

CAP. IV.

Quomodo Authores etiam ſoluta Oratione ſcribentes in Numeris ac Metro differant, nova Regula explicatur.

ORatio ligata & reſoluta in hoc differunt, quòd hæc nulla determinata ac conſtanti menſura verborum evolvatur; illa verò ad eam menſuram alligetur. Itaque propriè loquendo Oratio ſoluta Metrum nullum habet, nec Metrica vocari poteſt; habere tamen eam aliquam ſimilitudinem Metri, ac aliquando ad Hexametra, aliàs ad Pentametra, ad Jambos, aut Saphica &c. quàm proximè accedere, ſicque infinitam Scriptorum varietatem inducere, præſenti Capitulo oſtendam.

Dico itaque, quòd ſingulæ propoſitiones ſolutæ Orationis totidem verſus, periodi verò carmen aut Heroicum, aut Elegiacum, aut Saphichum, aut Jambicum, aut aliud quodvis Carminis genus æmulentur: ſimilitudinem deſumo à pedibus initialibus, finalibus, & in medio prædominantibus, ſeu frequentiùs occurrentibus: pedum verò ſimilitudinem deſumo non ex regulis Proſodiæ, ſed ex auditu. In propoſitionibus numero verba, in periodis numero propoſitiones tanquam totidem verſus; in integro Authoris opere numero periodos; ſicque ex collatione verſuum, & carminum in toto opere dominantium determino Harmoniæ modulum in animo Authoris dominantem. Me rectè procedere ex ſequentibus propoſitionibus manifeſtum fiet.

PROPOSITIO 1. *Ariſtoles, Cicero,*

„ omnibus ſonis, atque vocibus, quod ha-
„ bet quaſdam impreſſiones, & quod me-
„ tiri poſſumus intervallis æqualibus, re-
„ ctè genus hoc numerorum, dummodo ne
„ continuum ſit, in Orationis laude po-
„ netur. nam ſi rudis putanda eſt illa ſinè
„ intervallis loquacitas perennis, quid eſt
„ cauſæ, cur repudietur, niſi quia homi-
„ num aures vocem natura modulantur ip-
„ ſæ? quod fieri, niſi ineſt numerus, non
„ poteſt. Numerus autem in continuatio-
„ ne nullus eſt: diſtinctio eſt æqualium &
„ ſæpè variorum intervallorum percuſſo
„ numerum conficit ═ num. 30. hanc
„ igitur ad legem formanda erit Oratio.
„ Neque vos Pœan, aut Herous ille con-
„ turbet, ipſi occurrent Orationi ſeque of-
„ ferent non vocati. Conſuetudo modò il-
„ la ſit ſcribendi & dicendi, ut ſenten-
„ tiæ verbis finiantur, eorumque verbo-
„ rum junctio naſcatur à proceris nume-
„ ris, maximè Heroo: & Pœane priore,
„ aut Cretico, ſed variè ac diſtinctè con-
„ cidat, notatur enim ſimilitudo maximè
„ in quieſcendo; & ſi primi, & poſtremi
„ illi pedes ſunt hac ratione ſervati, me-
„ dii poſſunt latere, modò ne periodus
„ ipſe verborum ſit aut brevior, quàm au-
„ res exſpectent, aut longior, quàm vi-
„ res & anima patiatur. Clauſulas autem
„ diligentiùs ſervandas arbitror, quàm ſu-
„ periora, quod in his maximè perfectio
„ judicatur; nam verſus æquè prima, &
„ media, & extrema pars attenditur, in
„ Oratione autem prima pauci cernunt,
„ poſtrema plerique. Duo autem, aut tres
„ ſunt ferè extremi ſervandi & notandi
„ pedes, quos aut Chorios, aut Heroos,
„ aut alternos eſſe oportebit, aut in pœa-
„ ne illo poſteriore. Illud autem ne quis

„ ad-

„ admiretur, quonam modo hæc vulgus
„ imperitorum in audiendo notet? cùm
„ in omni genere, tum in hoc ipſo ma-
„ gna quædam eſt vis, incredibiliſque na-
„ turæ; omnes enim tacito quodam ſinè
„ arte, quæ ſunt recta in artibus dijudi-
„ cant. Nihil eſt autem tam cognatum
„ mentibus noſtris, ac numeri, & voces,
„ quibus & incitamur, & incendimur, &
„ lenimur, & langueſcimus, & hilarita-
„ tem & triſtitiam deducimur. Hucuſque Cicero. Ex quo clarum eſt, eum attendiſſe 1. ad pedes initiorum & clauſularum. 2. Ad longitudinem periodorum, earundemque numeros. 3. Ad intervalla. 4. Ad impreſſiones. 5. Ad ſimilitudinem conſtructionum cum verſibus, quam habent ex clauſulis. 6. Ad pedes in Oratione dominantes, ſeu frequentius occurrentes. 7. Ad menſuram pedum, quatenus æſtimatur ex auditu, ac communi aurum judicio.

Quintilianus L. 9. Inſtit. C. 4. ſic ait: *Omnis ſtructura, ac dimenſio & copulatio vocum conſtat aut numero, ſeu Rhytmis, aut Metro. Quod etiamſi utrumque conſtet pedibus, habet tamen non exiguam differentiam; nam Rhytmi, id eſt, numeri ſpatio temporum conſtant; Metra etiam Ordine; ideoque alterum eſſe quantitatis videtur, alterum qualitatis. Rhytmus autem par eſt, ut dactylus; unam enim ſyllabam parem brevibus habet. Longam enim ſyllabam eſſe duorum temporum, brevem unius, etiam pueri ſciunt. Aut eſt Rhytmus ſeſquiplex, ut Paeon, cujus vis eſt ex longa & tribus brevibus, tria autem ad duo relata ſeſquiplum faciunt. Sunt & illa deſcrimina, quod Rhytmis libera ſpatia, metris finita. Inania etiam tempora Rhytmi facilius accipient, quanquam hæc & in metris acci-*

dunt. Major tamen illic licentia eſt; ubi tempora etiam animo metiuntur, & pedum & digitorum ictu intervalla ſignant quibuſdam notis, atque æſtimant, quot brevem ſpatium illud habeat, inde τετράσημον, πεντάσημον, *deinceps longiores fiunt percuſſiones. Nam* σημεῖον *tempus eſt unum. Et metrici quidem pedes adeò reperiuntur in Oratione, ut in ea frequenter non ſentientibus nobis omnium generum excidat verſus. Et contrà nihil eſt proſa ſcriptum, quod non redigi poſſit in quædam verſiculorum genera.* Hucuſque Quintilianus, ex quo patet, ſyllabarum longarum aut brevium quantitatem per inſtantia temporis definiri, per quæ lingua in earum pronuntiatione hæret.

PROPOSITIO 2. *Quantitas ſyllabarum in Oratione ſoluta ex mora pronuntiationis deſumi debet, non ex regulis proſodiæ.* Ratio eſt, quia quantitas ſyllabarum in Oratione ſoluta æſtimatur ex judicio aurium, quæ nihil aliud diſcernere poſſunt, quàm moram temporis in pronuntiatione cuivis ſyllabæ competentem.

PROPOSITIO 3. Syllabarum poſſunt aliquæ dici *Breves*, aliquæ *Mediæ*, aliæ *Longæ*. In Brevibus poteſt intelligi quoad moram pronuntiationis *unum inſtans* temporis, in *Mediis* poſſunt intelligi *duo*, in *Longis tria inſtantia* temporis. Breves ſyllabas denoto ſigno *v.* Medias ſigno nullo o longas ſigno — probatio dependet ab experientia aurium. nam dum ſumo quamvis obviam propoſitionem v. g. hanc:

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
In principio erat verbum.

Sen-

Sentio tertiam ſyllabam longiorem, quartam verò & quintam breviorem in ore moram trahere, quàm ſecundam. Inter 2. 7. 9. quoad moram temporis non ſentio diſcrimen, ſaltem magnum, & ſpeciali attentione dignum. Cùm itaque detur ſyllaba longior & brevior alia quadam tertia: neceſſe eſt, triplicis generis aç moræ ſyllabas reperiri.

PROPOSITIO 3. Syllabæ longæ ſunt 1. *omnes antepenultimæ, quando penultima non eſt pronuntiatione longa.* v. g. Dōminus, inſpicite, imprīmitùr &c. habent antepenultimam judicio aurium longam, quamvis ſecundùm proſodiam breves eſſent. Ita monſtrat experientia. 2. *Omnes initiales in biſyllabis.* v. gr. ĕrat hōmo mīſſus à Dēo,

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

---

cui nōmen ĕrat Joannes. Conſtat enim ab

10. 11. 12. 13. 14. 15 16. 17.

---

experientia, in hoc exemplo 1. 3. 5. 8. 11. 13. trahere in ore ferè eandem moram temporis; conſtat etiam, 1. 3. 8. 11. 13. longiorem trahere moram, quàm 2. 4. 9. 12. ac denique conſtat, 2. 4. 9. 12. longiorem moram trahere, quàm 6. 7. 14. 15. neceſſe eſt igitur, initiales ſyllabas 1. 3. 5. 8. 11. 13. pertinere ad longas, utpote quæ adhuc duo breviora ſyllabarum ſub ſe contineant. 3. omnes initiales in monoſyllabis, triſyllabis, quadriſyllabis, quinqueſyllabis, niſi immediatè ſequatur pronuntiatione longa. v. g. Sēd væ

2 2

---

vōbis Phārilæi, qui dēcimātis ōmne ōlus, &

3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18

præteritis judicium Dei . In hoc exemplo
19 20 21 22 23 24 25 26 27 28

---

constat ab experientia Syllabam breviſſimam eſſe 25. hac ſyllaba longiorem eſſe 23. & hac iterùm longiorem eſſe 24. huic verò quoad moram pronuntiationis admodum ſimiles eſſe ſyllabas initiales 1. 3. 5. 10. 14. 16. 19. 27.

PROPOSITIO 4. Syllabæ breves ſunt 1. ultimę & penultimę in omnibus triſyllabis, quadriſyllabis, & quinqueſyllabis, in quibus antepenultima longa eſt. v.g. vos ēſtis Filii Abrā-
1 2 3 4 5 6 7 8

---

hæ. Vel hoc. Moecēnas ā ăvīs ēdĭtĕ re-
9. 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

---

gibŭs, ō & præsīdium. In primo exem-
11 12 13 14 15 16 17 18.

---

plo clarum eſt ſyllabam 2. 4. 7. longiorem moram trahere quàm 1. 3. & has longiorem, quàm 5. & 8. his verò admodum quoad moram ſimiles eſſe 6. & 9. Itaque & duæ ultimæ ſyllabæ breves erunt. Eadem ratio eſt in altero exemplo. 2. Duæ ſyllabæ qualeſcunque inter duas longas interjacentes breves ſunt. verb. gr. Væ vōbis
1 2 3

---

lēgīspĕrītis, qūi tulīſtis clāvĕm ſcĭēntĭæ.
4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18

---

in hoc exemplo, clarum eſt, ſyllabam
5. 6.

5. 6. 14. 15. breviorem moram trahere quàm 1. 3. 10. 12. & has breviorem, quàm 2. 4. 7. 11. 13. itaque clarum est, syllabas 5. 14. breves esse. Eadem est ratio in omni alio consimili exemplo. v.g. stūltĕ hăc nōcte mōriēris.

1 2 3 4 5 6 7 8 9.

Ubi iterum syllaba 3. brevis est. vel sic. Jūstŭm ĕst Dēŏ. cŏmmittĕrĕ ōmnĭă.

PROPOSITIO 5. Syllabæ mediæ sunt 1. o *omnes finales*. v.g. Dīlĭges Dōmĭnŭm Dēum

1 2 3 4 5 6 7 8

---

o
tūum. Syllaba 10. habet breviorem se, vide-
9 10.

---

licet 2. 5. & longiorem se, videlicet 1. 4. 7. 9 itaque est media. 2. *Omnes aliæ nec breves, nec longæ.*

PROPOSITIO 6. *Ad Hexametrum referri debent propositiones, quæ habent sequentes exitus.*

— ∪ ∪ o — ∪ ∪ — o
o — o — ∪ ∪ — o
o --- ∪ ∪ — ∪ ∪ — o
--- o — ∪ ∪ — o
— ∪ ∪ — o

Tales propositiones sunt sequentes. o

1. Negligere pecuniam māxĭmŭm intēr-
o
dŭm ĕst lūcrum.

o — — ∪ ∪ —

2. Phariſæi autem conſtanter contradice-
o
bant.

o

3. Ut fert proverbium, ex frūctŭ cŏgnō-
o
ſcĭtŭr ārbor.

o

4. Judæi Chriſtum cōndemnābŭnt ād
o
mōrtem.

o

5. Multi ſunt vocati, pauci vērŏ ĕlēctī.

PROPOSITIO 7. ad pentametrum referri debeat propoſitiones, quæ habent ſequentes exitus.

1. —— ∪∪ —— ∪∪ o
2. —— ∪∪ —— o —— o
3. —— o —— o —— ∪∪
4. —— ∪∪ o —— ∪∪
5. o —— o —— o —— o

1. Felix improbitas optimōrŭm călāmĭtās
o
eſt. o o

2. Eſt res ſolliciti plēnă tĭmōris āmor.

— ∪ — o — ∪∪

3. Jam tempus luſtri tranſit in alterius.

— ∪∪ o — ∪∪

4. Quidquid & in tota naſcitur anticyra.

∪ — o — o —

5. An crimen, cœpi quod miſer eſſe vo-
o
cas.

PRO-

PROPOSITIO 8. Ad Sapphicum carmen referri debent propositiones circiter hendecasyllabæ, seu pentametræ, sic dictæ ab undecim syllabis, & quinque pedibus, quæ tamen sequentes habeant conditiones; 1. Ut plures propositiones consimiles se invicem consequantur. 2. Ut aliquæ incipiant à dactylo. 3. Ut claudantur terminatione hexametri omnes 4. Ut omnes propositiones habeant exitum talem —— ∪ —— ∪ —— ∪. In exemplo id manifestum fiet.

-I ∪∪ -- o o -- o -- o

Crescit indulgens sibi dirus hydrops.

o -- o -- o -- o - o -- o

Nec sitim pellit nisi causa morbi,

-- ∪∪ -- o -- o -- o -- o

Fugerit venis et aquosus albo

-- ∪∪ -- o

corpore languor

PROPOSITIO 9. *Ad Phalecium carmen accedunt propositiones pariter hendecasillabæ, propè ac pentamentræ, quæ circa medium habent dactylum, ac terminationem* o —— o —— o ut

-- o o -- ∪∪ o -- o -- o

Vitam quæ faciunt beatiorem.

PROPOSITIO 10. Ad Asclepiadeum carmen accedunt propositiones circiter duodecasyllabæ, ac tessarametræ communiter aut pentametræ, quæ in medio ac fine dactylum habent. v. g.

o — o ∪∪ — ∪∪ — ∪∪

Mecœnas atavis edite regibus. Vel:

o — o — ∪∪ o — o — ∪∪

Inventor rutuli dux bone luminis.

PROPOSITIO 11. *Ad Gliconicum carmen accedunt propositiones circiter tetrametræ vel tessarametræ, octosyllabæ, quæ habent terminationes sequentes* — — ∪ — — ∪∪ vel — — o — — o — — o ∨

— o — o — — o

Sic te diva potens Cypri.

PROPOSITIO 12. Ad Archilochium carmen accedunt propositiones circiter heptametræ syllabarum propè 17. quæ ab initio amant dactylos, & in medio, terminationem autem hanc — o — o — o. v. g.

— ∪ o — o — o — o — o — o —

Solvitur acris hyems grata vice veris et

o — o

Favoni.

PROPOSITIO 13. Ad Jambicum carmen accedunt propositiones tetrametræ, tessarametræ, pentametræ, quæ præcisè in fine, aut etiam ab initio dactylum habent. v. g.

— ∪ ∪ — o — ∪ ∪

Veni creator spiritus.

o — o — o — ∪∪

Vel. Amice propugnacula.

— ∪ ∪ — o — o — o — ∪∪

Vel. Ibis liburnis inter alta navium.

PRO-

PROPOSITIO 14. Ad Sœazonicum carmen accedunt propoſitiones circiter pentametræ quæ in fine terminationem habent ——o. de reliquo Jambicæ. v. g.

– – o – – o o – – – o – – ∪ ∪ – – o
Ubi Troja nunc eſt? conflagravit exciſa,
– ∩ ∪ – – o – – o – ∪ ∪ – ∪
Ubi Chorœbus, nobiliſque Caſandra,
o – – ∪ ∪ – – ∪ ∪ – – o – –
Panthuſque, & Hector, & Paris ca-
– – o
pillatus,
– – o – – o – – o – – ∪ ∪ – – o
Humeriſque gnari ſublevatus Anchiſes.

PROPOSITIO 15. Ad Horatianum carmen accedunt propoſitiones circiter tetrametræ teſſarametræ, aut pentametræ, quarum aliquæ terminentur in —— ∪ ∪ aliæ in—— ∪∪ – – o. aliæ in o – – o v. g.

– – ∪ ∪ – – ∪ ∪ – – o – – ∪ ∪
Vides ut alta ſtet nive candidum
o – o – – ∪ o – ∪∪ – o
Soracte, nec jam ſuſtineant onus
– – o – – o – – ∪ ∪ – – o
Sylvæ laborantes geluque
– – ∪ ∪ o – – ∪∪ o – – o
Flumina conſtiterint acuto.

PROPOSITIO 16. Generaliſſima Regula dimetiendi numeros propoſitionum, periodorum, ſermonum, eoſque commodè comparandi ad invicem eſt hæc: 1. Dividatur ſermo in periodos, periodi verò in propoſitiones, & quando hæ nimis longæ forent, dividantur in tot membra, quot libuerit, ſi nimis breves ſint, cum aliis proximis con-

conjungantur. 2. Numerentur in quavis propoſitione ſyllabæ, & dactyli. 3. Notetur, quota ſyllaba, incipiendo à poſtrema, incipiat dactylus? 4. In hac numeratione non comprehendantur primæ quatuor ſyllabæ cujuslibet propoſitionis, ſed eæ ſpecialiter notentur, & obſervetur, quota illarum, incipiendo à prima, incipiat dactylus? 5. Numerus ſyllabarum ſcribatur per modum denominatoris, numetus ſyllabæ, in quam incidit dactylus, ſcribatur per modum numeratoris. Et primo loco ſcribatur numerus ſyllabarum quatuor initialium, ſecundo verò loco, qui à primo loco ſigno † erit diſtinctus, ſcribatur numerus ſyllabarum ſubſequentium. Si ex alterutra parte nullus incidat dactylus, ſcribatur ſignum o. ſi verò ex alterutra parte incidant plures dactyli, numeri ſyllabarum ſcribantur continuo ordine, & ſolo punctulo diſtinguantur. Hinc numeros ſequentium propoſitionum.

— ∪ ∪ — ∪ ∪ — o — ∪∪ o —

Vides, ut alta ſtet nive candidum ſora-

o — ∪ ∪ — ∪∪ — o — 6 — o

cte, nec jam ſuſtineant onus ſylvæ labo-

— o o — o — ∪∪ o — ∪∪ o — o

rantes, geluque flumina conſtiterint acuto.

Sic ſcribes:

1. 4. † 6.	1. 4. † o.	4. † 6.
14.	14.	13.

Vel ſi numeros v. g. Exordii, quod Cicero habet pro Marcello, exhibere velis, eos ſic exhibebis.

— o — ∪ ∪ — — — ∪ ∪ — o

Diuturni ſilentii, Patres Conſcripti.

◉ - o -- o -- ∪ ∪ - o

Quo eram his temporibus uſus,

-- o -- o -- ∪∪ o -- ∪ ∪ -- o

Non timore aliquo, ſed partim dolore,

-- o -- o -- ∪∪

partim verecundia.

-- o - o - o -- o -- ∪ ∪

Finem hodiernus dies attulit.

3. † 8. 5. | o † 5. | o † 3. | 2. † 3. | o † 3.

13. 10. 7. 13. 11.

Hæc regula ex eo probatur, quia exhibet omnes diverſitates numerorum in aliqua periodo poſſibiles. Inſpicienti enim periodos patet, quoad quantitatem ſyllabarum aliam diverſitatem eſſe non poſſe, niſi inter longas, medias, & breves. Longæ, & mediæ nullam omnino inter ſe diverſitatem patiuntur, niſi quòd una perpetua viciſſitudine præcedat alteram, videlicet longa mediam, niſi tantùm initio dictionis, ubi media poteſt præcedere longam. Hæc itaque diverſitas ſufficienter indicatur per numerum æqualem vel inæqualem numeratoris, aut denominatoris, ut conſideranti patet. verb. gratia in hac propoſitione

o † 5
——— facilè cognoſco, propoſitionem in-
10.

cipere à ſyllaba media; dum enim numerus ſyllabarum eſt 10. & dactylus incidat in quintam ab ultima & ante dactylum neceſſariò præcedat ſyllaba media,

dia, ob perpetuam viciſſitudinem mediæ & longæ, neceſſe erit, ut in primam ſyllabam, utpote quintam, etiam incidat media. Itaque tota diverſitas numerorum eſſe poterit inter breves comparatas ad longas vel medias. At ex inductione iterum conſtat, nullibi reperiri ſyllabam brevem, niſi in dactylo, ubi duæ breves concurrunt. Itaque tota diverſitas numerorum dependebit ex diverſa conbinatione dactylorum cum ſyllabis longis & mediis, & ea conbinatio in noſtra regula per numeros optimè explicatur, dum oſtenditur, quo loco dactylus reperiatur. Breviùs Regula ſic demonſtratur. Ex hac regula poſſunt cujuslibet propoſitionis numeri explicitè exhiberi, ergo ea regula numeros quoſcumque ſufficienter indicat, & omnem eorum divarſitatem poſſibilem. Antecedens oſtenditur ab inductione. Sic, ſi mihi detur propoſitio hæc $\frac{3\dagger 8.5.}{13.}$ ſtatim ſcio eam exhibere propoſitionem habentem 14. ſyllabas, in quarum ſexta & nona ſit dactylus, incipiendo ab ultima; adeoque numeros omnes propoſitionis eſſe ſequentes.

— o — v v — v v — vv — o

1. 2. 3. 4. 9. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1.

PROPOSITIO 17. Similitudo propoſitionum inter ſe dependet potiſſimùm à ſitu ultimi dactyli, aut ejus negatione: ſimilitudo verò periodorum inter ſe dependet à numero ſyllabarum, ſimilitudine, & ordine propoſitionum, quas utraque periodus continet; quamvis ad ordinem propoſitionum non tantopere attendi debeat. Et tota periodus poteſt exhi-

exhiberi, ſi numerus ſyllabarum ponatur loco denominatoris, locus autem ſingulorum Dactylorum per modum totidem numeratorum. Itaque illa periodus. *Vides ut alta &c.* & altera: *Diuturni ſilentii &c.* ſic exhiberi poterunt.

$$\frac{6+6+6}{42} \qquad \frac{5+5+3+3+3}{54}$$

Bonitas hujus Regulæ oſtenditnr, quia exhibentur per eam omnia, quæ in periodo ſunt objecta ſpecialis attentionis, videlicet, longitudo periodi, & terminationes propoſitionum, & ordo earum ad invicem. Non exhibet quidem longitudinem propoſitionum accuratè, quia non attendimus ad numerum ſyllabarum; exhibet tamen eam propinquè, quia oſtendit totum diviſum in ſuas partes, adeòque dum v.g. 42. ſyllabas video diviſas eſſe in tres propoſitiones, e contrà 54. ſyllabas in quinque propoſitiones, ultrò conſequitur priores propoſitiones longiores, ac graviores eſſe.

Qui accuratiùs vellet ſimilitudinem aut proportionem numericam propoſitionum & periodorum inter ſe inſpicere, poſſet fractiones reducere ad communem denominatorem, ſed hic labor non eſt neceſſarius. Mihi ſufficit, quòd oſtenderim modum facilem. Harmoniam numericam unius Authoris ad Harmoniam numericam alterius comparandi, ejusque ſimilitudinem vel diſſimilitudinem ad oculum demonſtrandi.

CAP

CAP. V.

De variis combinationibus, negationibus, vitiis in ſtilo Authorum occurrentibus.

CApite 3. oſtenſum eſt, quænam ſint Elementa ſtili, & quæ virtutes Scriptorum. Sicut tamen non omnis fert omnia tellus, ita nec omnes Scriptores omnibus virtutibus pollent; itaque reperiuntur in Scriptoribus etiam defectus ſeu negationes virtutum; & non ſolùm defectus, ſed etiam vitia. Diverſa talium vitiorum, negationum, & virtutum combinatio diverſiſſimos in Authoribus ſtilos progignit. De negationibus non eſt ſpeciatim dicendum, cùm ex ſuis oppoſitis, quarum ſunt negationes, ſatis cognoſcantur. De vitiis igitur, poſteà de combinationibus dicendum eſt.

Vitia ſunt ſequentia,

1. *Cacozelia*, ſeu perverſa imitatio, dum Author ex aliis probatis Authoribus vitioſa pro virtute vel elegantia inſcitè imitatur; aut quæ in aliis Authoribus rarò adhibentur, ipſe crebrò adhibeat.

2. *Puerilitas*, dum Author dictionis elaboratæ flores, ſcitè eleganterque dicta, & figuras verborum, ſententiarumque, alluſiones gratas, rerumque non ineptas deſcriptiones, & ſiquid ejusmodi ornamentorum eſt, loco, temporeque opportuno non adhibet.

3. *Affectatio* eruditionis, vel acutæ dictionis dum acutè dicta, & erudita vel nimium

mium cum faſtidio addenſantur, vel loco importuno non exigente materia obtruduntur.

4. *Adulatio*.

5. *Obſcuritas*. Dum non ſatis ex verbis liquet, quid Author velit. Fit autem ſermo obſcurus ex crebrò quæſitis, ac remotè accerſitis tropis, allegoriis, aut tumentibus ſine ſenſu ſententiis; ex acutè dictorum multitudine: & feſtinanti abruptione ſenſus; ex nimio ornatu per phraſes, epitheta &c. & ex conſtructione confuſa. &c.

6. *Prævaricatio*. dum Author nimis breviter & curſim attingit ea, quæ fortiùs ſunt inculcanda, infigenda, ac repetenda. nam plerisque veritatibus longiore tractatu vis quædam ac pondus accedit. *Gutta cavat lapidem*, ſed repetita.

7. *Tautologia*. dum Author verbis ſynonimis, aut parum mutata phraſi eandem rem ſæpius repetit, atque prorſus idem dicit de eodem.

8. *Amputata* nimis, ac abſciſſa dictio, aut periodus. Dum videlicet aures productiorem exſpectant, aut animus explicatiorem.

9. *Remiſſio*. dum Author non tuetur conſtantia ſtili gravitatem, aut objecti majeſtatem, aut affectus activitatem. Hoc fit, dum in concluſione immiſcet quæſtiuncu-las, reſponſiones, deſcriptiones &c. quæ ad motum nil faciunt, aut animum à principali objecto ſua attentione avertunt.

10. *Diviſio nimia* in partes minutiſſimas, quarum diſtincta cognitio nullo modo ſervit ad probationem, aut perſuaſionem, aut cognitionem & affectionem principaliter intentam.

11. *Im-*

11. *Impropria* aut non *adæquata* locutio, dum aut aliud verba ſignificant, aut conceptum objecti, quem imprimere animis deceret, vi ſua ſignificandi non adæquant.

12. *Interpolatio conſtructionis* per parentheſes, & propoſitiones incidentes, aut participiorum uſus nimis frequentes, aut longas.

13. *Periodorum nimia brevitas aut prolixitas*. dum enim periodus ea membra comprehendat, quæ juxta vires hominum ordinarias uno ſpiritu absque ſingulari moleſtia proferri poſſunt, moleſtum erit, ſi aliquid proferatur, quod ſit notabiliter infra aut ſupra exſpectationem hominum. Sicut autem in verſibus ſenſus vix ultra ſeptem verſus producitur, ita vix periodus ultra ſeptem membra.

14. *Inopia verborum*, dum Author ſine ulla variatione ſemper iisdem verbis, particulis, epithetis &c. utitur.

15. *Circumductio nimis lenta*, dum animus nimis diu ſuſpenditur, dum veniatur ad propoſitum, aut ad ſolutionem quæſtionis, aut dum ipſum circumductionis objectum non attrahit, & occupat attentionem audientis vel legentis.

16. *Superfluitas* rerum aut verborum, dum Author ea immiſcet, quæ aut nullam excitant attentionem, aut mentem non diſponunt, nec affectum ducunt ad propoſitum principale. Talis ſtilus redundans vocatur *Aſiaticus*.

17. *Si ſtilus ſit ſiccus* ſine ornatu phraſium, epithetorum, adverbiorum, figurarum, troporum, & circumſtantiarum; ſed nuda nimis nudè proponatur veritas.

18. *Si ſtilus ſit jejunus* ſine motu animi

&

& vigore intellectus ; videlicet, ſine affectu, ſine ſententiis, ſine inventione.

19. *Si ſtilus ſit làſcivus ac luxurians*, dum abundat verbis, phraſibus, & tropis, ac figuris, magis ad delicias aurium, quàm ſignificandi vim comparatis; dum epithetis ac ſubſtantivis inportunè ac minùs ſignificanter ingeſtis induit ſtilum Poeticum ; dumque audacioribus tropis utitur.

20. *Si ſtilus ſit horridus*, vel ob verba difficilis & inflexibilis pronuntiationis, vel ob conjunctionem verborum auribus abſurdam, vel ob numerorum diſſonantiam, de qua aures judicant ; dum periodi nervosè non concluduntur, nec numeris adſtringuntur : Dum plures vocales collidunturur, aut plures conſonantes colliguntur, Idem ſtilus *aſper*, *durus*, atque *hiulcus* dicitur.

21. Si repetitiones nimiæ. 22. Eadem figura nimis crebra. 23. Sales frigidi. 24. Metaphoræ frigidæ. 25. Sententiarum exiguum pondus ac judicium. 26. Elegans ſenſus ac dictio in minus opportuno loco poſita. 27. Major verborum jactantia, quàm ſoliditas. 28. Materiæ confuſio. 29. Dictio & materia aut ſententiæ non proportionata captui eorum, ad quos dirigitur. 30. Si ſtilus non accommodatus materiæ in ſublimi humilis, aut viciſſim. Hæc & plurima alia vitia occurrent in Authoribus : quæ attuli, tantùm exempli cauſa attuli, ut intelligeremus, quanta poſſit eſſe ex combinatione diverſarum virtutum & vitiorum inter Authores diverſitas. Sic dum Cicero à nonnullis dicitur eſſe *tumidus*, *redundans*, *Aſiaticus*, *in repetitionibus nimius*, *in ſalibus frigidus*

dus, in compoſitione fractus, exultans, ac pæne viro mollior. Hoc ad vitiorum quorundam cum plurimis ejus virtutibus combinationem, qualem vix in alio deprehendes, pertinet. Dumque Quintilianus l. 2. c. 10. ait: *Eminere Demoſthenem ſublimitate, cultu, impetu, ac compoſitione, ſed non inſurgere locis, non gaudere figuris, non uitere translationibus, non dare vocem carentibus, carere etiam Epilogo.* Hoc ſine dubio, ad virtutum & negationum combinationem prorſus ſingularem pertinet.

Verùm de ſtilo ex combinationibus variis reſultante faciliùs feramus judicium, obſervandum; quatuor ſumma communiter poni ſtili genera 1. Conciſum. 2. Circumductum. 3. Argutum. 4. Grandem. In quolibet horum quatuor generum dantur iterùm tres ſpecies; 1. Stilus Epiſtolaris. 2. Hiſtoricus. 3. Oratorius. Quales in quolibet horum combinationes virtutum, negationum, ac vitiorum intervenire poſſint, Maſenius in *Palæſtra Stili Romani*, pluribus deducit, atque exemplis illuſtrat. Pauca eo ipſo delibo, ut de quovis ſtilo poſſimus ferre judicium.

STILUS CONCISUS eſt, inquit, qui vel paucis verbis cum virtute abſolvit ſententiam, vel ſæpe inſiſtens periodum nervosè implet. In hoc ſtilo requiritur 1. ut lectiſſimæ voces ſint, & magnam ſignificandi virtute præditæ, ne Epitheorum ſupplementis frequenter egeant. 2. Ne quidquam adhibeatur, quod ſalvo eodem ſenſu poſſit removeri. 3. Rerum ſententia adſtrictis, brevibusque phraſibus exponenda eſt. 4. Amat oppoſitiones, aut correctiones, vel exceptiones ab iis, quæ dicta ſunt. Subitas item admirationes, exclamationes, & interrogationes. 5. Cum

perio-

periodi aliquantulum producuntur, ſolent inciſa minima vel diſſolutè & ſine conjunctionibus, vel etiam iteratis conjunctionibus iisdem acervari; repetitiones quoque earundem particularum frequentari. 6. Gnomæ, paræmiæ, antiquitates inſpergi, Græca nonunquam, præſertim ſententioſa admiſceri. Cùm autem hac conciſione ſententiarum Epiſtolari Sermonis dignitas gravitasque nonnihil attenuetur, nunc inſiſtente, nunc rurſum præcipiti ſine certis numeris dictione, in Hiſtorico, conciſo generi dicendi immoranti, plenior aliquantulum, & ad numerum magis compoſita incedet oratio. In Epiſtolis juvenili proſilit diſcurſitque impetu, nunc ſubſiſtit, nunc curſim fertur, nunc graditur rurſum oratio, ſed Hiſtoricus viri maturioris incеſſum refert, majorique inſiſtit cœptæ ſemel viæ conſtantia, neque ordiri, neque finire ubique curſum paratus. Quanquam, ut viri idem confecturi iter non iisdem omnes incedunt paſſibus, ſed brevioribus pygmæi, at frequentiùs iteratis; longioribus at tardius repetitis homines gigantæi, ita quibus ſtilus in hiſtoria vel conciſior vel productior eſt, pygmæis magis, hi gigantibus ſimiliores, Orationis periodum conficiunt. Suo quisque ingenio aut arte hanc menſuram definit; verba pro pedibus, inciſa pro paſſibus ſunt; illi tamen videntur currere, hi incedere, cum eodem dictionis ambitu pari via circumferuntur. Oratio, quæ conciſo ſtylo utitur, ab Epiſtolico, Hiſtoricoque, in hoc potiſſimùm differt, quòd præter figuras huic dictioni familiares longioribus per ejuſmodi inciſa periodis circumferatur, tum præſertim, cùm animis ad movendos diverſos affectus admovetur, à Tullio in Catilinaria, aliisque cauſis vehementioribus

non

non ratò uſurpata epidicticùm tamen genus brevibus magis ludit periodis.

STILUS CIRCUMDUCTUS ſtilo conciſo opponitur, dum tam amplo verborum, ſententiarumque numero evolvitur, ut & animum audientis impleat, & ultra ſatietatem non excurrat. In hoc ſtilo 1. non eſt opus tanto verborum delectu, cum epithetis ad vim ornamentumque Orationis adhibitis energia illa ſuppleatur. 2. Locuples magis phraſium, ſententiarumque apparatus uſurpatur, & ut in conciſa dictione tenuit mundities, ita hìc luxus quidam regius amatur. 3. Calidæ illæ, vibranteſque figuræ, interrogationes, exclamationeſque admoventur parciùs, niſi ad motum comparata ſit Oratio. Idem de parœmiis, gnomiſque ſentiendum. 4. Oppoſita non tanta in luce, tamque nudè ac frequenter contra ſe, velut in acie collocantur, ſed cultu aliquo dictionis veſtiuntur, neque ſuaviori, tanquam conciliata hærent, ac commiſcentur, quæ in conciſa apertè pugnant. 5. Particularum magna cura, ut his vinculis tanquam ligata Oratio ſuaviter ad finem uſque periodi cohærens evolvatur. 6. Numeri, membrorumque ſua ſibi in toto ambitu proportione cohærentium ratio ſingularis habenda eſt. *Stilus Epiſtolaris* circumductus tunc placet, ſi nec lenta circumductione ſuſpendat; nec ſubita præciſione Orationem abrumpat: Abſit hinc epithetorum, phraſiumque apparatus, ſolo nexu atque implicatione membrorum amicè hæreat, ſuaviterque in orbem volvatur, qui nunc brevior, nunc laxior in duorum vel trium heroicorum verſuùm circuitu abſolvatur.

Stilus circumductus Hiſtoricus ab Epiſtolari parùm differt; magis tamen ſtringit addenſatque ſententias, phraſin elevat, illu-

ſtrio-

ſtrioribus utitur metaphoris, oppoſita majori in luce eminent; ſententiosè & acutè dicta ſenſum legentis fortiùs feriunt.

Oratio circumducta eidem rei amplificandæ, exaggerandæque per diverſa adjuncta inhæret illuſtratur diſſolutione, & apta commixtione phraſium, collocatione, ac connexione ſententiarum. Latior aperitur campus troporum, figurarumque eſt; his etiam cum aliqua concinnitate implentur periodi, repetitiones particularum gratiam conciliant, enumeratio partium, adjunctorumque expoſitio ambitum orationis explent & attollunt, oppoſitio ſententiarum per particulas, *tantum*, *quantum*, *non modò*, *verùm etiam*, *neque verò*, *ſed &c.* Diducendæ & ornandæ periodo ſervit; quò periodus brevior eſt, eo longioribus utitur membris; tanto contra brevioribus, quo illa longior, ut multitudine corrigat tarditatem. In rebus ad ornatum compoſitis, numeroſa magis membris productioribus, incedit; in iis, quæ ad motum ſpectant, ſuis inciſis intra periodos fertur concitatiùs. Cùm res ardua ac magna eſt, vel ad ornatum, vel ad motum, periodos productiores pronit, cùm præcepta ac leges dantur, breviores.

STILUS ARGUTUS in hoc conſiſtit, ut cogitationem transferat ad oppoſita & adverſantia illi rei, de qua diſſeritur, utque rationem aliquam eruat, cur eadem de re talia aſſeras, eique tribuas, quæ comuni ſenſu minimè tribuenda viderentur, aut certè neges de re, quæ illi ex vulgi opinione maximè propria judicantur. His enim potiſſimum exſpectatio auditorum aut fallitur aut ſuperatur rei enuntiatæ raritate: nec quidquam mentem altius figit penetratque, quàm

inopinatæ ſententiæ, velut ex occulto producta veritas. Magna hoc genus ſcribendi invecta eſt corruptio, quæ affectato quodam aculeatæ dictionis ſtudio penè omnes infercit periodos, & quod ad oblectationem magis, quàm ad robur ac vim perſuadendi natum eſt. Verùm, ut melle vel aceto immoderatiùs affuſo ciborum vigor opprimitur, ita his condimentis intemperanter uſurpatis deſipit Oratio. Cavendum itaque, ne vel crebris nimium argutiis, vel obſcuris mens lectoris defigatur; ne res tenues his ornamentis excolantur, frigidis, parumque nervoſis crepundiis occupentur, aut puerili interpretatione dictorum & factorum prorſus à ſeria aut vera intentione agentium & lequentium recedente deſipiat.

STILUS GRANDIS eſt, qui mole duplici, *virtutis* energia, & ſententiarum amplitudine ſupra communem dicendi uſum aſſurgit, humilia, protritaque faſtidit, & eruditorum auribus ad plauſum inſervit. *Virtus* in ſignificatione eminet; *amplitudo* in gravium ſententiarum majeſtate. Laudi inprimis ac reprehenſioni hic ſtilus adhibetur, tum rerum deſcriptionibus graphicè exponendis idoneus eſt. In hoc ſtilo elevatur 1. Phraſis verbis tum grandioribus, tum etiam rarioribus, modo, opportuno loco, ac tempore adhibeantur. 2. Apta translatione, qua res laudanda per inductam illuſtris rei ſimilitudinem tanquam in ſplendido aliquo ornatu ſpectanda; vituperenda rurſum in aliundè deſpectæ rei imagine contemnenda proponitur. 3. Extollit orationem rariorum phraſium opportuna inductio. 4. Epithetorum illuſtrium minimeque otioſorum diſcreta uſurpatio, crebrior quoque ſub-

ſubſtantivorum, moderata tamen inductio, quæ vel epithetis opportunum locum facit, vel eorum ſcitè officio fungitur. 5. Antiquitatum, hiſtoriarumque alluſio eruditam dictionem à vulgari humilitate ad quandam dignitatem, & æſtimationem doctorum transfert, quàm vulgus admiratur tantùm, non percipit multùm etiam hic ſtilus à Poetica dictionis venuſtate mutuatur. Grandem etiam ſtilum facit quidam adſtrictus, ac velut pergravis viri Oracula libratus, præciſusque ſermo, qui plerumque ſenſu, quàm verbis uberior multa lectori cogitanda relinquat.

CAP. VI.

Traduntur ac demonſtrantur Regulæ pro dignoſcendis ex ſtilo Authoribus.

REGULA 1. *Conſenſus ferè univerſalis virorum doctorum, indifferentium, in ſcriptorum controverſorum genere exercitatorum, & Authores controverſos attentè legentium, eſt argumentum moraliter certum pro identitate aut diverſitate ſtili, de quo judicant.* Demonſtratur. Inter omnes Authores, quotquot hactenus fuerunt, non minor eſt in cogitando, adeoque etiam ſenſu verborum, & ſtilo diverſitas, quàm eſt inter vultus hominum. Ergo ſicut vultus hominum humanis ſenſibus, ita etiam ſtili Authorum humano intellectu non depravato morali certitudine diſcerni poſſunt. Antecedens demonſtratur ex ſcriptura, experientia, & ratione. *Scripturæ* ex verſione Septuagintavirali Proverb. 27. ſic ait: *Sicut vultus vultibus ſimiles non*

sunt, ita corda hominum non sunt similia. ὥσπερ οὐκ ὅμοια πρόσωποις, οὕτως οὐδὲ αἱ καρδίαι τῶν ἀνδρώπων ὅμοιαι. Constat autem per cor in scripturis intelligi principium cogitationum & affectionum, juxta illud Christi Matth. 15. v. 19. *De corde exeunt cogitationes* ut proin sensus sit: *Sicut vultus vultibus similes non sunt, ita & cogitationes atque affectiones hominum similes non sunt.* De *experientia* testantur in his rebus experti, Quintilianus, Sidonius Apollinaris Cicero. Quintilianus l. 2. C. 9. ait: *Est in ingeniis incredibilis quædam varietas, nec pauciores animorum penè, quàm corporum formæ, quod intelligi etiam ex ipsis Oratoribus potest, qui tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis.* Sidonius l. 7. C. 18. ait: *Ita mens patet in libro, sicut vultus in speculo.* S. Augustinus Epist. 18. ait: *Stilus habet quandam propriam faciem, qua possit agnosci.* Cicero l. 3. de Oratore sic ait: *Quid est in naturis rerum, transferri potest ad artes. Una fingendi est ars, in qua præstantes fuerunt Myro, Policetus &c. &c. Qui omnes inter se dissimiles fuerunt. Una est ars picturæ, dissimillimi tamen inter se Zeusis, Appelles. &c. Et si hoc in mutis artibus, quanto id admirabilius in Oratione & lingua, quæ cùm in iisdem sententits & verbis versetur, summas habet dissimilitudines? aspicite, quid intersit inter Oratorum studia: Quis eorum cujusquam, nisi sui similis? Quod si in nobis, qui adsumus, tantę dissimilitudines, tam certæ res, cujusque proprię; quid censetis, si omnes, qui ubique sunt, aut fuerunt Oratores, amplecti voluerimus, numne fore, ut, quot*

Ora-

Oratores, totidem penè reperiantur genera dicendi?

Ratione denique probatur idem antecedens ſic: Ex proximè dicendis patebit evidenter, plures eſſe poſſibiles diverſitates in ſtilo Authorum, quàm totum univerſum, cælum & terra, capere poſſint minutiſſimas arenulas maris; ergo eſt moraliter impoſſibile, ut ex tot diverſitatibus propemodum infinitis poſsibilibus nulla prorſus in diverſos Authores irrepat diverſitas. Conſequentia patet ex Arte Critica & *Legibus Contingentium* quibus oſtenditur; *Contingentia non procedere uniformiter*. Patet etiam ex aleis; ſi enim haberem aliquot alearum millia, in quibus tot caſus diverſi eſſent poſſibiles, quot univerſum capere poteſt arenulas, quilibet agnoſceret moraliter impoſſibile eſſe, ut omnes aleæ contingenter projectæ ſignent unitatem, aut ut altera vice eundem numerum obtineam quem primo jactu obtinui. Pari ergo modo, ſi tam infinitæ inter diverſos Authores ſunt poſſibiles diverſitates, & quidem tales diverſitates, quibus non ſolent differre Authores iidem à ſeipſis, impoſſibile erit, ut contingenter nulla eveniat diverſitas, cùm in diverſis Authoribus nullum detur conſtans ac uniforme principium, per ſe ad hoc natum, ut omnem diverſitatem excludat. Itaque oſtenſum eſt, tantam eſſe diverſitatem in ſtilo Authorum, quanta eſt inter vultus hominum, quod in antecedente poſui. Demonſtranda eſt nunc conſequentia, videlicet eam diverſitatem æquè humano intellectu non depravato diſcerni poſſe, ac diſſimilitudo vultuum humanorum ſenſibus humanis comprehenditur, licèt

nec iſta, nec illa verbis ſat explicari poſſit. Sic procedo:

Dantur innumeræ res humanæ ac naturales, quarum diverſitas ab homine ſentiri, non tamen explicari poteſt: & ratio, cur illa diverſitas ſentiri non tamen explicari poſſit, eſt prorſus eadem in diverſo Authorum ſtilo; ergo etiam hujus ſtili diverſitas ſentiri poterit, quamvis explicari non poſſit.

Antecedens quoad primum membrum probatur ab inductione. Sic: 1. Datur diverſitas inter vultus hominum infinita; ſenſus ſtatim eam deprendit; in quovis etiam hominum imperitiſſimo datur ea ſagacitas; ſi tamen eundo per integrum exercitum quæram in quo conſiſtat uniuscujulibet in vultu ab altero diverſitas, vix Philoſophorum peritiſſimus reſpondebit; in quibusdam quidem monſtrari poterit diverſitas ex magnitudine, longitudine, latitudine, colore, ſitu oculorum, capillorum, frontis, narium &c. diverſis affectionibus; ſi tamen de centum hominum millibus, & ulterius perquam quærendo, ſenſus quidem fatebitur ſe diverſitatem agnoſcere, in quo tamen conſiſtat, non poſſe explicare; 2. In Muſicis aures ſentiunt infinitam varietatem; aliqua harmonia grata, alia ingrata; aliqua jucunda, alia triſtis eſt; & ſinguli *Componiſtæ*, ut vocantur, habent aliquid ſingulare; nec tamen Muſicæ peritiſſimus facilè explicaverit, in quo ea conſiſtat diverſitas; credimus tamen auribus, & obſtinatè dicimus, hanc ſtrophan eſſe à priori diverſam, vel eandem, ſi ad invicem conferantur; hanc compoſitionem eſſe priori ſimilem vel non eſſe ſimilem. 3. In picturis facilè dignoſcitur manus unius pictoris

ctoris ab altera, modò quis artem pictoriam parùm intelligat; & tamen accuratam diverſitatis tradere explicationem difficile eſt. 4. Datur ingens diverſitas inter homines in modo agendi & converſandi, aliqui homines habent in modo agendi aliquid, quod blandiatur, placeat, ac rapiat; in quo ſe diſtinguunt à cæteris; ſi tamen quæratur, in quo conſiſtant illæ oris gratiæ, & omnium actionum illecebræ, cogeris fateri cum Gratiano in ſuo *l' homme de Cour*. Maxima 127. eas conſiſtere in *aliquo Neſcio quid. Je-ne-ſcaiquoi*. 5. Datur in Oratione aliqua *Color quidam* gratus animis & auribus audientium; datur numerus quidam, qui etiam imperitum vulgus offendit, aut allicit; ſi quæras ex uno talium, in quo conſiſtat ea diverſitas orationis coloratæ & non coloratæ, numeroſæ & non numeroſæ; ipſe Tullius ſe elinguem fatebitur. In Bruto de hac re ſic habet: *Externis Oratoribus idem tribuo, quod urbanis, præter unum, quod non eſt eorum urbanitate quadam quaſi colorata oratio. Quid eſt iſte urbanitatis color? neſcio: tantùm eſſe quendam ſcio*. 6. Omnes, quotquot Ciceronem norunt, norunt eum inter Oratores vincere; illud tamen, in quo vincit, nemo ſatis explicat, ut benè obſervat Maſenius *Vincit Cicero* inquit; *quæ cauſa obſecro? vis illa dicendi, quam ut cætera aſſequantur omnia, nemo æquat; quænam iſta igitur? an artis ſolertia, aut naturę ſingularis beneficio hanc ita texit, ut omnes eam videant, & ſimul ea lateat omnes? mirum profectò; eminere ſentiunt propemodum Univerſi, in quo tamen illa ſic eminens Orationis & vis & majeſtas conſiſtat, nemo ſatis explicat. Signid certè*

deſignaverint, id ejuſmodi ſemper cuique viſum eſt, ut maneret imitabile. l. 2. Palæſt. C. 10. §. 5. Quod in his exemplis reperimus, idem in innumeris aliis invenitur; latet & non latet aliquid *neſcio quid*, quod ſentiri, ſed explicari non poteſt; ſic ſi duo viri eundem ſermonem ad populum habeant, alter movebit, alter non movebit, in illo loquitur aliquid *neſcio quid*, ſerium, ſanctum, ex intimo cordis ad divina trahentis profluens; in altero inania verba & clamor, & actio tinniunt. Sic mirамur majeſtatem ac elegantiam templi aut ædificii; in quo conſiſtat ignoramus. Senſus, phantaſia, intellectus multa ſimul confuſè comprehendunt, & quia totam illam ideam uno verbo explicare non poſſunt; neque eam ordinatè diſſolvere, & ſic ordinatè diſſolutam iterum ordinatè in alterius intellectu ædificare nequeunt, explicare nequeunt, quæ intelligunt, aut percipiunt.

Oſtendo itaque alterum Antecedentis membrum, quòd in diverſo Authorum ſtilo eadem ſit ratio, cur quidem diverſitas intelligi, ut in adductis exemplis, ſed explicari non poſſit. Ratio, cur diverſitas rerum intelligi, ſed non explicari poſſit, alia excogitari non poteſt, niſi aut quia omnes objecti partes diverſitatis conſtitutivæ ſic confuſè intellectui impreſſæ hærent, ut homo rudis eas colligere in ordinem, ordinata diſſolvere, & diſſoluta denuo in ordinem redigere non poſſit; aut quia omnes partes diverſitatis conſtitutivæ tam leviter memoriæ impreſſæ ſunt, ut nullam aliam ſui relinquant ſpeciem & memoriam, niſi hanc ſolam, quòd aliquando habuerimus cognitionem de ea rerum diverſitate. Sic ruſtici ſolent dicere; pulchram omnino fuiſſe con-

concionem ; sed, quid concionator dixerit, prorsus ignorant. Hi profectò norunt, se habuisse aliquando in animo verba concionis, norunt insuper, se in iis verbis sensisse magnam elegantiam & diversitatem à trito genere concionandi, sed ipsa verba exciderunt & ideo in quo consistat verborum elegantia ac diversitas, explicare non possunt. Idem contingit, dum audivimus virum gravem seriò omnino concionantem, aut dum legimus librum Ascoticum, aut Theologicum mira soliditate aut fervore insistentem, sinè dubio tunc singulas dicentis aut scribentis propositiones attentè consideravimus, & comparavimus omnes singillatim cum affectionibus, impressionibus, notionibus, habitibus, & tota constitutione animi nostri; vidimus ergo tunc in momento singulas propositiones convenire omnimoda similitudine cum seriis affectionibus, eas etiam convenire cum nostris fervidis non affectatis motibus, eas etiam convenire cum regulis rationis solidæ nostris, eas etiam nunquam convenire cum sensis nostris mundanis, nunquam convenire cum nostris conceptibus arte, aut studio, aut diligentia, aut consilio paratis, nunquam convenire cum iis mentis actionibus nostris, quæ ullam relationem ad causam aliquam efficientem, dispositivam, aut finalem mundanam habeant; hæc omnia, & multa alia mens nostra audiendo aut legendo in singulis propositionibus distinctè quamvis tantùm in momento, videt; omnes eas relationes propositionum singularum ad diversas habitudines mentis nostræ, & ad alia multa objecta, adeoque etiam earum similitudinem, aut dissimilitudinem, conformitatem, aut diversi-

tatem ſimul comprehendit; ſed quia ſingulæ concionis aut libri propoſitiones velociter prætereunt, ac quaſi prætervolant, non infigunt memoriæ ſui diſtinctam ſpeciem, ſed hanc ſolam ultimatò relinquunt in memoria reminiſcentiam, ſe concionem ſeriam, piam, veram audiviſſe, aut librum eſſe ſolidum; quo fit, ut in animo relinquatur immobilis libri æſtimatio, aut ſeria compunctio, etſi poſt aliquot annos quæſiti, cur hunc librum vel Authorem tantopere æſtimemus, non ampliùs reddere poſſimus rationem, quia videlicet ſpecies præcedentium cognitionum extinctæ ſunt, nec quidquam aliud in memoria relinquitur, quàm reminiſcentia, qua agnoſcimus, nos aliquando grandem hanc æſtimationem concepiſſe, & hujus æſtimationis fundamenta convincentia habuiſſe. Contingit in tali caſu nobis idem, quod Socrati quondam apud Platonem contigit; cùm enim ex ipſo quæreretur, undè tam inſolitas opiniones hauſiſſet? Reſpondit: *Sentio mihi pectus plenum iis, quæ præclarè dici poſſunt, & hoc ſolùm ſcio, tam fœcunda dogmata ex meipſo, funda ſterili non germinaſſe.*

Altera ratio, cur diverſitas cognoſci, non tamen explicari poſſit, aſſignata à me eſt, quia principia diverſitatis conſtitutiva tantùm confusè cognoſcuntur; omne enim confuſum quandam infiniti ſpeciem habet, quod nec numerando exhauriri, nec intelligendo comprehendi poſſit; ſic dum aſtra cœli libero oculo indoctus contemplatur, ob eorum confuſam notitiam innumera eſſe exiſtimat, & ea à ſe numerari poſſe prorſus diſperat; dum interim alius Aſtronomiæ peritus, qui novit ſtellas in ſuas conſtellationes juſto ordine redigere, facillimè numerari poſſe, & vix duo aut tria millia in noſtro hemiſphærio agnoſcit, dum quis exercitum conſpicit diſ-

ſolu-

ſolutis ordinibus balantem, multitudinem innumerabilem, ſicut arenam, quæ eſt in littore maris, eſſe pronuntiat; licèt in ſuas centurias, & chiliadas, & legiones diſtributus facillimè numerari poſſit. Idem in ſenſibus noſtris contingit; dum oculus videt vultus hominum diverſiſſimos; principia diverſitatis conſtitutiva ſunt color, magnitudo, figura, &c. hæc principia in oculo ordinatè depinguntur, ſed dum intellectus eadem principia ſeorſim conſiderare incipit, naſcitur ingens eorundem principiorum in intellectu confuſio, ſicque amiſſo ordine neſcit intellectus, in quo conſiſtat rerum viſarum inter ſe diverſitas, licèt ſciat, ſe obtutu ſimplici conſiderando rerum diverſitatem cognoſcere evidenter.

Jam harum duarum rationum alteram, vel ambas in dijudicando Authorum ſtilo locum habere. oſtendo. Quando vir indifferens, & exercitatus attentè legit duos libros, ſinè dubio ſingulas utriuſque libri propoſitiones attentè conſiderat; conſiderat proin attentè materiam, inventionem, affectum, vocum proprietatem, phraſin, eruditionem, tropos, figuras, numeros, gravitatem dicentis, & ſingula, quæ Capite 3. & 4. & 5. dixi in ſtilo Authorum conſiderari poſſe, conſiderat vir exercitatus in momento, ſinè ulla reflexione ad regulas, ſinè ullo labore, quia dum ſpecies propoſitionum ſingularum animo imprimuntur, ultrò in ſereno intellectu ſimilitudo, aut diſſimilitudo illarum ſpecierum cum aliis quibuſcunque ſpeciebus antecedenter impreſſis, & in animo exiſtentibus, cum quibus aliquam relationem habere poſſunt, panditur, ſicut ſimilitudo aut diſſimilitudo rerum infinitarum orto Sole ultrò ſinè labore ab oculo cernitur. Itaque, poſtquam ſpecies ſingularum

propoſitionum utriuſque libri, quem vir iſte legit, ad animum delatæ ſunt, ſtatim agnoſcit, hanc vel illam propoſitionem habere ſimilitudinem cum aliis propoſitionibus antecedenter in animo exiſtentibus quoad materiam, quoad acumen, quoad affectus, quoad proprietatem aut improprietatem vocum, quoad phraſin, quoad numeros &c. ſicque eundo per ſingulas duorum librorum propoſitiones agnoſcit ſingularum propoſitionum inter ſe, vel cum aliis tertiis ſimilitudinem, aut diſſimilitudinem, & ad finem libri dicere poterit, hos duos libros eſſe ſimiles vel diſſimiles inter ſe, licèt non poſſit dicere, in quo illa ſimilitudo, aut diſſimilitudo conſiſtat, quia nempe ipſas propoſitiones jam oblitus eſt, aut certè tam multiplices ſingularum propoſitionum relationes ad tam diverſos relationis terminos tantùm confusè id eſt, ſinè ordine, quamvis diſtinctè ac clarè cognoſcit.

Dico præfata omnia neceſſariò contingere in animo viri indifferentis, & exercitati, adeoque etiam in eodem animo neceſſariò conſequitur judicium legitimis principiis vix unquam fallentibus nixum de ſimilitudine aut diſſimilitudine ſtili. Q.E.D.

REGULA 2. Similitudo aut diſſimilitudo ſtili dependet ex combinatione Elementorum ſtilum diverſificantium. Per Elementa ſtilum diverſificantia intelligo omnia, quæ C. 3. 4. & 5. enumeravi, videlicet *materiam*, *inventionem*, *affectus*, *voces*, *phraſin*, *particulas*, *figuras*, *eruditionem*, *numeros &c.* ubi bene notandum eſt, ad hæc Elementa non pertinere ea, quæ ſunt omnibus Authoribus communia, u ſunt voces ab omnibus Sctiptoribus in eadem materia atque occaſione uſitatæ; hoc tamen non obſtante pertinere ad hæc Elementa habitus quosdam

dam ac consuetudines Authorum particulares, non omnibus Authoribus communes, dum verbi gratia aliquis Scriptor consuetudinem habet, ferè semper utendi eadem phrasi, eodem verbo, eodem tempo &c. dum interim alii Authores variare solent, utendo synonimis hinc indè diversis. Insuper notandum, ad Elementa stilum diversificantia non tantùm referri ea, quæ sunt uni tantùm Authori singulari, sed omnia ea, quæ non sunt omnibus Authoribus communia, licèt multis aliis Authoribus communia sint; quia tale Elementum jam sufficiens est ad fundandam diversitatem cum illis saltem Authoribus, qui tali Elemento in eadem occasione ac materia constanter nunquam uti solent. Jam similitudinem aut dissimilitudinem stili ex combinatione talium Elementorum inter se dependere, ostendo. Ponamus tantùm octo Elementa stilum diversificantia 1. Inventionis acumen. 2. Vim movendi affectus. 3. Vocum proprietatem. 4. Phrasim elegantiam. 5. Figurarum pulchritudinem. 6. Troporum lucem. 7. Eruditionis copiam. 8. Numerorum harmoniam. Dico: si hæc octo Elementa diversimodè inter se permisceantur, prodituros stilos inter se diversos ducentos quinquaginta quinque, ut ex regulis combinationis liquet, ex quibus constat, *numerum combinationum possibilium æqualem esse producto binarii, toties positi & multiplicati in se, quot sunt datæ res, unitate tamen imminuto.* Potest enim fieri, ut unus Author emineat in inventione tantùm.

Alter in affectibus.
Tertius in proprietate vocum.
Quartus in phrasibus,

Quin-

Quintus in figuris
Sextus in tropis
Septimus in eruditione
Octavus in numeris
Nonus simul in inventione & affectibus.
Decimus in inventione, & proprietate vocum.
Undecimus in inventione, & phrasibus
Duodecimus in inventione & figuris.

13as. in 1. & 6.
14 in 1. & 7.
15 in 1. & 8.
16 in 2. & 3.
17 in 2. & 4.
18 in 2. & 5.
19 in 2. & 6.
20 in 2. & 7.
21 in 2. & 8. Et sic pergendo usque ad 255. semper erit diversus stilus, præcisè ob diversam Elementorum inter se combinationem. Itaque clarum, est diversitatem stili dependere ex diversa combinatione Elementorum stilum diversificantium. Q. E. D.

REGULA 3. *Longè plures sunt possibiles diversitates in Authorum stilo, quàm caperent. Universa omnia arenulas minutissimas, etiamsi Deus crearet tot universa, quot arenulas capit totum istud nostrum universum complectens cœlum & terram.* Demonstratur. Capite 3. 4. & 5. ostensum est dari plùs quàm ttiginta Elementa stilum diversificantia; in singulis Elementis ostensum est, dari adhuc plures modos stilum diversificantes, & si omnes illi modi addantur, facient plùs quàm ducenta Elementa stilum diversificantia: si insuper accipiantur in particulari singulæ voces rariores, phrases selectio-

lectiores, objecta eruditionis particularia, vel consuetudines Authorum singulares, dubium non est, facilè assignari posse Elementa plùs quàm quingenta, in quorum singulis unius Author possit differre, ab altero. Si hæc quingenta Elementa combinentur ad invicem, fient combinationes plùs quàm 4000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | Universim sunt cyphræ centum quadraginta quatuor, quæ longè majorem numerum conficiunt, quàm universum caperet arenulas, etiam multiplicatum toties, quot sunt ipsæ arenulæ, quas capit. Si essent tantùm sexaginta quatuor Elementa, jam facerent combinationes plùs, quàm 4000000 | 000000 | 000000. Si essent 128. Elementa, facerent combinationes plùs, quàm 8000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000. Si essent Elementa 256, facerent combinationes plùs, quàm 16000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 |

REGULA 4. *Est moraliter certum, duo opuscula, quæ conveniunt in plus, quàm* 128. *Elementis stilum diversificantibus, & vix differunt in viginti talibus Elementis, habere eundem Authorem.* Demonstratur. Ex legibus combinationis constat, centum viginti octo Elementa fundare diversitates possibiles in stilo, plùs quàm 8000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000000 | econtrà viginti Elementa tantùm fundare diversitates possibiles 1040400, seu rotundè 1000000, id est millionem.

nem. Adeoque inter illa duo opuſcula ultra hunc millionem diverſitatum poſſibilium fuiſſent adhuc poſſibiles diverſitates.

8000000 | 000000 | 000000 | 006000 | 000009 | 000000. Quarum tamen nulla contigit. Eſt autem moraliter impoſſibile, ut ex tot millionibus diverſitatum poſſibilium inter duos Authores contingenter ne quidem una contingat, aut ut ulla humana providentia, imitatione, ſtudio, communi inſtructione, aut conſuetudine mutua tam infinitæ propemodum occaſiones diſſimilitudinis præcaveantur, ac declinentur, niſi quis de induſtria alterum Authorem etiam quoad vitia, & omnes prorſus modos elocutionis, & cognitionis exſcribere velit; Ergo etiam eſt moraliter impoſſibile, ut duo opuſcula præfata non habeant eundem Authorem. Antecedens demonſtratur ex *Legibus Contingentium*, quæ non procedunt uniformiter. verbi gratia Si duo homines haberent in manu mille aleas, ex quarum jactu poſſibiles eſſent caſus plùs quàm

8000000 | 000000 | 000000 | 000000 | 000009 | 000000. Quilibet agnoſceret, moraliter impoſſibile eſſe, ut ambo jacerent ſtatim prima vice eundem numerum: namque ex hac impoſſibilitate dicimus; ſi viginti quatuor litteræ alphabeti contingenter projicerentur, nunquam tamen proventuram Iliadem Homeri, aut ſi Atomi per totam æternitatem perpetuo motu agitarentur, nunquam eas tam ordinatam combinationem qualis eſt in hoc mundo, effecturas: Itaque ſi duo Authores poſſunt in tot milliones diſſimilitudinum incidere, impoſſibile eſt, ut non frequenter in eas incidant.

Dices:

Dices : Virum doctum præcavere poſſe, ne in ullam diſſimilitudinem cum altero Authore incidat. Sed hoc dici non poſſe, demonſtro ; tot milliones diſſimilitudinum poſſibilium à nullius hominis intellectu cognoſci poſſunt : ergo multò minus præcaveri. Antecedens demonſtro : ſi homo centum annis viveret , & ſingulis diebus decem horas impenderet cognoſcendis omnibus diſſimilitudinibus poſsibilibus , & ſingulis minutis centum novas ſemper poſsibiles diſsimilitudines retegeret , tamen intra centum annos non detegeret & cognoſceret plures diſsimilitudines poſsibiles , quàm 2190000000. adeoque ex omnibus poſſibilibus diſsimilitudinibus 8000000l 000000l 000000 l 000000 l 000009 l 000000 reſpectivè adhuc vix unicam intra centum annos cognoſceret. Impoſsibile ergo eſt , ut homo ſua providentia præcavere poſsit tot poſsibiles diverſitates inter ſe, & alios Authores.

Dices 2. Facilè eſse , ut quis imitetur 128. Elementa ſtilum diverſificantia , quæ quis in altero Authore reperit , maximè ſi ſe continua lectione in altero Authore exerceat , vel eum in Magiſtrum , aut ſocium habeat , aut ſi diligenter omnes alterius Authoris argumenta , affectus , voces , phraſes , figuras &c. notet. Atqui imitando illa 128. Elementa eoipſo evitabit omnes diſſimilitudines ex combinatione talium Elementorum provenientes , quia omnis poſsibilis diſsimilitudo tantùm conſiſtit in omiſsione unius vel alterius Elementi. Poterit etjam quis ad ſingulas propoſitiones ſe examinare , an non omiſerit unum ex illis 128. Elementis , ut certus ſit , per decurſum operiſſe nullum illorum Elementorum ullibi data opportunitate omiſiſſe. Reſpondeo ;

Con-

Conceſſa Majore ; negando Minorem , & oppoſitum clarè demonſtrando . Ponamus , quòd aliquis ſe diligenter exerceat in lectione Ciceronis , & quòd diligenter in illo obſervet omnia illa ſtili principia , in quibus Ciceronem ab aliis Oratoribus differre , deficere , aut eminere exiſtimat , quod utique facilè fieri poſſe conceſſerim : ponamus omnia illa diverſitatis puncta , quibus Ciceronem modò ab hoc , modò ab illo Oratore differre exiſtimat , ſint 128. ſi talis poſteà in ſuis Orationibus omnia illa 128. puncta obſervare voluerit , id ſibi impoſſibile fore , ſeque Ciceroni parem eſſe non poſſe experientia doctus ſentiet . Cur autem hoc impoſſibile ſit , hæc eſt ratio ; quia ne ipſe quidem Cicero illa 128. puncta ubique in omni loco , in omni propoſitione , in omni periodo , in omni oratione , aut materia ſimul ac ſemel obſervat , ſed eadem pro opportunitate diverſiſſimè combinat ; combinationes illæ ſunt innumeræ poſſibiles , ut oſtenſum eſt , videlicet poſſibiles 8000000 l 000000 l 000000 l 000000 l' 000000 l' 000000 hæ ne minima quidem ſui parte cognoſci poſſunt , ut oſtenſum eſt ; adeoque præcaveri non poſſunt ; ut patet ; adeoque Orationi noſtræ ſe hinc inde immiſcent combinationes à Ciceronianis diverſiſſimæ ; ut ex *Legibus contingentium* oſtenſum eſt ; adeòque cum illis 128. punctis , in quibus nitimur Ciceronem imitari , commiſcentur non tantùm viginti , ſed centum , aut mille alia Elementa ſtilum diverſificantia , in quibus à Cicerone differimus , utendo hinc inde combinatione , quæ Cicero uſus non eſſet : adeoque quocunque adhibito imitandi ſtudio nunquam perveniemus ad caſum in Regula 4. poſitum , quo unus Author ab altero in 128. Elementis ſtilum diverſificantibus convenit , & ab eodem tantùm

in

in viginti Elementa differre invenitur . Q. E. D.

Dices 3. Multi poſſunt aſſignari Authores Oratores , Patres , Theologi , Philoſophi , Aſcetæ , ac maximè Hiſtorici , qui conveniunt in 128. punctis ſtilum diverſificantibus , & vix in viginti talibus Elementis diſconveniunt ; Ergo hæc regula non bene probat , in tali poſitione , Authores eoſdem fore . Reſpondeo ; antecedens omnino falſum eſſe, per experientiam comprobari ; hoc quidem verum eſt , quòd aliquando parum in ſtilo diſconveniant , & quòd vix viginti Elementa , in quibus hi Authores differant , poſſint deſignari ; ſed quòd ii Authores ſimul conveniant in 128. Elementis ſtilum diverſificantibus , omnino falſum eſt . Tales Authores , qui tantopere conveniunt , utuntur Elementis linguæ Latinæ receptis , & apud omnes ; aut pleroſque Authores uſu quotidiano tritis ; non autem utuntur Elementis ſtilum diverſificantibus , ſeu talibus , quæ non ſunt in uſu quotidiano , aut pleriſque Authoribus communi ; aut ſi quandoque talia Elementa immiſceant , ea non aſcendunt ad tantum numerum , ſed intra digitos , quibus numerari poſſunt , plerumque conſiſtunt . Itaque apud eos Authores non habet locum illa quaſi infinitudo diſſimilitudinum , in quas ex diverſis combinationibus incidere poſſunt ; adeoque etiam non pertinent ad caſum in Regula 4. allegatum .

5. *REGULA 5. Quando in duobus libris reperitur prorſus ſimilis collectio proprietatum individuantium , quarum combinatio vix poſſit , aut unquam ſoleat provenire à circumſtantiis duos illos libros comprehendentibus , moraliter certum eſt , duos illos libros habere eundem Authorem* . Pro explicatione & probatione hujus Regulæ obſerva , per *collectio-*

ctionem proprietatum individuantium me intelligere collectionem omnium accidentium, quibus unus Author solet differre ab altero. v. g. dum Cicero de Crasso dicit: *Erat summa in eo gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum & Urbanitatis Oratorius, non scurrilis lepos, latinè loquendi accurata, & sine molestia diligens elegantia; in differendo mira explicatio; cùm de jure, cùm de æquo & bono disputaretur, argumentorum & similitudinum copia. Quid in jure verum esset, erat peracutus ad excogitandum, & cum summa brevitate mirabiliter aptus*. Collectio omnium horum accidentium, qua Cicero Crassum ab aliis Oratoribus distinguit, vo-
o *Collectionem proprietatum individuantium*. Jam quando *Collectio* seu *Combinatio* talium proprietatum reperitur in duobus Authoribus, aut libris, aut opusculis eadem, hoc provenire potest à variis circumstantiis, videlicet vel ex eo, quòd ambo Authores habuerint eundem Magistrum, vel quòd in eadem Societate, Academia, aut familiaris er vixerint, vel quòd unus assiduè se in alterius scriptis legendo exercuerit, aut omnino eum imitari studuerit in stilo, aut studiosè similitudinem scriptionum ad alios fallendos effinxerit. Dico ergo, quando ex omnibus his circumstantiis, in quibus fata talium librorum comprehendi possunt, nulla omnino potens est, producere talem ac tantam combinationem in duobus Authoribus eandem ac similem; ex tali collectione proprietatum inferri posse, duos illos libros ad eundem Authorem referri oportere. Res est per se clara, nec jam ulteriori probatione indiget: Hoc solùm nota, me posthac præfatas circumstantias vocaturum *Circumstantias Assimilantes*.

RB.

REGULA 6. Quando in duobus libris reperitur ſimilis collectio proprietatum individuantium, tanto certius attribuendi ſunt uni Authori, quo tales proprietates individuantes ſunt plures, & quo ſingulæ ſunt paucioribus Authoribus communes, & quo major totius collectionis pars in nullo alio Authore reperitur, & quo totius collectionis aliquotæ partes ſunt paucioribus Authoribus communes, & quo circumſtantiæ Aſſimilantes ſunt debiliores. Pro explicatione ſumamus exemplum Craſſi, in quo Cicero ponit 10. proprietates individuantes. 1. Summam gravitatem. 2. Facetiarum. 3. Urbanitatis non ſcurrilem leporem. 4. Elegantiam accuratè loquendi Latinè. 5. Facilitatem ſic loquendi ſine moleſtia. 6. In differendo miram explicationem. 7. Copiam argumentorum de jure. 8. Maximè copiam ſimilitudinum. 9. Acumen in excogitando. 10. Summam brevitatem. Ponamus Collectionem harum proprietatum reperiri in aliqua Oratione, de qua dubium eſt, an ſit Craſſi, vel Ciceronis, aut alterius Oratoris. Dico nos attendere debere. 1. Quotnam ſint hæ proprietates? ſi enim multæ ſunt, ſine dnbio difficilius eſt, ut alius Author in tot proprietatibus cum Craſſo conveniat; ſi autem paucæ ſunt; facilius eſt, ut eas etiam alius Orator aſſequatur. 2. An ſingulæ proprietates multis aliis, an paucis Oratoribus conveniant? v. g. an multis conveniat ſumma gravitas, aut ſumma brevitas? ſi enim ſingulæ proprietates multis aliis Authoribus conveniunt, mirum non eſt, quod repertus aliquando fuerit aliquis Orator, qui in ſua Oratione omnes decem Craſſi proprietates collegerit. Si verò ſingulæ proprietates vel ob ſui difficultatem, vel ob

ſui

ſui raritatem paucis tantùm Oratoribus communes ſunt, difficile omnino, & mirum profectò eſſet, ſi alius quiſpiam Oratorum ſimul ac ſemel in proprietates tam raras, ac difficiles in una oratione incidiſſet. 3. Attendi debet, an iſta proprietatum collectio adeò rara ſit, ut ne quidem ſex, ſeptem, octo, aut novem ſimul ac ſemel in alio Oratore occurrant, ac monſtrari poſſint; ſi enim ne quidem ſex talium proprietatum collectio in alio Authore facilis eſt, multò difficilior erit collectio ſeptem, octo, novem, aut omnino decem talium proprietatum collectio. Si autem talium proprietatum collectio in aliis Authoribus, aut etiam multis reperitur, nec mirum, nec difficile eſt, ſi aliquando aliquis Oratorum repertus fuerit, qui collectioni novem proprietatum ſibi conſuetæ etiam decimam proprietatem addiderit. Adeoque 4. attendi debet, an aliquotæ totius Collectionis partes, puta collectio quinque v. g. proprietatum, collectio ſex talium proprietatum, collectio ſeptem, octo, aut novem talium proprietatum (quæ omnes collectiones ſunt partes aliquotæ collectionis totius denariæ) reperiantur in multis aliis, an in paucis Authoribus, ob hanc rationem, quia facilius eſt, ut è multis Authoribus, quorum quilibet habet collectionem proprietatum Collectioni Craſſianæ propinquam, aliquando unus contingenter ad eam collectionem pertingat, quàm ut è duobus aut tribus talibus Authoribus eò pertingat: nam in prima poſitione duobus aut tribus eò non pertingentibus reſidua adhuc eſt ſpes, reliquos eò perventuros. 5. Attendi debet, an alter Author, cui adſcribitur Oratio Orationibus Craſſianis conſimilis, fuerit in iis circumſtantiis, in qui-

bus

bus de facili Crassum imitari ; aut assequi potuerit ? Si enim illæ circumstantiæ sunt adeò debiles, ut tali Authori non potuerint imprimere ideas Crassianas , aut si fuerint tales, ut Authori simul inspirarint ac impresserint ideas à Crassianis diversas, non est verosimile , hunc Authorem assecutum esse similitudinem cum Crasso , sed Orationem omnino Crasso adscribendam esse. Vera est itaque Regula, quòd ad omnia ista puncta attendi debeat , si judicare volumus , quo probabilitatis aut cettitudinis gradu partus huic vel illi adscribendus sit.

REGULA 7. Quando in duobus libris est una mens , una lingua , & una casuum propè infinitorum possibiliter diversificantium harmonia , stricte moraliter certum est , unum esse horum librorum Authorem . Pro explicatione nota, me per Mentem hoc loco intelligere statum mentis quoad memoriam , intellectum , & voluntatem ; una memoria est , quæ easdem complectitur scientias , artes , historias , objecta , ad quæ frequenter partim alludendo , partim differendo respicit . Idem intellectus est , qui habet idem acumen in excogitando , eandem idearum copiam in comparando , exornando , comprehendendo ; eandem vastitatem , omnes objecti circumstantias , adjuncta , relationes , antecedentia , & consequentia , connexiones , causas efficientem , materialem , formalem , finalem , ac partes rei constitutivas comprehendendo ; eandem soliditatem in discurrendo , ac modum in cogitando , eundem ordinem in connectendo conclusiones , supposita , argumenta , causales propositiones , incidentes propositiones , modales propositiones , eandem methodum , idem systema doctrinæ &c. eandem voluntatem voco , cujus iidem fines , eadem media , eadem motiva ,

— iidem

iidem affectus, eadem consilia, eadem objecta, & eædem tendentiæ, nec deficiendo in ullo, nec excedendo.

Eandem linguam eündem modum loquendi, cujus constitutiva C. 3. 4. & 5. enumeravi. Harmoniam denique casuum possibiliter diversificantium prope infinitorum voco convenientiam in innumeris casibus, in quibus posset dari diversitas, ex combinatione Elementorum stilum diversificantium emergens; ut enim Regula 4. ostensum est, nulla humana providentia, aut imitatio se extendit ad casus tam innumeros; imitari tantùm possumus in iis, quæ cognoscimus, non verò in iis, de quibus non cogitamus. Itaque quando omnia constitutiva mentis, linguæ, & harmoniæ similia sunt, quando se mutuò exhauriunt, *quando se*, ut termino Geometrico utar, *mutuò tegunt*. dubium esse non debet, eam convenientiam ab eodem Authore, tanquam principio univoco, proficisci; quia causæ operantes liberè, quæ nullo principio per se ordinato ad effectum uniformem ad similem operationem adiguntur, in innumeris circumstantiis & casibus non operantur uniformiter.

REGULA 8. Si quis arte, imitatione, aut studio, voluerit alterius stilum assequi, omni suo studio non poterit attendere ad multò plus, quàm millionem casuum stilum diversificantium, in quibus proin, si præsentissimam habet memoriam, poterit vitare dissimilitudinem, & assequi similitudinem. Demonstratur. Nullus hominum poterit ad plures casus stilum diversificantes attendere, quàm possit intra quinquaginta annos propositiones legere, si singulis diebus decem horas lectioni impenderet, atqui intra tot annos, & tot horas nullus hominum poterit legere bimillionem propositionum, etiamsi singulis tertiis

minu-

minutis legeret unam propoſitionem, adeoque intra horam 216000. propoſitiones, quod utique eſt nimium concedere. Verùm hoc oſtendo. 50. anni habent 18250. dies. tot dies, ſi ſinguli habeant decem pro lectione horas, coninebunt horas 182500. tot horæ continent minuta prima 10950000. Minuta ſecunda 657000000. Minuta tertia 39420000000 Qui ultimus numerus nondum habet dimidium, imò ne vigeſimam partem unius bimillionis. Adeoque verum eſt, hominem, ſi per 50. amos ad nihil aliud attenderet, quàm ad caſus ſtilum diverſificantes, non attendere poſſe ad multò plus quàm millionem. Heu! quantillum eſt humanæ ſcientiæ!

REGULA 9. Omnis humana exercitatio non ſufficit ad evitandas diſſimilitudines poſſibiles cum alio Authore, quæ dependent à naturali vel acquiſita habitudine memoriæ, intellectus & voluntatis, ſed tantùm valet ad evitandas diſſimilitudines vocum, phraſium, & numerorum, Ad reliquas verò diſſimilitudines nihil proficit ea exercitatio, quàm ut ſimplici intuitu cognoſcantur. verb. gr. Ponamus aliquem Oratorem, qui ſe continuò exerceat in ſcriptis Ciceronis, qui eo etiam Magiſtro utatur, ipſum loquentem audiat, & eodem familiariter quotidiana converſatione utatur. Dico: hoc quidem fieri poſſe, ut omnes Ciceronis voces, phraſes, particulares, & numeros non tantùm periodorum, ſed etiam integrarum Orationum perfectè addiſcat; quia omnia hæc finita ſunt, nec excedunt numerum aliquot millium, quæ utique memoria comprehendi poſſunt. Sed ea exercitatio non tribuit ordinem verborum à naturali, vel acquiſita capacite mentis dependentem. In ordine & combinatione verborum relucet acumen ingenii, ma-

turitas judicii, affectuum promptitudo, teneritudo, conversio, copia, fervor, moderatio; claritas intellectus, copia idearum, vastitas eruditionis, prudentia consilii, comprehensio objecti, ordo cognitionis; suavitas in persuadendo, vis in convincendo, & innumeræ virtutes animi, quæ per verba loquentis significantur, & quæ orationi suam formam, id est, ordinem verborum & conceptuum tribuunt. Poterit ergo fieri, ut talis aliquis studiosus imitator Tullii omnia Ciceronis verba, phrases, & numeros exprimat; poterit etiam fieri, ut, si serenum intellectum habeat, videat simul ac semel simplici intuitu integras milliones diversitatum inter suam & Tullii Orationem, earum videlicet diversitatum, quæ à dispositione animi profluunt; sed, quia has innumeras diversitates tantùm confusè intuetur, aut certè non habet tempus omnes seorsim ac distinctè considerandi, ideo etiam non habet possibilitatem eas evitandi. Poterit talis de sua Oratione dicere, quod vulpes dicitur de statua dixisse; *Huic homini aliquid deest.* Deest enimverò Orationi anima, ac cerebrum Ciceronis, deest *aliquid nescio quid*, seu complexum ex infinitis propemodum combinationibus idearum ac verborum à dispositione intricatissima animi dependentibus.

REGULA 10. *Quando duo soli libri conveniunt in innumeris vocibus, phrasibus, ac numeris prorsus extraordinariis, quarum collectionis vix vigesima pars in ullo alio libro occurrit, moraliter certum est, hos libros habere eundem Authorem.* verb. gratia Dentur duo libri, in quorum utrolibet reperiantur tales voces, ac phrases raræ, centum quarum singulæ sint minus usitatæ, aut omnino

nino à pauciſſimis vel nullis aliis Authoribus receptæ: ponamus etiam, vix quinque tales phraſes, id eſt, vigeſimam partem, in alio ullo eodem Authore reperiri. Dico: eſſe moraliter certum, hanc convenientiam vocum & phraſium tam ſingularium non provenire ex imitatione, qua unus Authors ſtuduit imitari alterum; neque etiam eam factam eſſe fortuitò, adeoque neceſſariò provenire ab uno principio, ab uno Authore. Quòd ea convenientia non fuit fortuitò, patet ex *Legibus Contingentium*, quia *Contingentia non procedunt uniformiter*. Quòd non proveniat ex imitatione, lectione, aut familiaritate continua; probatur. Quando voces ac phraſes tam extraordinariæ bonæ ſunt, nunquam aut vix unquam ſolet contingere, ut non inveniant plures imitatores, & uſurpatores, quàm unum tantùm. Si phraſes ſint exorbitantes à puritate linguæ latinæ, & nulla prorſus imitatione dignæ, moraliter impoſſibile eſt, ut imitatorem inveniant, qui omnes illos errores aut non cognoſcat, aut ſi cognoſcat, velit imitari: quòd impoſſibile moraliter, ut quis cujuſdam Authoris errores prorſus ſingulares, & in aliis Authoribus non obvios non cognoſcat, ex hoc oſtenditur, quia nemo eſt, qui non legat plures libros, adeoque nemo eſt, qui non advertat alias in his aliis libris phraſes ac voces, ſicque de diſſimilitudine toties admonitus non ſubin unam vel alteram phraſin corruptam ex his aliis libris corrigat, ac corrigendo jam ſufficientem diverſitatem inter ſe, & ſuum, cui tantopere ſe addixit, corruptum Authorem introducat. Poteſt etiam ſic probari. Nemo eſt, qui non legat plures libros partim bonos, partim malos; ergo omnes illi libri habent

vim imprimendi ſuas phraſes, voces, ac ideas in animum legentis; Ergo contingenter fieri neceſſe eſt, ut in animum legentis modò imprimantur phraſes hujus libri, modò phraſes alterius libri, *quia Contingentia non procedunt uniformiter*; neque etiam datur ulla incapacitas, aut contrarietas in animo legentis, ad non recipiendas phraſes aliorum librorum. Si itaque in animo ac memoria legentis impreſſæ ſunt diverſæ phraſes, ac voces circa idem objectum partim bonæ partim malæ, impoſſibile eſt; ut recurrente occaſione loquendi non ſubin redeant phraſes bonæ & malæ in memoriam; impoſſibile etiam eſt juxta leges contingentium, ut conſtanter quis aut fortuitò; aut de induſtria apprehendat phraſes ac voces malas. Fortuitò hoc fieri nequit, quia in innumeris caſibus contingentia non procedunt uniformiter. De induſtria hoc etiam fieri nequit, quia nemo ſciens eligit conſtanter malum. Certum ergo eſt moraliter, convenientiam in phraſibus & vocibus extraordinariis perpetuam non eſſe imitationis, ſed primæ inventionis unius Authoris, qui acquiſito ſemel fingendi, ac derivandi novas voces habitu in torrentem talium vocum ac phraſium diffluit. Poteſt etiam fieri, ut plures homines habeant talem novandi habitum, ſed quilibet de novo inveniet novas voces, non imitabitur alienas; quia habitus ille non eſt habitus imitandi, qualis nullus datur, ut oſtenſum eſt, ſed habitus novandi & inveniendi. Sit itaque

REGULA 11. *Quando in duobus libris reperitur habitus inveniendi, derivandi, & introducendi novas, inconſal-*

sultas, aut extraordinarias voces, & phrases; aut receptas ad novum sensum, & Grammaticam novam detorquendi, aut in sensu parum usitato accipiendi, ille habitus, si versatur circa easdem voces & phrases, non pertinet ad duos Authores, quorum unus imitatur alterum, sed ad unum Autborem. Demonstratio est eadem, quæ in priori Regula 9. quia Impossibile est, ut ullus hominum, qui legit plures libros, à quibus suas impressiones recipit, linguam in elocutione dirigentes, constanter unius Authoris vitia innumera omnia aut fortuitò, aut dedità opera imitetur; cùm impressiones ab aliis libris factæ etiam contingenter, suos quandoque actus potentiæ locutivæ imprimere necesse sit.

REGULA 12. *Quanta est improbabilitas, quòd quis nullos alios Authores præter unum corruptum legerit, & triverit; tanta est improbabilitas, quòd quis alterius Authoris innumera vitia omnia ac singula constanter imitatus fuerit.* Demonstratio patet Regula 9. & 10. ubi ostenditur, impossibile esse, ut ex lectione aliorum Authorum quis non subin unum, & alterum vitium ex lectione corrupti Authoris haustum corrigat. Posset etiam ab experientia demonstrari, quia ex tot centum millibus hominum, qui legerunt & constanter triverunt Librum *de Imitatione Christi* scatentem vitiis quoad puritatem Latinæ linguæ, nullus tamen per tria sæcula hactenus inventus est, qui stilo suo omnia hujus libri vitia expresserit, ac imitatus sit; quod autem aut nunquam fit, aut vix unquàm fit, est moraliter impossibile; est contra præsumptio-

ptionem in caſu dubio; & ejus probabi-

litas necdum eſt $\frac{1}{100000}$ adeoque nulla.

REGULA 13. In praxi poterit adhiberi hæc methodus. 1. Notentur omnia Elementa ſtilum diverſificantja, eaque excerpantur ex ambobus libris, quorum examen inſtituitur. 2. Quærantur combinationes omnes poſſibiles Elementorum primi libri, & ſecundi libri. Modus inveniendi combinationes Regula 2. indicatus eſt. 3. Ex his his combinationibus detrahantur combinationes Elementorum, quæ jam in aliis Authoribus reperiuntur.

4. Detrahantur etiam ex iisdem combinationibus omnium Elementorum combinationes poſſibiles eorundem Elementorum, quæ ex circumſtantiis aſſimilantibus provenire poſſunt.

5. Videatur, quanta ſit inter combinationes omnium Elementorum, & combinationes detractas in unam ſummam congeſtas proportio; ſi illæ combinationes hasita ſuperent, ut ſe ad illas habeant, ut $\frac{9}{10}$ ad $\frac{1}{10}$ erit moraliter certum libros eſſe ejuſdem Authoris; ſi verò ſe habeat, ut $\frac{8}{10}\ \frac{7}{10}\ \frac{6}{10}$ id præcisè erit probabile. verbi gratia ſint 20. Elementa in utroque libro communia, quæ inter ſe combinetur. Erunt combinationes inde provenientes 1040400. ſint ex his 20. Elementis decem, quæ reperiantur in aliis Authoribus,

bus, & iterùm alia septem, quæ etiam reperiantur in aliis Autoribus. Combinationes decennarii sunt 5120. septenarii sunt 640. harum summa est 5760. ea detracta à 1040400. relinquit 1034640. Circumstantiæ assimilantes sint imitatio, lectio, & familiaritas: hæ faciant, ut quis assequatur è viginti Elementis decem; horum decem Elementorum combinationes iterùm detrahantur ex residua summa; & residuum erit, 1028880. hoc residuum habet se ad summam omnium combinationum detra-

1088o.

ctarum, ut ——— seu ut 102. ad 1. seu ut

1028880.

10. 1.
— ad — Adeoque erit certum, unum es-
10. 10.

se Authorem librorum, de quibus quæritur. Dico: Regulam satis propinquè exhibere probabilitatem identitatis inter Authores; Demonstratio patet ex dictis, quia hæc methodus comprehendit ferè omnia in præcedentibus Regulis ad ferendum justum judicium requisita.

REGULA 14. *Quando agitur de abjudicando Authori opere ob diversitatem stili, ea diversitas tanta esse debet, ut aut ferè nunquam, aut saltem communiùs in eodem Authore non reperiatur.* Demonstratur. Omnis præsumptio ac probatio desumitur à communiter contingentibus; si ergo diversitas stili fundat præsumptionem contra identitatem Authorum, ea diversitas talis esse debet, ut communiter non reperiatur in eodem homine, quantumcunque

que in diverſis circumſtantiis ætatis, fervoris, audientium, præparationis, applicationis &c. poſito.

REGULA 15. *Eo grada probabilitatis conſtitui poteſt Authorum diverſitas, quo gradu probabilitatis in eodem Authore ſimilis non reperitur ſtili diſformitas.* verbi gratia ſi vix unquam aliquis Author tanta diverſitate ſtili ſibi ipſi diſſimilis eſſe ſolet, quanta diverſitas reperitur inter duos libros: moraliter certum erit, hos duos libros non habere eundem Authorem; & probabilitas illa erit ut $\frac{9}{10}$ ſi verò tantùm ut $\frac{8}{10}\frac{7}{10}\frac{6}{10}$, contingere ſolet, Authorem eundem non eſſe ſibiipſi tanta diverſitate diſſimilem, probabilitas quoque, quòd Author utriuſque libri idem non ſit, tantùm erit ut $\frac{8}{10}\frac{7}{10}\frac{6}{10}$ patet ex Regula 12. & Arte Critica.

REGULA 16. *Diverſitas ſtili, quæ etiam in eodem Authore, in diverſis circumſtantiis ſtilum diverſificantibus, æquè communiter reperiri ſolet, ac non reperiri, non fundat præſumptionem contra identitatem Autboris.* Circumſtantias ſtilum diverſificantes voco verbi gratia ætatem, triſtitiam, lætitiam, fervorem, diligentem applicationem, auditorium &c. nam aliter loqui ſolet vir ſenio gravis, aliter juvenis, aliter poſt diligentem præparationem & ſtudium, aliter loquens ex tempo-

re,

re, aut ſcribens calamo curſorio; aliter ad auditorium doctum, aliter ad plebem. Ea ergo ſtili diverſitas, quæ ex his circumſtantiis, aut aliis ſimilibus dependet, non probat diverſum eſſe Authorem. Eſt per ſe clarum.

REGULA 17. Diverſitas ſtili in caſu, quo conſtat, locum non habere circumſtantias ſtilum diverſificantes, probat diverſum Authorem. Ratio eſt, quia diverſitas ſtili non ſolet habere locum in eodem Authore, niſi detur occaſio, ſeu circumſtantia ſtilum diverſificans.

REGULA 18. Vix unquam in eodem Authore ſolet reperiri diverſitas in habitibus naturalibus vel acquiſitis, in ſyſtemate doctrinæ, in acumine ingenii, propenſione affectuum, directione conſilii, in vocibus, phraſibus, & ordine doctrinæ; adeoque, quando in iſtis reperitur diverſitas, eſt argumentum probabile, diverſum eſſe Authorem. Patet ab experientia.

REGULA 19. Diverſitas in tropis, figuris, copia argumentorum, ſimilitudinum, numero, eruditione, elegantiis, non probat diverſitatem Authorum. Ratio eſt, quia iſta diverſitas etiam in eodem homine pro diverſa applicatione virium, aut pro diverſa diſpoſitione loquentis reperiri ſolet.

REGULA 20. Diverſitas, quæ eſt contra conſuetudines Authoris univerſaliter ac conſtanter receptas, & in ipſis circumſtantiis alioquin diverſificantibus receptas, probat diverſitatem Authoris. v. g. conſtat, Demoſthenem habere conſuetudinem omittendi Epilogum, & quidem in omni materia, occaſione, ac circumſtantia. Si ergo detur Oratio cum Epilogo, eaque dubitetur eſſe

De-

BIBLIOTECA
Montesquieu
SALA Aula Magna
SCAFFALE III
NUMERO 153

BIBLIOTECA
Montefusco
SALA Aula Magna
SCAFFALE III
NUMERO 153

3611

PHILOSOPHIA POLLINGANA

AD NORMAM BURGUNDICÆ

IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA,

AUTHORE

R. D. EUSEBIO AMORT

Canonico Regulari Lateranensi ad SS. Salvatorem in Polling SS. Theologiæ Professore, & Bibliothecario.

TOMUS QUINTUS

NOTITIAM CRITICAM

De Logica Neotericorum, & Principia Artis Criticæ

CONTINENS.

VENETIIS MDCCXXXIV.

Apud Jo: Baptistam Recurti.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

3611

PHILOSOPHIA POLLINGANA

AD NORMAM BURGUNDICÆ

IN QUINQUE TOMOS DISTRIBUTA,

AUTHORE

R. D. EUSEBIO AMORT

Canonico Regulari Lateranensi ad SS. Salvatorem in Polling SS. Theologiæ Professore, & Bibliothecario.

TOMUS QUINTUS

NOTITIAM CRITICAM

De Logica Neotericorum, & Principia Artis Criticæ

CONTINENS.

WENETIIS MDCCXXXIV.

Apud Jo: Baptistam Recurti.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

VOLUME II.

BIBLIOTECA O.F.M.CAP.
MONTEFUSCO
(Av)

INDEX
TOMI QUINTI.

NOTITIA CRITICA
De Logica Neotericorum.

SECT. 1. De Logica Platonis à Neotericis adoptata. p. 1.
2. De Logica Raymundi Lulli & Kircheri. 19
3. De Logica Arnaldi. 28
4. De Logica P. Honorati Fabri. 102
5. De Logica Lockii. 113
6. De Logica Claubergii, Clerici, Buddei, Crousazii, Titii, VVolfii, Rhorii. 132

PRINCIPIA ARTIS CRITICÆ EXPLICATA & DEMONSTRATA.

PARS. 1. Regulæ de gradibus Probabilitatis. 168
2. Regulæ de authoritate. 187
3. Regulæ interpretandi textus. 203
4. Regulæ Authorum Criticæ in dijudicandis antiquis Manuscriptis, opusculisſuppositiis ac maximè in rebus historicis. 259

5. Exem-

BIBLIOTECA O. F. M. CAP.
MONTEFUSCO
(Av)

INDEX
TOMI QUINTI.

NOTITIA CRITICA
De Logica Neotericorum.

SECT. 1. De Logica Platonis à Neotericis adoptata. p. 1.
2. De Logica Raymundi Lulli & Kircheri. 19
3. De Logica Arnaldi. 28
4. De Logica P. Honorati Fabri. 102
5. De Logica Lockii. 113
6. De Logica Clanbergii, Clerici, Buddei, Crousazii, Titii, VVolfii, Rhorii. 132

PRINCIPIA ARTIS CRITICÆ EXPLICATA & DEMONSTRATA.

PARS. 1. Regulæ de gradibus Probabilitatis. 168
2. Regulæ de authoritate. 187
3. Regulæ interpretandi textus. 203
4. Regulæ Authorum Criticæ in dijudicandis antiquis Manuscriptis, opusculisſuppoſititiis ac maximè in rebus historicis. 259

5. Exem-

5. Exempla Artis Criticæ ex SS. Patribus. 286
6. Demonſtratio Artis Criticæ. 403
7. Exercitatio de ſtylo Authorum, & de Authoribus ex ſtylo dignoſcendis. 461
PARS. 1. *De gradibus probabilitatis.* 168
§. 1. Definiuntur gradus probabilitatis. ibid.
2. Regulæ generales pro determinando gradu probabilitatis in quavis propoſitione. 171
3. De Probabilitate propoſitionis, pro qua vel contra quam plura ſtant argumenta probabilia. 175
4. De Obſervandis in praxi circa probabilitatem propoſitionum. 179
5. De Cenſuris Criticis. 185
PARS II. *De Authoritate.* 187
§. 1. De Authoritate in genere. ibid.
2. De idoneo controverſiarum judice. 190
3. De idoneo teſte. 195
4. De argumento negativo petito ex ſilentio Authorum. 200
PARS III. *Hermeneutica, ſeu de interpretatione.* 203
§. 1. De vario verborum ſenſu. ibid.
2. De Principiis intetpretationis. 204

3. De

5. De ſenſu verborum, prout deſumitur ex uſu loquentium. 206
4. De ſenſu verborum, prout deſumitur ex intentione loquentium. 208
5. De ſenſu verborum, prout deſumitur ex ſubjecta materia. 214
6. De ſenſu Axiomatum, definitionum, diviſionum, inductionum, diſcurſuum &c. 218
7. De ſenſu proprio, primario, ac ſecundario propoſitionum. 226
8. De ſenſu univerſali, particulari, limitato, abſoluto, ac conditionato propoſitionum. 233
9. De ſenſu propoſitionum, quæ important aliquam denominationem. 237
10. De ſenſu propoſitionum, quæ important aliquam cauſalitatem. 243
11. De ſenſu ptopoſitionum, quæ important aliquam paritatem, ſimilitudinem, aut relationem. 246
12. De ſenſu univoco, analogo, æquivoco, adæquato, inadæquato; & ſenſu concretorum. 249
13. Obſervanda in praxi quoad interſ-

terpretationem. 252
PARS IV. *Regulæ Criticæ modernis Scriptoribus familiares.* 259
§. 1. De Arte Critica Joannis Clerici, maximè de emendatione, suppositione, & interpolatione Scriptorum veterum. ibid.
2. Regulæ Criticæ quoad versionem & interpretationem Sacræ Scripturæ. 265
3. Regulæ Criticæ quoad studium Conciliorum, Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum 270
4. Regulæ Criticæ in rebus historicis. 272
5. Regulæ P. Honorè pro emendatione Artis Criticæ. 278
6. Regulæ de antiquitate librorum & Manu Scriptorum. 284
PARS. V. *Exempla Artis Criticæ ex SS. Patribus.* 286
§. 1. Regulæ Criticæ Generales. XXXVI. ibid.
2. Regulæ de Authoritate. XXI. 310
3. Regulæ de Interpretatione. LII. 332
4. Regulæ de opusculis suppositiis XX. 367
PARS VI. *Demonstratio Artis Criticæ.* 405
Caput. 1. Quid sit probabile? ibid.
2. Gradus probabilitatis per numeros exhiberi possunt. 413
3. Regulæ determinandi gradum probabi-

babilitatis ex inductione . 416
4. Regulæ determinandi gradum probabilitatis ex legibus contingentium. 49
5. Regulæ determinandi gradum probabilitatis, quando concurrunt plura argumenta probabilia cum aliis probabilibus oppositę sententiæ. 430
6. Quomodo argumenta per præsumptiones contrarias enerventur. 444
7. De Utilitate Artis Criticę 460
PARS VII. *De stylo Authorum, de Authoribus ex stylo dignoscendis.* 461
Caput. 1. Viri doctissimi judicarunt, sæpe Authores ex stylo dignosci posse. ibid.
2. Cicero & Quintilianus assignarunt varias notas characteristicas Authorum quoad stylum. 465
3. Explicantur styli elementa, ex quibus de stylo Authorum, eorumque diversitate judicium formari possit. 483
4. Nova Regula, quomodo Authores soluta oratione scribentes ex numero ac metro distingui possint. 505
5. De variis vitiis ac proprietatibus in stylo Authorum occurren-

ti-

BIBLIOTECA O. F. M. MONTEFUSCO (Av)

tibus, ex quibus notari poſſint. 522
6. Traduntur ac demonſtrantur regulæ pro dignoſcendis ex ſtylo Authoribus. 541

NOTITIA CRITICA DE LOGICA PLATONIS, RAYMUNDI LULLI, ET NEOTERICORUM.

Hìc traditur Notitia de Logica

1. Platonis.
2. Raymundi Lulli.
3. Arnaldi.
4. P. Honorati Fabry.
5. Lockii.
6. Claubergii, Clerici, Budei, Crousazii, Titii, VVolfii.

SECTIO I.

De Logica Platonis.

LOgica Platonis in quatuor punctis consistit, & distinguitur à Logica Aristotelica. Nam 1. Plato non utitur Syllogismo, sed Dialogo, seu discursu.

2. Plato in omni controversia sic instruit statum quæstionis, ut tantum quærat definitionem cujusdem rei.

fructum referat. His adde. 5. Ante lectionem cura, ut saltem confusè cognoscas, quæ lecturum es. hæc enim est certa & stata naturæ lex, ut res primo obtutu confusè tantùm agnoscamus. 6. Antequam librum aggrediaris, prænosse debes ea, de quibus agit, quo ordine, qua methodo; ut communia omittas, & singularia seligas; quippe si omnium librorum res singulares in unum congestæ essent, vix justum esset volumen. 7. Librorum Epitomen facere non curabis, rediges tamen in certa capita, quæ quotidie excerpis. 8. Ne lege libros sinè certo consilio, quasi in incertum; sic multùm temporis sinè fructu perditur. 9. Non legas multa uno tenore, nec diu, ne rerum copia mentem obruat. 10. Maximi momenti esset, habere virum doctum, qui indicaret, quid in singulis Authoribus, quo ordine pertractetur; qui paucis verbis ingentia volumina contraheret, & explicaret; aperiret quæ utilia in hoc libro, quæ repetita, quæ adinventa, quæ transcripta, quæ vera, quæ falsa. Hoc maximum est lectionis compendium.

Circa Meditationem multas tradit regulas, inter quas. 1. Primariam rationem illius, sententiæ, quam meditaris, diligenter examina. 2. Rem considera per omnes locos Topidos. 3. Scribas ea, quæ cogitasti; inter scribendum enim primùm apparent nævi, qui inter cogitandum latuerant.

Circa scriptionem sunt hæ. 1. Fèrè tantùm scimus, quantum scripsimus. 2. in describendis alienis non multùm desudabis, nisi in compilandam tuis commentationibus materiam, sufficiat annotasse minimo quasi apice, ut vel eo signo in memoriam revocentur. 3. Sæpius relege tua commentaria.

Circa

Circa auditionem. 1. Persuasum tibi sit, *nihil eorum, quæ ore dictantis scripto excepisti, mente capturum, nisi eadem ab ore dicentis audias explicata.* 2. Prægusta, *quæ primò dicuntur, ut dicenda cum majori aviditate exspectes.* 3. Exige à te statim rationem omnium eorum, *quæ audivisti.*

Art. 5. & 6. *de Methodo disputandi.*

1. Aggredere sententiæ, quam impugnas, caput, nec enim aliter sententia potest destrui, nisi destructo fundamento, quo niti videtur.

2. Ambages vitandæ, æquivoca, & reliquæ verborum fraudes. Scopum, in quem collimas, perspiciat adversarius.

3. Proba semper directè quod negatum est, nec unquam alia sit tua conclusio à propositione negata.

NB. Hìc errat P. Fabry, aut Mornerius. *Deo enim dantur modi prosequendi argumentum. Primus, ut probemus, quod negatum est; sicque propositio negata veniat in conclusione. Alter, ut ostendamus, responsionem adversarii non obstare argumento. Tunc enim assumimus propositionem ab adversario concessam in antecedente, & in consequente inferimus. Ergo nulla Responsio. Vel ergo manet argumentum.*

4. Quando potest haberi syllogismus categoricus, præferendus est hypothetico, quia hypothetica propositio ac sequela difficilius probatur, quàm categoricæ.

5. Quando uteris Enthymemate, cave, ut consequentia bona sit, ne cadas in usitatissimum vitium, quo consequens potiùs probatur quàm consequentia.

NB. Rectè istud monet P. Fabry. Hinc si: g. aliquis in meridie diceret: *Petrus est homo, ergo nunc est dies.* negarem ego consequen-

BIBLIOTECA O. F. M. MONTEFUSCO (Av)

Quintilianus in initio, fine, ac etiam decurſu Periodorum dominari pedes quoſdam obſervarunt. Ariſtoteles L. 3. Rhet. C. 8. ſic ait: figura Orationis illa maximè probatur, quæ non ſinè numero eſt. Numerus autem rhytmus eſt, cujus menſuræ deciſiones ſunt. Quare numerum habebit Oratio, non tamen omnino exquiſitum, qualis eſſet, ſi ad aliquam determinatam menſuram ineſſet. Numerus Heroicus eſt amplus, elegans, & egens harmoniæ. Jambicus verò numerus Oratio multorum eſt. Trochaicus numerus tripudiis aptior eſt. Tertius numerus eſt Pæan, qui ex prædictis conſtat. Sunt enim tria ad duo, cùm alter illorum unum ad unum ſit, alter duo ad unum. Quibus proportionibus ſeſquitertia conſtat, & hæc eſt Pæan, Impræſentiarum uno pæane incipientes etiam utuntur: ſad oportet exitum à principio differre: nam cùm ſint duo inter ſe oppoſita Pœanis genera, unum, in quo prima producta eſt, quam tres breves ſequuntur, hoc principiis congruit, ſicut & utuntur; alterum genus Pæanis, in quo *tres breves præcedunt, ultima producitur, finem incommodum facit. Oportet igitur producta diſſeparare, at finis ſermonis adeſſe cogniſcatur.*

„ *Cicero L. 3. de Orat. num. 29. ſic ait*: Ve-
„ teres in ſoluta Oratione verſus propemodum, hoc eſt numeros quoſdam nobis adhibendos eſſe putaverunt. ——
„ Verſus quidem in Oratione ſi efficitur, vitium eſt; attamen verborum conjunctionem ſicuti verſum numerosè cadere volumus. —— Longiſſima verborum complexio eſt, quæ volvi uno ſpiritu poteſt; ſed hic natura modus eſt, artis alius. Nam cùm ſint numeri plures, Jambum & Trochæum frequentem ſe-

„ gre-

„ gregat Aristoteles, qui natura tamen ip-
„ si incurrunt in sermonem nostrum. Qua-
„ re primùm vos ad Heroum Dactyli, &
„ Anapæsti, & Spondæi pedem invitat,
„ in quo impunè progredi licet duos dum-
„ taxat pedes, aut paulò plus, ne planè in
„ versum incidamus. Probatur autem ab
„ illo maximè Pæan, qui est duplex;
„ nam aut à longa oritur, quam tres bre-
„ ves consequuntur; ut hæc verba: desi-
„ nite, comprimite, incipite; aut à bre-
„ vibus tribus, extrema longa, sicut illa
„ domuerant sonipedes; atque illi Philo-
„ sopho ordiri placet à priori Pæane, po-
„ steriore finiri. Est autem Pæan hic po-
„ sterior non syllabarum numero, sed au-
„ rium mensura, quod est acrius judicium
„ & certius, par ferè Cretico, qui est ex
„ longa, & brevi & longa: ut. *Quid pe-*
„ *tam præsidii, aut exequar? quove nunc?*
„ à quo numero exorsus est Fannius. *Si*
„ *Quirites minas illius*. Neque verò hæc
„ tam acrem curam requirunt, sicut illa
„ Poetarum, quos necessitas cogit, sic
„ versu verba includere, ut nihil sit ne
„ spiritu quidem minimo brevius, aut lon-
„ gius, quàm necesse est. Liberior est O-
„ ratio, non ut erret tamen. Namque
„ ego illud assentior Theophrasto, qui pu-
„ tat Orationem, quæ quidem sit politica,
„ non adstrictè, sed remissiùs numerosam
„ esse oportere. Etenim sicut ille suspica-
„ tur ex illis modis, quibus hic usitatus
„ versus efficitur, post Anapæstus, pro-
„ cerior quidam numerus efflоruit; inde
„ ille licentior & divitior fluxit Dythi-
„ rambus, cujus membra & pedes, ut ait
„ idem, sunt in omni locuplete Oratio-
„ nne diffusa. Et, si numerosum est id in

BIBLIOTECA MONTEFUSCO (Av)

Demosthenis, ea diversitas probat, non esse Demosthenis. Quia quod in innumeris circumstantiis & occasionibus non fit, est contra præsumptionem, in casu dubio futurum, aut factum esse.

REGULA 21. *Diversitas, quæ est contra consuetudinem Authoris nondum traditam & probatam per omnes circumstantias diversificantes, non probat diversitatem Authoris.* Ratio est, quia consuetudo mutabilis non est character Authoris, qui eum distinguat à non habente consuetudinem, nisi ea mutabilitas tam rara aut difficilis sit, ut vix unquam, aut certè communiùs mutatio non soleat fieri.

Itaque ex dictis patet, facilius esse, probare identitatem Authoris, quàm diversitatem; quia contingere quidem solet, ut idem Author in variis Elementis stilum diversificantibus à seipso diversus sit: ut autem duo Authores in plurimis Elementis stilum diversificantibus aliquando similes sint, res est albo simillima corvo, nulla, inquam, aut certè rara.

O. A. M. D. G.

Finis Quinti, & ultimi Tomi.

3611

BIBLIOTECA O. CAP.

BIBLIOTECA D.
MONTEFIUSCO
(Av)
C. A. P.